IOANNIS THOMÆ FREIGII QUÆSTIONES EOTHINAI KAI DEILINAI SEU...

Johann Thomas Freige

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS THOMÆ FREIGII,

Quæſtiones

ἙΩΘΙΝΑῚ ΚΑῚ ΔΕΙΛΙΝΑῚ:

ſeu Logicæ & Ethicæ.

Cum Analyſi Logica, Ethica & Politica in 15. Ciceronis orationes.



Cum Gratia & Priuileg. Cæſ. Maieſt.

BASILEAE,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI.

[illegible] by Google

NOBILI
ET
PRVDENTI VIRO

GVIDONI
VIARDO. I. C.

DOMINO IN ROSSILE ET
LAVAVT: GALLIA-
RVM REGIS

CONSILIARIO ET LOCVM
TENENTI IN BAILLIVATV,
CABILLONENSI IN
BVRGVNDIA.

HOC MONVMENTVM
DEDICAT

IOAN. THO-
MAS FREIGIVS.
I. C.

CAROLVS VARDVS.

Vt Logicam & Mores poſsis didiciſſe iuuentus,
Hunc agili librum ſæpè reuolue manu.

Digitized by Google

AD BENEVOLVM LECTOREM.

CVm quæſtiones noſtras Logicas & Ethicas tam proſperum uentum nactas eſſe animaduerterem, ut illinc ad mare mediterraneũ ab amicis noſtris Genuæ degentibus agnitę: hinc uerò ad Septentrionem in Angliam quoque peruectę, ibiq; adeò auidè exceptę ſint, ut exemplarium copia ſatisfacere non potuerit: coactus fui, quanquam inuitus (neſcio enim quomodo mihi in his nondum ſatisfacere potui) illas denuò prælo committere. Ne autem in tam longinquam iter uacuas & inanes extrudere uiderer, Ciceronis orationes 14. Analyſi Logica & Ethica retextas, his uiatici loco appendi curaui: ut ſi à quoquam hoſpitio exciperentur, ſymbolum ſuum liberaliter perſoluere poſſent; imò ſi naufragio (quod abominor) expulſæ fuerint, ſpero eas illinc à Melitenſibus quoque: hinc uerò ab Anglis grato & humano animo exceptum iri. Itaq; ſoluentibus oram, felicem denuo uentum exopto. Vale, Lector.

DE PHI-

H

DE PHILOSOPHIA ET ARTIBVS.

CVM MVLTA ET VARIA DE artium origine, appellatione, & diſtributione circumferantur, cupio ex te cognoſcere, num quid de his certi & ſolidi afferri poſſit?

POTEST verò. Nã quod ad originem earum attinet, nulla quidem ex toto illo diſciplinarum orbe eſt, quàm non Hebræi primi inuenerint, exercuerint. Cùm enim Deus Opt. Max. hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creaſſet, eumq; Sermonis ac Rationis diuinis muneribus exornaſſet: effectum eſt ut cùm Adamus primus homo quandam cognitionis diuinitatẽ & excellentiorem gradum, quàm natura humana capere poſſet, appeteret: infinitis ignorantiæ tenebris, Diabolo impellente, Sermonem ac Rationem inumbrarit & obfuſcarit. Quamobrem Deus Opt. Max. miſertus tam tenebroſam hominis miſeriam, iacturam tanti boni propoſita exercitatione, reſarcire inſtituit, & Sermonis Grãmaticam ac Rhetoricã, & Rationis Dialecticam, tanquam generales inſtitutiones Adami nepotibus ipſe paulatim inſpirauit, ut recuperata Lingua cum Mente, Naturæ & Morum, omniumq; rerum doctrinas his geminis inſtrumentis explicarent.

I. Origo artium.

Cauſa corruptarum artium.

Cauſæ reſtitutarum artium.

Digitized by Google

Ergo ab Hebræis harum duntaxat artium doctrina orta & culta eſt?

Non ſolùm harum artium, ſed & reliquarum omnium. Nam apud primos parentes Grammatica & Rhe-
Logica. *torica naturalis fuit: & purioris Logicæ uſus & exercitatio fuit (ut Euſebius autor eſt) in explicatione hiſtoriarum, in canticorum & poëmatum compoſitione, in ænigmatum enodatione. Et ſanè Exod. 28. quid aliud profitetur illud pectorale in ſacerdotis pectore, non ſolùm auro & gemmis, ſed duabus illuſtribus notis Vrim & Thumim diſtinctum & ornatum? Vrim nempe ſignificat ſplendorem mentis lucemq; ad cogitandum & perſpiciendum: Thumim ordinis accurationem & perfectionem ad integrè incorrupteq; iudicandum. Vnde & pectorale ipſum à Moſe Choſen, id eſt, iudicij λογεῖον appellatur. Itaq; per Vrim & Thumim ueluti perfectas abſolutæ ſapientiæ uias, petita oracula in ſa-*
Phyſica. *cris literis memorantur. Quod uerò ad Phyſicam & huic cõiunctam Medicinam attinet, minimè dubium eſt ſecundùm Euſebium, eas à primis quoq; parentibus eſſe deriuatas. Videmus ſanè primos patres dono ſanandi præditos fuiſſe: Idem dicere licet de Matheſi, cuius primi autores & ſacris & prophanis literis abundè teſtati ſunt. Sic Ioſephi teſtimonio lib 1. cap. 3. Sethus, ſic ab eodem cap 8. & à Beroſo Abrahamus mirificè præ-*
Ethica. *dicatur. Deniq; Ethica doctrina nihil aliud apud eoſdem fuit, quàm ſchola uirtutis quædam domeſtica & paterna,*

Digitized by Google

paterna, cuius reliquiæ in Solomonis & Siraci libris collectæ ſunt. Quin & iuriſprudentia, quæ Ethicæ propago eſt, penes ſacerdotes Hebraicæ gentis fuit, ſicut à Moſe iudices & certa forma iudiciorum & totius gubernationis Politicæ mirificè conſtituta eſt. Deniq; nominatim Exodi cap. 31. Deus ipſe artificas uariarum artium in Hebraica gente ſingulari ἐνθουσιασμῷ, ſapientia ſua & donis inſtruit: ſicut ipſe deinceps artes per artifices heroicis ingenijs præſtantes ſemper conſeruauit. Atq; hæc de artium origine. *Mechanica.*

Quæ'nam ſunt appellationes artium? *II. Appellatio.*

Artis & ſcientiæ quędam differentia eſt, ut Ariſt. 6. Ethicorum tradit, ubi ars fabrorum & operarum, prudentia actionũ, ſcientia cõcluſionum, intelligentia principiorum, ſapiẽtia primarum cauſarum efficitur, ſicut & lib. 1. Prior. cap. 26. At hæc uocabula in uero & cõmuni uſu ſignificationem communem & generalem habent: diſcrimina eorum ab otioſis in ſchola hominibus temerè diſtincta ſunt: res, uſus, ueritas alia eſt: & Ariſtot. lib. 1. Metaphyſic. cap. 1. artem & ſcientiam pro eodem ſumpſit: ſicut & nos faciemus. Nam qui ad differentiam Scientiæ & Artis afferũt, quòd in phyſicis aut alijs artibus præcepta ſint, ut plerunq;, non ſemper: illi magnoperè errant: Neq; enim in phyſicis ullum Platonis tempore præceptum fuit, quod nõ hodie uerum ſit. Idem in Medicina & qualibet alia diſciplina, cuius uel

uſus coniecturalis eſſe poßit, ars tamen tota eſt neceſſaria & ἐντεχνικός.

III. Diſtributio.

Quottuplex ergo eſt Ars?

Duplex. *Generalis & ſpecialis.*

Quas uocas Generales?

Duæ *ſunt uniuerſæ et generales homini dotes à Deo attributæ, Oratio & Ratio, Λόγος: harum ergo doctrinæ etiã generales & quaſi inſtrumẽtariæ ſunt, quas Cicero in Partitionibus adminiſtras Sapientiæ uocat.*

Quot artes uerſantur circa Orationem?

Oratio duplex eſt: Pura, circa quam Grammatica: & Ornata, quæ duplex eſt: Soluta, ἄμετρος, circa quam Rhetorica: & Ligata, ἔμμετρος, circa quã Poëtica uerſatur.

Quæ'nam uerſatur circa Rationem?

Logica, quæ in Metaphyſ. lib. 1. cap. 1. omnium artium καθολικωτάτη efficitur. Eſt enim περὶ τὸ ὂν καὶ μὴ ὄν, ut nominatim Ariſtoteles profitetur in philoſophia lib. 4. cap. 1. & inſcriptio Logicæ Ariſtoteleæ id indicat, qua dicitur ὄργανον ὀργάνων καὶ φιλοσοφίας χείρ.

Quæ'nam ſunt Speciales?

Quæ ab illis generalibus & uniuerſis, uelut inſtrumentis ſunt effectæ, et quarum illæ ſuperiores ſunt adminiſtræ.

Quottuplices ſunt illæ?

Duplices. *Nam aliæ circa Naturam rerum, aliæ circa Mores uerſantur.*

Digitized by Google

Quæ'nam uerſantur circa Naturam rerum?

Duæ. Vna circa rerum Quantitatem ut Mathematica, altera circa qualitatem, ut Phyſica.

Quot ſunt Mathematicæ artes?

Duæ. Vna circa numerum, ut Arithmetica, altera circa magnitudinem, menſuram & lineamenta, ut Geometria. Sub illa comprehēditur Logiſtica: ſub hac Geodæſia, Radius, Dioptra Hipparchi, Regulæ, Armillæ, Aſtrolabiū Ptolemæi, Torquetam Regiomontani, Vmbrarum menſura, &c. Item huc pertinent Coſmographia & Geographia, Mechanica & Organica, τρωτοματοποιϊκὴ, ἰσοῤῥοπικὴ de ponderum æquilibrio, τακτικὴ ars militaris, architectura.

Quot ſunt Phyſicæ artes?

Plures ſunt. Nā Qualitates ſunt uel Senſuū, uel Corporū. Circa qualitates ſenſus audiēdi, eſt Muſica: uidēdi Optica. Corpora aūt ſunt uel ſimplicia, ut Aſtra, circa quæ Aſtrologia: et Elemēta, circa quæ Phyſiologia. Vel Cōpoſita: eaq; tū Imperfecta, circa quæ Meteorologia: tū Perfecta, circa quæ Pſychologia et Hiſtoria animaliū. Ad Aſtrologiā referuntur Sphæra, μετεωροσκοπικὴ, γνωμονικὴ. Ad Phyſiologiā, Agricultura et Medicina.

Cur Muſicam, Opticam, Aſtrologiamq; Phyſicæ ſpecies facis, an'non illæ Mathematicæ ſunt?

Non ignoro Proclum lib. 1. cap. 12. & 13. illas Matheſi ſubijcere: ſed eius partitio planè falſa eſt. Muſica

enim nō docet doctrinam numerorum, ſed genera, differentias, rationes & proportiones ſonorum. Optica autem lucidum, umbroſum: rarum, denſum, ſibi proponit, quæ qualitatum phyſicarum & ſenſibilium principes ſunt. Neq; Aſtrologia docet quantitatis doctrinam in linea, ſuperficie, corpore: ſed naturam & effectionē corporum cœleſtium: quæ non modò pars eſt Phyſicæ, ſed prima ſummaq; pars: imò reliquarum omnium partium longiſsimè princeps & domina, earumq; cauſas, principia, uiciſsitudines, ortus, interitus, mutationesq; ſuo ſinu gremioq; complexa. Atq; hæc omnia Ariſtotele autore, qui libro 2. Phyſic. cap. 2. Aſtrologiam, Opticam & Harmonicam φυσικώτερα *appellat, uel potius Mathematis contraria: quia Geometria lineam quidem phyſicam conſiderat, ſed Geometricè: Phyſica autem Geometricam lineam, ſed Phyſicè.*

Quid ſentis de diuiſione artium in contemplatiuas, actiuas & effectiuas?

Hæc differentia leuicula eſt & inanis. Omnis enim ars præceptis conſtat (quorum eſt contemplatio & ſcientia) & uſu ſeu praxi.

Quǽ nàm artes uerſantur circa Mores?

Vna tantum, Ethica ſcilicet, quæ & ipſa generalis eſt & Politicam & Oeconomicam. Et huc pertinent, Iuriſprudentia, Hiſtoria, & Theologia, quæ nihil aliud eſt, quàm diuina Ethica.

Cum

Cum hactenus de origine, appellatione & diuiſione artium dixeris, defini mihi eas ordine?

Grammatica eſt ars benè loquendi.
Rhetorica eſt ars benè dicendi.
Dialectica eſt ars benè diſſerendi.
Arithmetica eſt ars benè numerandi.
Geometria eſt ars benè metiendi.
Muſica eſt ars benè canendi.
Optica eſt ars benè cernendi.
Aſtrologia eſt ars benè diuinandi.
Ethica eſt ars benè uiuendi: ſicut & Theologia.
Politica ars benè gubernandi.
Oeconomica ars benè diſpenſandi.
Medicina ars benè medendi.
Iuriſprudentia ars iuſti & æqui.

Hæc tractatio de origine, diſtinctioneq́; artiũ, magnam artibus lucem, claramq́;, ſi quando re uera extiterit, eſt allatura. Vt autem exiſtat aliquando, eruditorum præclaris artibus hominum ingenia contendent atq; elaborabunt.

TYPVS PHILOSOPHIAE.

- **Philoſophia eſt ſcientia rerũ diuinarum & humanarum: Eius**
  - *Inſtrumenta ſunt artes generales, circa*
    - **Orationem**
      - *Puram.* Grammatica.
      - **Ornatam &**
        - *Solutã.* Rhetorica.
        - *Ligatam. Poetica.*
    - **Rationem, Logica, ſub qua Metaphyſica.**
  - *Partes ſunt artes, ſpeciales: quæ uerſantur uel circa*
    - *Naturã rerum, hoc eſt circa rerum*
      - *Quantitatem ut Mathematica, circa*
        - *Numerũ, Arithmetica.*
        - *Menſuram, Geometria.*
      - *Qualitatẽ ut Phyſica: circa Qualitates*
        - *Senſuũ*
          - *Audiendi, Muſica.*
          - *Videndi. Optica.*
        - *Corporũ*
          - *Simpliciũ ut*
            - *Aſtrorũ, Aſtrologia.*
            - *Elementorum, Phyſiologia.*
          - *Cõpoſitorum*
            - *Imperfectorum, Meteorologia.*
            - *Perfectorum. Pſychologia*
    - **Mores, ut Ethica** *cuius ſpecies*
      - Oeconomica.
      - Politica.

Summa-

Summaria Diſtributio quæſtionum in Organum.

- In Dialectica duo conſid.
  - Præcepta, quorum duæ ſunt partes
    - Inuentio. Argumenta aūt ſunt, uel
      - Artificialia
        - Prima
          - Simplicia
            - Conſentanea
              - Abſolutè
                - Cauſa 1.
                - Effectus 2.
              - Modo quodam
                - Subiectū 3.
                - Adiunctum 4.
            - 5. Diſſentanea
              - Diuerſa
              - Oppoſita
                - Diſparata
                - Contraria
          - 6. Comparata
            - Quātitatis
              - Paria
              - Imparia
                - Maiora
                - Minora
            - Qualitatis. Similia & diſsimilia.
        - Orta à primis
          - 7 Nomen
            - Coniugata
            - Notatio.
          - 8 Diſtributio
            - Totum, Pars, Partitio.
            - Genus, Species, Diuiſio.
          - Definitio 9.
      - In artificialia. Teſtimonium. 10.
    - Iudicium
      - Axiomaticum in Enunciato. A
      - Dianoëticum in
        - Syllogiſmo B
        - Methodo C
  - Vſus in Analyſi & Geneſi.

- A In Enuntiato conſider.
  - 1. Partes
    - Antecedens
    - Conſequens
  - 2.
    - Affectiones
      - 1. Affirmatum uel negatum. Vnde Contradictio.
      - 2.
        - Verum
          - Cõtingens. Opinio
          - Neceſſarium. Scientia
        - Falſum & Impoſsibile
    - Species
      - Simplex
        - Generale.
        - Speciale.
      - Compoſitum
        - Copulatum
        - Connexum
        - Diſcretum
        - Diſiunctum
- B. In ſyllogiſmo conſider.
  - 1. Partes
    - Antecedens
    - Conſequens
  - 2.
    - Affectio κρίσις
    - Species eſt enim uel
      - Simplex.
      - Compoſitus
        - Connexus.
        - Diſiunctus.
- C. Methodus eſt uel
  - Perfecta, cuius perpetua lex à Generalibus ad ſpecialia.
  - Imperfecta κρυπτικὴ
    - Mutila
    - Redundans
    - Inuerſa.

Ethica

Summa Decem librorum Ethicorum.

- *Natura hoc eſt in*
  - Genere
    - *Cauſæ* — *Lib.2.*
    - *Subiectum* — *Lib.2.*
    - *Definitio lib.2. & 3.*
  - *Specie Species. Nam alia eſt*
    - *Perfecta eaq; uel*
      - *Ethica, quæ refertur uel ad*
        - *Habentem, quæ eſt uel in*
          - *Actionibus circa*
            - Confidentium. *Fortitudo* — *Lib.3.*
            - *Voluptatem*
              - Corporis. *Temperantia* — *Lib.3.*
              - *Animi ex*
                - Diuitijs
                  - *Liberalitas.* — *Lib.4.*
                  - *Magnificentia.* — *Lib.4.*
                - *Honoribus.*
                  - *Magnanimitas.* — *Lib.4.*
                  - *Cupiditas honorum.* — *Lib.4.*
                - *Conuerſatione, ratione*
                  - *Iræ, Clementia.* — *Lib.4.*
                  - Ὁμιλίας
                    - *Veritas.* — *Lib.4.*
                    - *Vrbanitas.* — *Lib.4.*
                    - *Popularitas.* — *Lib.4.*
          - *Perturbationibus*
        - *Alios, ut Iuſtitia lib.5.*
      - *Dianoëtica, ut prudentia lib.6.*
    - *Imperfecta, ut Tolerantia & Continentia lib.7.*
- *Adiuncta duo*
  - *Amicitia lib.8. & 9.*
  - *Voluptas lib.10.*

Sum-

Summa trium librorum de officijs.

- In Conſilijs capiendis quæritur
  - I. An ſit
    - Honeſtum quod tractatur Lib. 1. uel
      - Simpliciter cũ inquiritur eius
        - Cauſa efficiens. Natura
        - Species
          - Prudentia.
          - Iuſtitia
            - Species
              - Vrbana.
              - Bellica.
            - Liberalitas.
          - Fortitudo
            - Publica
              - Vrbana
              - Bellica
            - Priuata
              - Philoſophica
              - Oeconomica
          - Temperantia: ubi multa de Decoro
      - Comparatè
    - Vtile, quod tractatur lib. 2.
      - Simpliciter & eius
        - Partitio utilitas enim eſt uel ex
          - Inanimatis
          - Animatis præcipuè ex hominibus: qui conciliantur
            - Beneuolentia
            - Fide
            - Honore
            - Beneficentia
              - Pecunia
              - Opera.
        - Præcepta à Panætio omiſſa de
          - Valetudine.
          - Re familiari.
      - Comparatè.
  - II. De cõparatione Honeſti & Vtilis, de qua lib. 3. tractatur p
    - Formulam
    - Poſtulatam.

PRIMVM VOLVMEN CONTINENS,

ΤΑ ΕΩΘΙΝΑ: HOC EST, Matutinas Quæſtiones: ſeu Organum:

ARISTOTELIS LEGIBVS *conformatum, & ad uſum benè diſſerendi accommodatum: deniq; exemplis Poëtarum illuſtratum.*

Cui ſubiuncta eſt,

Aliquot orationum Ciceronianarum Analyſis, in qua uſus Logicæ euidentiſsimè oſtenditur, unà cum locis Ethicis & Politicis: qui ueram minimeq; ſimulatam, ſed humanæ uitæ accommodatam philoſophiam ualde illuſtrant.

Digitized by Google

PLATO LIB. VII. DE REP.

Vtrum igitur tibi placet Dialecticam ſic ſuſuper omnes diſciplinas collocari, ut θριγκὸς, id eſt, lorica ſtructuris ſummis mœnium parietumq; ſuperſtruitur, ita ut aliam iure nullam artem faſtigij loco ſuperioremq; ponere debeamus? Mihi ita placet.

CICERO I. DE FIN.

Dialectica eſt regula quaſi de cœlo delapſa ad cognitionem omnium: ad quam omnia iudicia rerum dirigantur. Qua ſeruata, nunquàm ullius oratione uicti ſententia deſiſtamus.

P. RAMVS.

Logica mihi propoſita eſt rationis tranquillæ & pacatæ diſciplina, quæ me doceat in me & meos errores inquirere: habere gratiam ijs qui meliora & ueriora doceant. Et hoc humanitatis & ueræ philoſophiæ fundamentum eſſe mihi perſuaſi.

Digitized by Google

EPITOME ORGANI ARISTOTELIS.

LIBER PRIMVS.

Quid eſt Logica?

EST *ars benè diſſerendi.* ἐστὶ μέθοδος ἀφ' ἧς δυνησόμεθα διαλέγεσθαι περὶ παντός. *Lib.1. Topic.cap.1.*

Cur addis, Benè?

Quia omnium artium eſt aliquod ſummum bonum & finis extremus, ut Grammaticæ benè loqui: Rhetoricæ benè dicere: Logicæ benè diſſerere. Et Ariſtoteles lib.1.Topic.cap.2.docet diſciplinam τελέως ἔχειν, *tanquam diceres finaliter habere, quando præſtatur quod artis uiribus continetur,* τῷ ἐκ τῶν ἐνδεχομένων ποιεῖν ἃ προαιρούμεθα. *Nam neque orator ſemper perſuadet, neque medicus curat: ſed ſatis eſt ſi earum rerum quæ arte continentur, nihil prætermittat.*

Quottuplex eſt utilitas Dialecticæ?

Multiplex. Valet enim ad exercitationes, ad colloquia, ad philoſophicas artes & diſciplinas. Cùm enim ſit ratio perſcrutatrix, ad omnium diſciplinarum principia uiam aperit munitq; χρήσιμος ἐστι πρὸς γυμνασίαν, πρὸς ἐντεύξεις, πρὸς τὰς κατὰ φιλοσοφίαν ἐπιστήμας. ἐξεταστικὴ γὰρ οὖσα, πρὸς τὰς ἁπασῶν τῶν μεθόδων ἀρχὰς ὁδὸν ἔχει. *Lib.1,Top.cap.2.*

Quot ſunt conſid. in Dialectica?

Duo. Præcepta & Vſus. In præceptis partes conſiderandæ ſunt: In uſu, Analyſis & Geneſis.

DE PARTIBVS DIALECTICÆ.

Quot ſunt partes Dialecticæ?

Duæ. Inuentio τοπικὴ: & Diſpoſitio ſeu Iudicium, Ἀνάλυσις. Quicquid enim ab Ariſtotele Logicum præcipitur in toto Organo, præcipitur de argumentis & argumentorum iudicio. Sic lib. 8. Topic. cap 1. ait neceſſe eſſe primò locum inuenire: ſecundò diſponere: tum dicere ad alterum. Quorum duo priora ad Logicam pertinent, tertium uel ad Grammaticam, uel ad Rhetoricam. Idem ferè ait libro 1. Prior. cap. 33. ubi totius hypotheſis Logicæ tres facit partes γένεσιν, εὕρεσιν, ἀνάλυσιν. Sed Reſolutio ſeu ἀνάλυσις illa communis eſt & inuentionis & iudicij meditatio. Et huic bipartitæ diuiſioni dialecticæ aſtipulatur Adraſtus interpres Ariſtoteles, qui itidem duas Organi partes fecit, Inuentionem & Iudicium. Ad illam referebat Topica & Categorias Topicis præpoſitas (quas ideo τὰ πρὸ τοπικῶν nominabat) Ad hanc referebat ἑρμήνειαν & utranque Analyſin: Elenchos reſeruabat ad utriuſque partis uitia.

DE INVENTIONE.

Quid eſt Inuentio?

Eſt pars Dialecticæ de inueniendis argumentis.

Quid

Quid eſt Argumentum?

Quod ad aliquid arguendum effectum eſt.

Quæ'nam ſunt eius apud Ariſtotelem appellationes?

Variæ. Dicitur enim 1. κατηγόρημα *prædicabile.* 2. ἀρχὴ *principium.* 3. στοιχεῖον *elementum.* 4. μέσον *medium.* 5. ὅρος *terminus.* 6. λόγος *ratio.* 7. πίστις *probatio ſeu fides.*

Quomodo diuiditur argumentum?

In Artificiale & Inartificiale. Artificiale eſt primum uel à primo ortum. Primum eſt ſimplex aut comparatum. Simplex eſt conſentaneum aut diſſentaneum. Conſentaneum eſt abſolutè, aut modo quodam cōſentaneum. Abſolutè ut Cauſa & Effectum.

Cur diuidis in Artificiale & Inartificiale.

Quia ſic Ariſtoteles diuidit lib. 1. cap. 2. ad Theodecten, & cap. 8. in Rhet. ad Alexand. Sic & Cic. diuiſit in dialogis oratorijs, in partitionibus, in Topicis. Sic & Quint. li. 5. ca. 1.

Cur deinde diuiſiſti in primum & à primo ortum?

Quia quorundam argumentorum conſideratio prima eſt, ut cauſarum, effectorum, &c. quædam ex illis tanquam fontibus primis deriuantur: ut Porphyrius quoq; in principio innuit qui generis, ſpeciei, differentiæ, proprij, accidentis cognitionem ad definitionem, diuiſionemq́; conducere ait.

Cur conſentaneum aliud abſolutè, aliud modo quodam dicis?

Quia ſic Ariſtoteles diſtinguit lib. 1. Poſt. cap. 7.

Digitized by Google

Quot ſunt igitur in uniuerſum Topicæ inuentionis, Categoriæ ſeu Loci?

Decem. Cauſa, Effectus, Subiectum, Adiunctum, Diſſentanea, Comparata, Nomen, Diſtributio, Definitio, Teſtimonium. Quorum in Organo aliâs quinque fiunt, ut in Porphyrij Categorumenis: aliâs decem, ut in Categorijs. Aliâs ea uocantur, quæ dicũtur de aliquo, aut ſubijciuntur aut utrunque ut lib.1 Prior. cap. 28. Aliâs deniq; Inſtrumenta dicuntur, ut lib.1. Top. cap.11.

I. CAVSAE.

Cur cauſas primo loco ponis?

Quia primus hic locus inuentionis, fons eſt, unde omnis humanæ ſcientiæ ſolida conſtansq́; cognitio demonſtratioq́; depromitur. Tum enim uerè proprieq́; ſcire iudicamur, cum rei cauſam propter quam res eſt & propriam ſcimus. Ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς, ὅταν τὴν αἰτίαν οἰώμεθα γιγνώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν, ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί. *Lib.1. Poſt. cap.2 Vnde Ariſtoteles ſcientiam definit ex cauſis æternis & proprijs, eamq́; uocat* διότι καὶ διὰ τί, *ſecus è cæteris cauſis & quibuſuis alijs argumentis, ſcientiam ait gigni ſecundariam, quæ dicitur* ὅτι. *Cùm ergo tanta cauſarum præſtantia ſit, meritò à Poëta dicitur:*

Fœlix qui rerum potuit cognoſcere cauſas. Et à Perſio:
Diſcite nunc miſeri & cauſas cognoſcite rerum.

Merito itaq; etiam reliquis argumentis in arte priores ſunt cauſæ. Nam quinq; illi Prioris modi apud Ariſtotelem Categorijs appellati, cauſis conueniunt: ſunt enim priores reliquis

quis tempore, natura, ordine, dignitate, cauſa.

Quid ergo eſt cauſa?

Cuius ui res eſt.

Quas appellationes habet apud Ariſtotelem?

Dicitur αἰτία & αἴτιον, ἀρχὴ, στοιχεῖον, φύσις, οὐσία, *id eſt, cauſa, principium, elementum, natura, eſſentia. Sed duobus poſtremis etiam res tota ſuis cauſis cõſtituta ſignificatur.*

Vbi agit Ariſtoteles de cauſis?

Cauſarum uelut Oceanus in omnes Ariſtotelis libros eſt effuſus. Tractantur enim generaliter totis ferè poſterioribus Analyticis, ſed præcipuè lib. 2. Poſt. cap. 11. 12. 13. 17. Item in Topicis ſæpius: deniq; in duobus primis libris Phyſicæ, &c.

Quot ſunt genera cauſarum?

Quatuor. *Efficiens, Materia, Forma, Finis. Lib 2. Poſt. cap. 11. Cauſæ, inquit, ſunt 4.* αἰτίαι τέσσαρες: μία μὲν τὸ τὶ ἦν εἶναι, μία δὲ τὸ τίνων ὄντων ἀνάγκη τοῦτ᾽ εἶναι. ἑτέρα δὲ ἥ τι πρῶτον ἐκίνησε. τετάρτη δὲ τὸ τίνος ἕνεκα.

EFFICIENS.

Quid eſt efficiens?

Eſt cauſa à qua res eſt.

Quot modis diuiditur?

Tribus. I. In procreantem & conſeruantem. II. In ſolitariam, ſeu abſolutam & adiuuantem. III. In efficientem per ſe & per accidens.

Da exempla primi generis.

Otium eſt cauſa multorum malorum. Unde Ouid.

Otia ſi tollas periêre cupidinis arcus,
Contemptæq; iacent & ſine luce faces.

Hæc ut ames faciunt: hæc quæ fecère tuentur:
Hæc ſunt iucundi cauſa cibuſq; mali.

Da exempla ſecundi generis?

Horatius cauſam mundanæ felicitatis abſolutam, pecuniam dicit:

Scilicet uxorem cum dote, fidemq; & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat:
Et benè nummatum decorat ſuadela, Venuſq;.

Sic Martialis libro quinto cauſam oſtendit cur ueteres nouis præferantur:

Eſſe quid hoc dicam uiuis quòd fama negatur?
Et ſua quòd rarus tempora lector amet?
Hi ſunt inuidiæ nimirum Regule mores:
Præferat antiquos ſemper ut illa nouis.

Idem lib. 10. colligit cauſas beatæ uitæ:

Vitam quæ faciunt beatiorem
Iucundiſsime Martialis hæc ſunt
Res non parta labore, ſed relicta,
Non ingratus ager, focus perennis:
Lis nunquam: toga rara, mens quieta:
Vires ingenuæ, ſalubre corpus:
Prudens ſimplicitas: pares amici:
Conuictus facilis, ſine arte menſa:
Nox non ebria: ſed ſoluta curis:
Non triſtis thorus, attamen pudicus
Somnus qui faciat breues tenebras:
Quod ſis eſſe uelis, nihilq; malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Quæ'nam

Digitized by Google

Quæ'nam ſunt ſpecies tertij generis?

Ariſtoteles lib 3. Ethicorum cauſas 4. enumerat, Naturam, Mentem, Neceſsitatem, Fortunam: quorum duæ priores per ſe efficiunt: poſteriores duæ per accidens.

MATERIA.

Quid eſt Materia?

Eſt cauſa ex qua res eſt: ſeu ut Ariſtoteles libro ſecundo Phyſ. cap. 3. ἐξ ὃ γίγνεται τὶ ἐνυπάρχοντος, *ex quo fit aliquid, cum inſit.*

Quæ'nam ſunt eius appellationes apud Ariſtotelem?

Vocatur ab eo ὕλη *materia aliquando* ἀνάγκη *neceſsitas, quòd ea neceſſariò concludatur, non abſoluta quidem neceſsitate, ſed* ἐξ ὑποθέσεως: *quia ſi res ſit, materiam eſſe neceſſe eſt. Lib. 2. Poſt. cap. 11.*

Da Exemplum Materiæ?

Virg. lib. 1 Georg.

Deucalion uacuum lapides iactauit in orbem,
Vnde homines nati durum genus.

FORMA.

Quid eſt Forma?

Eſt cauſa per quam res eſt quod eſt: ideoq; hinc à cæteris rebus diſtinguitur, τὸ τί ἦν εἶναι *dicitur. Lib. 2. Poſt. cap 11.*

Quot ſunt eius officia?

Duo: Rem formare, & eam Diſtinguere à cæteris rebus.

Digitized by Google

Hæc utilitas duplex proponitur lib.1.Top.cap:14. καὶ πρὸς τὸ γνωρίζειν τί ἐστιν ἕκαστον, ad cognoſcendum quid ſit unumquodq;: & ad r tionem ταυτοῦ καὶ ἑτέρου eiuſdem & diuerſi Priore ratione deſcribitur τὸ τί ἦν εἶναι, quod quid erat eſſe lib.1.Poſt.cap.11. ideoq; à Porphyrio uocatur, εἰδοποιὸς, συμπληρωτικὴ, συστατικὴ, ſpecifica, completiua, conſtitutiua. Rationis ſecundæ utilitas deſcribitur à Porphyrio διαιρετικὴ, quia ſpecies generis alias ab alijs diuidit & diſtinguit: & tum propriè appellatur διαφορὰ differentia, & ſic hoc nomen ὁμοιότητι ſimilitudini opponitur lib. 1. Topic. cap.11. & 14.

Da exemplum.

Quo moriare loco, nil refert: ad Iouis aulam
A' terra ſpacium ſemper habebis idem.

FINIS.

Quid eſt finis?

Eſt cauſa cuius gratia res eſt. Ariſtoteles uocat τὸ τίνος ἕνεκα libro 2.Poſt.cap. 11. Et ad hunc locum pertinet axioma quod eſt libro 1.Poſt.cap.2. δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει. Propter quod eſt unumquodq; tale, illud magis.

Da exemplum.

Horat.contra Auaritiam.

Neſcis quid ualeat nummus, quem præbeat uſum?
Panis ematur, olus, uini ſextarius. ——

Idem contra idem uitium.

Quò mihi fortuna, ſi non conceditur uti?

Et huc pertinet inſignis ſententia Aeſchinis Oratoris, *cur ſententias*

Digitized by Google

ſententias Poëtarum in pueritia diſcamus. Διὰ τοῦτο οἶμαι, inquit, ἡμᾶς παῖδας ὄντας τὰς τῶν ποιητῶν γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν᾽ ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα. Quam Aeſchinis autoritatem ideò adduxi, ut illa me defendam contra quoſdam, qui in nos clamant ideò etiam quod in Organo explicando exemplis poëtarum utar: quaſi uerò mihi eo uti nefas ſit, quo D. Paulum illum ter Max. uti non puduit: Quod ſi iſti meminiſſent, quot in locis Iuſtinianus Imp. poëtarum autoritate etiam in iure ipſo uteretur, tam impudenter ſuis clamoribus in nos non irruiſſent.

II. EFFECTA.

Quid eſt effectum?

Quod è cauſis exiſtit. Ab Ariſtotele uocatur αἰτιατὸν in philoſophia.

Vbi de hoc topico tractat Ariſtoteles?

In Categorijs cap. de Actione, & cap. de Motu. Nam forma naturalis cauſa eſt omnium motuum, facitq́ ut res naturales generentur, corrumpantur, augeantur, minuantur, alterentur, loco moueantur. Cuius rei doctrina penè ſex totos extremos Phyſicæ auſcultationis libros, nomine Motus occupauit. Quòd autem motus doctrina Logica ſit non Phyſica, oſtendit Ariſtoteles lib. 3. cap. 3. Phyſ.

Da exemplum.

Horatius libro primo epiſt. cum aliquot èbrietatis cauſas narraſſet, ut curas omnes abijcere, cõuiuio ſplendido intereſſe, optima uina effusè & largè potare: ebrietatis effecta ſeptẽ ſubiungit.

Digitized by Google

ſubiungit, quæ ſunt arcani ſignificatio, ſpes, audacia, gaudiũ, opinio doctrinæ, garrulitas profuſio. Ait enim:

——Potare & ſpargere flores
Incipiam, patiarq; uel inconſultus haberi.
Quid non ebrietas deſignat? operta recludit,
Spes iubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem,
Solicitis animis onus eximit, ac docet artes:
Fœcundi calices quem non fecêre diſertum?
Contracta quem non in paupertate ſolutum?

Huc quoq; eleganter conuenit epigramma Virgilij de effectis Veneris & Vini: quod infrà habes in Exotericis.

Atque hæc eſt conſentaneorum Categoria, unde quiduis alteri conſentaneum uel idem dici poſſit, omnesq; modi (ut ita dicam) identitatis (qui ſunt lib. 1. Topic. cap. 6. & toto 7. Topic.) huc ſunt tanquam ad primos & ſimplices fontes referendi.

III. SVBIECTVM.

Quid eſt Subiectum?

Cui aliquid adiungitur.

Quæ nam ſunt eius appellationes in Organo?

A' Porphyrio aliquando, ſed impropriè uocatur ſpecies: aliquando ὑποκείμενον ſubiectum. Ariſtoteles in Categorijs appellat ſubſtantiam. Et huc pertinet categoria Vbi ſeu Locus.

Da exemplum?

Propertius.

Nauita de uentis, de tauris narrat arator,

Enume-

Digitized by Google

Enumerat miles uulnera, paſtor oues.

Ouidius:

Scit benè uenator ceruis ubi retia ponat,
Scit benè qua frendens ualle moretur apes.
Aucupibus noti frutices qui ſuſtinet hamos
Nouit quæ multo piſce natentur aquæ.

IIII. ADIVNCTVM.

Quid eſt Adiunctum?

Cui aliquid ſubijcitur. Huc pertinent phyſiognomenica & prognoſtica phyſicorum de uentis & pluuijs: item σημειωτικὴ medicorum de ſignis morbi & ſanitatis. Item huc pertinent categoriæ, Quando ſeu Tempus, Quantitas, Qualitas, Paſsio, Habitus.

Quæ'nam ſunt eius appellationes apud Ariſtotelem?

Dicitur in Organo συμβεβηκὸς accidens, πάθος, πάθημα, affectio: ἴδιον, proprium. In Rhetoricis περίστασις circumſtantia.

Da exemplum?

Exempla adiunctorum propriorum ſunt in Ouidij Philomela. Communia adiuncta habet Martialis de Zoilo.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

V. DISSENTANEA.

Quæ'nam eſt ſecunda Categoria?

Eſt diſſentaneorum. Et huc pertinent axiomata illa, τὸ ἀντικείμενον

ἀντικείμενα ἅμα τῇ φύσει: oppoſita ſunt ſimul natura. Diſ-ſentanea enim ſunt æquè manifeſta, alterum'q; ab altero æ-qualiter arguitur. Lib. 5. Top. cap. 2. & lib. 6. cap. 3. Item πα-ράλληλα τὰ ἐναντία μάλιστα φαίνεται. Contraria iuxta ſe poſita, magis apparent. Lib. 3. Rhet. cap. 2 & 17.

Quottuplicia ſunt Diſſentanea?

Duplicia Diuerſa & Oppoſita.

Quid ſunt Diuerſa?

Sunt diſſentanea, quæ ſola ratione diſſentiunt.

Quæ'nam ſunt eorum Notæ?

Non hoc, ſed illud. Quanquàm tamen.

Da exemplum.

Ouid. *Nec leuis ingenuas pectus coluiſſe per artes*
Cura ſit, & linguas edidiſſe duas.
Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes,
Et tamen æquoreas torſit amore Deas.

DISPARATA.

Quid ſunt Oppoſita?

Sunt diſſentanea quæ ratione & re diſſentiunt: itaque ei-dem attribui, ſecundùm idem, & ad idem, & eodem tempo-re non poſſunt.

Quottuplicia ſunt Oppoſita?

Duplicia: Diſparata & Contraria.

Quæ'nam ſunt Diſparata?

Sunt oppoſita quorum unum multis pariter opponitur. Sic homo, arbor, lapis, inter ſe diſparantur. Item liberalitas, auaritia, effuſio.

CON-

CONTRARIA.

Quid ſunt Contraria?

Sunt oppoſita quorum unum uni tantum opponitur. Sic enim Ariſtoteles ait lib.1.de Cœlo cap.2. & lib.4. Meteoro. cap.6. ἐναντίον ἓν ἑνὶ. *Aduerſum unum uni. Ariſtoteles in Categorijs uocat* ἀντικείμενα *oppoſita.*

Quot ſunt genera Contrariorum?

Quatuor. *Relata, Aduerſa,* Contradicentia, *Priuantia.* πρός τι, ἐναντία, κατάφασις *&* ἀπόφασις, στέρησις *&* ἕξις.

I. Quæ'nam ſunt Relata?

Sunt contraria quorum alterum conſtat è mutua affectione alterius: ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἐστὶ τῶν ἀντικειμένων λέγονται, *ut dicitur in Categorijs cap.*de Oppoſitis.

Vbi de his Ariſtoteles?

Topicum hoc in Organo modò ſit Categoria è decem integra: modò extra categorias ſit ſpecies oppoſitorum.

Quod'nam eſt horum ἀξίωμα?

Ob mutuam illam relationis cauſam, relata dicuntur ſimul eſſe natura, ἅμα τῇ φύσει: *ut habetur in Categorijs cap.*de Simul. *Quod non tantum ad æqualem uim argumenti attinet ſed ad eſſentiæ reciprocationem & affectionem,* ὅτι ἀντιστρέφει κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν. *Hinc relata* πρὸς ἀντιστρέφοντα *dicuntur ab Ariſtotele, id eſt, ad conuertentia.*

Da exemplum.

Viuitur ex rapto non hoſpes ab hoſpite tutus:
Non ſocer à genero: fratrum quoq; gratia rara eſt:
Imminet exitio uir coniugis, illa mariti:
Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.

Filius

Filius ante diem patrios inquirit in annos:
Victa iacet pietas.——

II. Quid ſunt aduerſa

Sunt contraria, quæ inter ſe uelut è regione perpetuò aduerſantur: τὰ πλεῖστον ἀλλήλων διεστηκότα τῶν ἐν τῷ αὐτῷ γένει: *ut eſt in* Categoria Quantitatis. *Virgil.*

Nulla ſalus bello pacem te poſcimus omnes.

III. Quid ſunt contradicentia?

Sunt contraria quorum alterum negat ubiq;.

Vbi de his Ariſtoteles.

Poſt categorias fecit ſpeciem oppoſitorum, totiq; ferè duo libri de interpretatione hîc conſumuntur. In ſecundo Priorum cap.10. tota ſunt de ſyllogiſmi poteſtate è contradicentibus. Quin & in Categorijs *cap.10 contradicentium lex tradita eſt, quòd in his ſolis neceſſe ſit, alterum uerum, alterum falſum eſſe:* ἐπὶ μόνων τῶν ἀντιφατικῶν ἀναγκαῖον ἀεὶ τὸ μὲν ἀληθὲς, τὸ δὲ ψευδὲς αὐτὸν εἶναι. *Hîc igitur proprium factum eſt* ἀντιφάσεως *axioma, Quidlibet affirmare aut negare uerum: ut eſt lib. 1. Poſt. cap. 1.*

Da exemplum?

Martialis: bella es, nouimus: & puella, uerum eſt.
Et diues: quis enim poteſt negare?
Sed dum te nimium, Fabulla, laudas,
Nec diues, neq; bella, nec puella es.

IIII. Quid ſunt Priuatio?

Sunt contraria, quorum alterum negat in eo tantùm ſubiecto, in quo affirmatũ ſuapte natura ineſt. Atq; hîc affirmatũ dicitur habitus negatum autem priuatio. Καθόλου δὲ περὶ ὃν ἂν πέφυκεν ἡ ἕξις γίγνεσθαι, περὶ τοῦτο λέγεται ἑκάτερον αὐτῶν γίνεσθαι. *In* Categorijs *cap. de* Oppiſitis.

Da

Da exemplum?

Martialis. *Semper eris pauper, ſi pauper es Aemyliane,*
Dantur opes nullis, nunc niſi diuitibus.

Ouidius.

In precio precium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper ubiq; iacet.

VI. COMPARATA.

Quomodo ab Ariſtotele uocantur?

In Top. lib 1. cap. 4. uocantur συγκρίσεις *: cap. 13.* σύμβλητὰ*: Sæpéq; notis breuius indicantur : aliquando partibus plenius diſtinguuntur, quæ* πρότασις *&* ἀπόδοσις *, propoſitio, redditióq; nominantur.*

Vbi agit de his Ariſtoteles?

Ampliſsimè hic locus propoſitus eſt in categoria quantitatis & qualitatis : latiſsimè uerò in Topicis, præcipuè in libro tertio.

Quottuplex eſt comparatio?

Duplex. Quantitatis & Qualitatis. Quantitas eſt uel parium uel imparium.

PARIA.

Paria ſunt quorum eſt una quantitas.

Quot ſunt eorum notæ?

Nouem. Par, æqualis, æquare, idem quod, tam quam, tantus quantus, tot quot : negatio imparium, ut non magis, non minus.

Da exemplum.

Iuuenal. Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Ouidius:

*Non minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri:
Caſus ineſt illis, hîc erit artis opus.*

Quod'nam eſt horum axioma?

Si parium alterum ſit, reliquum eſt ſin alterum non ſit, reliquum non eſt Lib.2 Top.cap.4. Quin eodem lib.cap.3 *inſtituit è contrarijs* συμπλοκὰς *complexiones, indéq; conſecutionem* ἐπὶ ταῦτα, *ad eadem.*

MAIORA.

Imparia ſunt quorum quantitas non eſt una: ſuntq; uel Maiora uel Minora.

Quæ'nam ſunt notæ Maiorum?

Non ſolùm, ſed etiam: cùm, tum: malo hoc quàm illud: Sæpè etiam ſine his notis tractantur ſecundum illud Ariſtotelis Axioma lib.2.Top.cap.4. Si quod minus uidetur ineſſe, ineſt: *& quod magis Habetq; ſua etiam conſectaria, ſed affirmata tantum & minus ineſſe ſignificat difficilius ineſſe.*

Da exempla.

Virg. O' *paſſi grauiora: dabit* Deus *his quoq; finem.*

Ouid. *Vt corpus redimas ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora leuabis aqua:
Vt ualeas animo quicquam tolerare negabis?
At precium pars hæc corpore maius habet.*

Horat. *Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones:
Vt teipſum ſerues, non expergiſceris?*

MINO-

MINORA.

Quæ ſunt notæ Minorum?

Non ſolum, ſed ne: ante illud, quàm hoc: τὸ paratio Grammatica & negatio parium.

Da exempla.

Iuuen. Rari quippe boni, numero uix ſunt totidem quot
Thebarum portæ, uel diuitis oſtia Nili.

Terent. Satrapes ſi ſiet amator, nunquam ſuffeire hos ſumptus queat, nedum tu poſsis. Maiora uidentur hæc: at facilior ὕπαρξις Ariſtotelis & Axiomatis negatio, minora demonſtrant. Nam eodem lib 2. Top. *cap. 4. minorũ quoq; axioma eſt :* Si *quod magis uidetur ineſſe, non ineſt, neq; quod minus: quod tantum ualet in negando.*

SIMILIA.

Quottuplex eſt comparatio Qualitatis?

Duplex. Similium & Diſsimilium. Similia ſunt, quorum eſt eadem qualitas. Lib. 1. Top. *cap. 14. inter inſtrumenta dialectici refertur ſimilitudo. Græcis* ὁμοιότης *&* ἀναλογία. *Huc pertinent Apologi Aeſopici & Silia Eraſmi.*

Quottuplex eſt Similitudo?

Duplex. Breuis ſeu concluſa uno uerbo: Vel Explicata.

Quæ'nam ſunt notæ breuis ſimilitudinis?

1. Nomina ſimilitudinis, ut ſimilis, talis, idem, effigies, more, inſtar, tanquam, ſicuti. 2. Negatio diſsimilitudinis, haud ſecus, haud aliter.

Da exempla.

Ouid. *Tempora labuntur more fluentis aquæ.*

Idem. *Scilicet ut fuluum ſpectatur in ignibus aurum,*
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

DISSIMILIA.

Quottuplex eſt Diſsimilitudo?

Duplex etiam eſt: Implicata quæ fit ſymbolis ſeu notis uarijs, & Explicata.

Quæ'nam ſunt ſymbola Implicata?

I. Nomina diſsimilitudinis, ut diſsimile, diſpar, differẽs, aliud, ſecus. II. Negatio ſimilium, ut non ſimilis, non talis, non idem, non tanquam.

Quomodo uocatur diſsimilitudinis explicatæ redditio?

Vocatur ἀνταπόδοσις, id eſt, diſsimilis redditio.

Vbi de diſsimilibus Ariſtoteles?

Eodem lib. 1. Topic. cap. 14.

Da exemplum.

Tibul. *Diuitias alius fuluo ſibi congerat auro,*
Et teneat culti iugera multa ſoli.
Quem labor aſsiduus uicino terreat hoſte,
Martia cui ſomnos claſsica pulſa fugent:
Me mea paupertas uitæ traducat inerti,
Dum meus aſsiduo luceat igne focus.

Ex diſsimilibus quoque prima Oda Horatij eſt. Alij gaudent certamine olympico, alij pugilatu, alij honoribus, alij

agricul-

agricultura, alij nauigatione, alij mercatura, alij cõuiuijs, alij militia, alij uenatu: Ego delector poëſi.

Atq; hactenus prima argumenta ſunt expoſita: ſequuntur orta de primis.

Quæ'nam ſunt illa?

Tria ſunt. Nomen (ſub quo Coniugata & Notatio) Diſtributio & Definitio.

VII. CONIVGATA.

Quæ'nam ſunt Coniugata?

Sunt nomina ab eodem principio uariè deducta, ut iuſtitia, iuſtus, iuſtè.

Quæ'nam ſunt eorum apud Ariſtotelem appellationes?

Lib. 2. cap 3. Top. uocat σύςοιχα, item σύζυγα, & πτώσεις caſus. In Categorijs appellat παρώνυμα denominatiua.

Ex quibus argumentis primis ſumuntur?

E' Conſentaneis tantùm. In coniugatis enim ſymbolum eſt conſentaneorum argumentorum. Vt homo ſum, humani à me nihil alienum puto.

Ouidius.

Aurea ſunt uerè nunc ſecula, plurimus auro
Venit honos: auro conciliatur amor.

NOTATIO.

Digitized by Google

Quid eſt Notatio?

Eſt nominis interpretatio. λόγος ὀνόματος*.2.Top.2.*

Quid de hac Ariſtoteles?

Nihil admodum: niſi quòd Interpretatione nomina uocat ſymbola rerum: & diſputat, an nomina rerum naturali quadam ueritate, an uerò κατὰ συνθήκην, *id eſt, hominum arbitrio inſtitutoq́; & lege tantum conſtent.*

Ex quibus argumentis primis ſumitur?

Ex omnibus. Nam nominum uel deriuatorum, uel compoſitorum ratio reddi poteſt ex aliquo argumento primo. Vt homo ab humo. Lucus quia parum lucet. Ludus quia longiſſimè à luſu. Ouid.

Victima quæ dextra cecidit uictrice uocatur:
Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Idem de Aprili quod ab aperiendo ſit dictus,

Nam quia Ver aperit tunc omnia, denſaq́; cedit
Frigoris aſperitas, fœtaq́; terra patet:
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

VIII. DISTRIBVTIO.

Quod ſupereſt ex ortis argumentis?

Supereſt Categoria Diſtributionis & Definitionis, quarum tanta uis & facultas eſt, ut diſciplinarum tractationem penè ſolæ complectantur. Nam qui definierit, diſtribuerit, exemplis illuſtrarit, nihil admodum uidetur habere reliquum in artibus.

Quæ-

Quæ'nam ſunt utriuſq; uitia?

Vitia utriuſq; duo notantur in 2. Poſt. cap. 5. ſi quid in his redandet, ſi quid deſit. Itaq; conuertitur in legitima diuiſione totum cum partibus, in definitione definitum: eſtq; reciprocum & æquale. 2. Poſt. cap 4.

Quid eſt Diſtributio?

Eſt diſtinctio totius in partes. Totum eſt quod continet partes. Pars quæ continetur à toto. Atq; ut diſtinctio totius in partes, diſtributio: ſic collectio partium ad conſtituendum totum, INDVCTIO dicitur.

Quid Speuſippus de Diſtributione?

Is eam damnabat, cui Ariſtoteles reſpondet lib. 1. Prior. cap. 32. & lib. 2. Poſt. cap. 5. & 14.

Quæ'nam eſt legitima Diuiſio?

Quæ fit in duo, Vnde Dichotomia. Nam cum per contraria fieri debeat diuiſio, unumq; uni tantum ſit cõtrarium, neceſſe eſt in duo fieri legitimam diſtributionem.

Quæ'nam ſunt ſpecies Diſtributionis?

Species eius protinus loquuntur parentes unde ortæ ſunt. Eſt enim diſtributio ex conſentaneis uel abſolutè (ubi præcipuè appellatur Totum & Pars) uel quodammodo.

Quomodo ex abſolutè conſentaneis?

Ex cauſis & effectis. Ex cauſis, quando partes ſunt cauſæ totius. Hic PARTITIO integri in ſua membra præcipuè laudatur, quæ ſymbola ſunt cauſarum & effectorum. Sic domus partes ſunt fundamentum, parietes, tectum.

Quæ'nam ſunt hi c axiomata?

Lib.6.Topic.cap.6. ſunt axiomata partim affirmata: In quo totum eſt in illo oportet & partes eſſe: In quibus partes ſunt & totum neceſſe eſt ineſſe partim negata: Si partium uel una deſit, totum non eſſe: at non contrà,

Diſtributio
Totum, Pars

Partitio	*Diuiſio*
Integrum, Membra.	*Genus, Species.*

Quæ'nam eſt diſtributio ex effectis?

Quando partes ſunt effecta DIVISIO generis in ſpecies hic excellit. Vt Virtus diuiditur in Prudentiam, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam,

GENVS ET SPECIES.

Vbi de Genere & Specie in Organo?

In Porphyrio, in Categorijs de Homogeneis & Heterogeneis, in Topicis, ubi problema unum de Genere factũ eſt, idq́ lib.4. diffuſè tractatur.

Quid eſt Genus?

Cui ſubijcitur ſpecies, ᾧ ὑποτάσσεται τὸ εἶδος. Porphyrius.

Quottuplex eſt Genus?

Duplex. Generaliſſimum γενικώτατον, cuius nullum eſt genus, ὑπὲρ ὃ οὐκ ἂν εἴη ἄλλο ἐπαναβεβηκὸς γένος. Porph.

& Sub-

& Subalternum, ὑπάλληλον: quod ſpecies huius, illius autem genus eſſe poteſt.

Quid eſt Species?

Quod ſub aſsignato genere eſt. τὸ ὑπὸ τὸ ἀποδοθὲν γένος. Porphyr.

Quottuplex eſt Species?

Duplex: Subalterna ὑπάλληλος & Specialiſsima εἰδικωτάτη, quæ indiuidua eſt in ſpecies alias.

Ex quibus argumentis primis oritur Genus & Species?

Sunt notæ & ſymbola cauſarum & effectorum, ut genus ſit cauſa ſpeciei, ſpecies effectus generis. Vt animal eſt ſubſtantia corporea: quæ materia eſt ad ſpecies cõmuniter attinens. Eſt etiam facultas uitæ & ſenſus in animali, quæ forma item communiter ad ſpecies attinet. Hinc uniuerſale Ariſtoteli eſt honorabile, quia declarat cauſam: τὸ καθόλου τίμιον, ὅτι δηλοῖ τὸ αἴτιον. Lib. 1. Poſt. cap. 24. & eod. lib. cap. 20. præſtat ſpeciali, quia αἰτιώτερον, ἁπλούστερον, ἀρχοειδέστερον, magis cauſa & ſimplex & principio ſimilius: ideoq; ἐπιστημονικώτερον ſcientiæ aptius.

Quid de Ideis dicis?

Quæſtio hæc totas Logicorum ſcholas infinitè uexauit. Quidam enim Logici ueteres peruerſè philoſophati, ideas quaſdam reipſa ſeparatas à ſubiectis ſpeciebus commenti ſunt quæ cõſiſterent in mente diuina, tanquam imagines quædam rerum, quas Deus intuens, ſingularia crearet. Sed exemplaria illa labefactauit Ariſtot. lib. 1. Poſt. cap. 18 εἴδη χαιρέτω, τερετίσματα γάρ ἐστι. Species ualeant, præcentiones enim ſunt.

Quæ'nam ſunt axiomata generis?

Sunt partim affirmata: Neceſſe eſt de quibus genus dicitur, de ijs ſpecierum aliquam dici. Partim negata: Quod *generi non ineſt, neq; ſpeciei. Lib. 2. Top. cap. 2.*

Quæ'nam ſunt axiomata Speciei?

Affirmatum: Qu*æcunq; inſunt ſpeciei, & generi: Negatum.* Q*uæcunq; ſpeciei non inſunt, non eſt neceſſe generi non ineſſe. Lib. 2. Top. cap 2. Huius autem loci ſunt* E X E M P L A *ſpecialia, ſuo generi accommodata: quorum quantus ſit uſus uniuerſa omnium artium & inuentio, & tractatio teſtis eſt. Hinc enim ſunt ortæ omnes artes per obſeruationem & animaduerſionem. Vnde Manilius:*

Per uarios uſus artem experientia fecit,
Exemplo monſtrante uiam ——

Et Ouid. *Solus & artifices qui facit uſus adeſt.*

Itaque Ariſtoteli principia omnis doctrinæ facta ſunt ἐμπειρία, ἱςορία, αἴσθησις, ἐπαγωγὴ, *experientia, obſeruatio, ſenſus, inductio. Lib. 1. Poſt cap. 14 & lib. 2. Poſt. cap. ult. Et in Top. lib. 8. cap. 2. exempla Homerica poſtulat, unde res cognoſcimus, non* Chœrilea: *ſic enim clarius & manifeſtius fit quod proponitur. Et huc pertinent exemplorum* Rhapſodi, *Valer. Max. Sabellicus, Fulgoſus, Theatrum uitæ.*

Da Inductionem exemplorum ſpecialium.

Perſius probat uarios eſſe mores hominum inductione facta per ſpecies.

Mille hominum ſpecies & rerum diſcolor uſus:
Velle ſuum cuiq; eſt, nec uoto uiuitur uno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini.

His

Hic ſatur irriguo mauult turgeſcere ſomno.
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, illa
In Venerem putris.

Quomodo fit diſtributio ex quodam-modo conſentaneis?

Cùm partes ſunt ſubiecta aut adiuncta. Vt Philoſophia uerſatur circa mores, circa res naturales & occultas. Hominum alij ægri, alij ſani: alij diuites, alij pauperes.

IX. DEFINITIO.

Cur poſtremum in ordine Artificialium argumentorum locum definitio occupat?

Quia ex omnibus illis antecedentibus argumentis inſtitui poteſt: ſicut Porphyrius in proœmio innuit.

Vbi de ea in Organo?

In Analyticis Prioribus & Poſterioribus; item in Topicis, ubi problema unum ex definitione factum eſt & prolixè explicatur lib. 6.

Quid eſt Definitio?

Eſt ratio, quæ explicat quid res ſit. Lib. 1. Top. cap. 4. Græcis ὅρος & ὁρισμὸς, quæ Geometrica ſunt uocabula. Definitio enim tanquam perimetro comprehendit: Diſtributio uelut diametro diuidit.

Quænam ſunt eius requiſita?

Tria ut ſit dilucida, breuis, propria. Sed duo prima communia ſunt cum reliquis argumentis omnibus: ultimum cum diſtributione.

Quot,

Quottuplex eſt definitio?

Duplex: Perfecta & Imperfecta. Sic lib. 2. *Poſt. cap.* 10. *alia ἄμεσος immediata, alia ἔμμεσος mediata dicitur.*

Quæ'nam eſt Perfecta?

Quæ conſtat è ſolis cauſis eſſentiam conſtituentibus: quales cauſæ genere & forma comprehenduntur. Sic enim Porphyrius in cap. de differentia, genus analogiam materiæ, differentiam formæ habere aſſerit. τῶν γὰρ πραγμάτων ἐξ ὕλης καὶ εἴδους συνεστώτων, ἢ ἀνάλογόν γε ὕλῃ καὶ εἴδει τὴν σύστασιν ἐχόντων, ἐξ ὕλης μὲν ἀνάλογον συνέστηκε τοῦ γένους, ἐκ μορφῆς δὲ τῆς διαφορᾶς. *Vt homo eſt animal rationale. Animal eſt genus: Rationale forma. Itaque perfecta definitio nihil aliud eſt quàm Vniuerſale ſymbolum cauſarum, eſſentiam rei & naturam conſtituentium.*

Quid eſt imperfecta definitio.

Quæ ex alijs etiam argumentis rem definit, Vt homo eſt animal mortale, capax diſciplinæ: diciturq́; DESCRIPTIO, Porphyrio uerò ὑπογραφὴ, quales deſcriptiones in poëtis, oratoribus, phyſicis: hiſtoricis (qui res ſpeciales & ſingulares ſæpè tractant) frequentes ſunt.

Da exempla.

Sic *apud Virgil.* 1. *Aeneid. deſcribuntur Aeneas &* Dido, Carthago, *Italia, Timauus. & lib.* 4. *Fama. Horat.*

——Ira, furor breuis eſt.

Ouid. Stulte quid eſt ſomnus gelidæ niſi mortis imago?

Longa quieſcendi tempora, fata dabunt.

X. TESTI-

X. TESTIMONIVM.

Quid nunc ſequitur?

Expoſito artificiali argumento, ſequitur inartificiale: quod non ſua natura, ſed aſſumpta artificialis alicuius argumenti ui arguit.

Quottuplex eſt teſtimonium?

Duplex. Diuinum & Humanum.

Quæ'nam ſunt ſub Teſtimonio humano?

I. Lex ſcripta & non ſcripta. II. Sententiæ illuſtres, ut Prouerbia, qualia ſunt in Chiliadibus Eraſmi innumera: & dicta ſapientum, ut Pares cum paribus facillimè congregantur. Noſce teipſum, γνῶθι σεαυτόν. Ne quid nimis, μηδὲν ἄγαν. Spōde, noxa præſto, ἐγγύα, παρὰ δ' ἄτη. III. Sententiæ philoſophorum, oratorum poetarum. ut Virgilij:

Diſcite iuſticiam moniti & non temnite Diuos.

Iuuenal.

Dat ueniam coruis, uexat cenſura columbas.

Horatius:

——Mors ultima linea rerum.

Martial.

Extra fortunam eſt quicquid donatur amicis.

IIII. Huc pertinet teſtium probatio, quæ anima litis dicitur: item obligatione, pacta, pignora (argumentum ſtultorum) confeſsio libera aut expreſſa, quæ quæſtio dicitur, iuſiurandum & experientia, de quo Ouid.

Quod magis ut liqueat, ne'ue hoc ego fingere credar,
Ipſe uelim pœnas experiare meas.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

IVDICIVM.

Quæ'nam eſt altera pars Logicæ?

IVDICIVM ſeu diſpoſitio.

Quid eſt Iudicium?

Eſt pars Logicæ de diſponendis argumentis ad benè iudicandum.

Vbi'nam eius doctrina ab Ariſtotele comprehenſa eſt?

In lib. de Interpretatione & Analyticis.

Quottuplex eſt Iudicium?

Duplex: Noëticum ſeu Axiomaticum in Enunciato, & Dianoëticum in ſyllogiſmo & methodo.

Quid eſt Axiomaticum Iudicium?

Quod per ſe ſuaq; fide probatur: quod totum ueritatis iudicium ad Enunciatum attinet, ut ſolum enunciatum uerum ſit aut falſum. Syllogiſmo enim conſequentia uel inconſequentia: methodo ordo uel confuſio tribuitur.

ENVNCIATVM.

ἑρμήνεια.

Quid eſt Enunciatum?

Eſt diſpoſitio qua argumentum de argumento enunciatur. In Organo *lib. 1. Prior. cap. 1. & lib. 1. De interpr. cap. 4. definitur per ſpeciales affectiones affirmationis & negationis ueritatis & falſitatis. Sed generaliter definitio melior eſt per uerbum enunciandi.*

Quibus

Quibus nominibus appellatur in Organo?

Vocatur πρότασις *propoſitio,* λῆμμα, λῆψις, *ſumptum ſumptio:* ἀξίωμα, θέσις, ὑπόθεσις *poſtulatum, poſitio, ſuppoſitio:* ἑρμηνεία *interpretatio,* ἀπόφανσις *enunciatio.*

Quot ſunt conſid. in Axiomate?

Tria. 1. Partes. 2. Affectiones. 3. Species.

I. Quot ſunt Enunciati partes?

Duæ. Antecedens & Conſequens: In Organo dicuntur termini ὅροι. *Sic lib. 1. Prior. cap. 1.* ὅρον λέγω εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις. *Terminum dico in quem reſoluitur propoſitio. Vocanturq́; ab Ariſtotele ſubiectum & prædicatum,* κατηγορούμενον, καὶ τὸ καθ' οὗ κατηγορεῖται: *alibi* ὅρος ἡγούμενος καὶ ἑπόμενος.

II. Quot ſunt Enunciati affectiones?

Duæ. Nam primò eſt Affirmatum aut Negatum. Deinde Verum aut Falſum.

Quid eſt Affirmatio aut Negatio Enunciati?

Nihil aliud eſt, quàm partium compoſitio & diuiſio. Itaq; Ariſtoteli σύνθεσις καὶ διαίρεσις *appellantur 2. cap. 1. de Interpr. Vt cum dicis homo eſt animal, conſequens componitur cum antecedente. Contrà autem, homo non eſt animal: conſequens idem diuiditur ab eodem antecedente. Hinc naſcitur Contradictio,* ἀντίφασις.

Quid eſt Contradictio?

Eſt affirmatio & negatio eiuſdem conſequentis de eodem antecedente Ἀντίφασις ἐστὶ κατάφασις καὶ ἀπόφασις αἱ ἀντικείμεναι τοῦ αὐτοῦ κατὰ τοῦ αὐτοῦ. *Lib. 1. de Interpr. ca. in fin.*

Quid

Quid eſt Enunciatum Verum aut Falſum?

Verum eſt quando conſequens eſt uerum de antecedente: Falſum contrà.

Quottuplex eſt Verum?

Duplex: Contingens & Neceſſarium, ἐνδεχόμενον ἢ δυνατόν, καὶ ἀναγκαῖον.

Quid eſt contingens?

Quando conſequens de antecedente ſic uerum eſt, ut aliquando falſum eſſe poſſit. Vt,

Audaces fortuna iuuat, timidosq; repellit.

Quomodo uocatur iudicium, Contingentium enunciatorum?

Vocatur Opinio *lib. 1. Poſt. cap. 26. quæ præteritorum & præſentium certa eſſe poteſt: futurorum per naturam non admodum poteſt.*

Quid Ariſtoteles de futuris Contingentibus?

In lib. de Interpretatione, cap. de Futuris Contingentibus, Enunciationem præteritorum & præſentium iam manifeſtè ueram aut falſam eſſe ait: in futuris autem cõtingentibus nequaquam ſimiliter: & ſyllogiſmum huc concludit:

Si futuri contingentis enunciatio iam uera eſſet aut falſa: eſſet etiam neceſſaria,

Secundum falſum.

Falſum igitur primum.

Quod ualdè ſpinoſum ſophiſma eſt & fraus admodum periculoſa, Si iam uerum ſit, aliquid protinus eſſe neceſſarium. Neceſſarium enim ex conditione in propoſitione intelligit, quomo-

Digitized by Google

quomodo quidlibet quod eſt, quando eſt, ait neceſſariò eſſe. At in aſſumptione neceſſarium abſoluitè capit. Ita homonymia uerbi illaqueatur & irretitur auditor rudis. Propoſitum erat conditionale neceſſarium, remouetur abſolutum. Aliud datum eſt, aliud repetitum. Fallacia igitur præceps eſt & magnæ impietati coniuncta. Nam ſi ueritas neceſſitatis cauſà ſtatuatur, quid fiet diuina præſcientia, cui iam certa & uera ſunt omnia, quæ unquam futura ſunt? Atque illud quoq; captioſè connectitur, Si iam uerum eſt, eſt etiam neceſſarium. Quicquid enim fore uerum eſt, Deo iam uerum eſt, & uerum ſemper fuit: nec idcirco tamen neceſſarium. Ex cauſis enim neceſſarijs, futurum neceſſarium eſt: ex liberis liberum: ex Phyſicis phyſicum. Deniq; quales ſunt antecedentes cauſæ, talis euentus ueritas.

Quid eſt neceſſarium Enunciatum?

Quando conſequens ſemper uerum eſt de omni antecedente. Cui contrarium eſt, Impoſsibile quod de nullo unquam uerum eſſe poteſt.

Quomodo uocatur iudicium Neceſſarij enunciati?

Vocatur Scientia.

Quot ſunt Scientificæ materiæ circumſtantiæ?

Tres, κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτό, καθόλου πρῶτον, id eſt, enunciatum ſcientificum debet eſſe neceſſariũ, homogeneum, reciprocum ſeu catholicum. Quæ lib. 1. Poſt. cap. 4. primò definiuntur, tum deinceps ad longum explicantur.

Quid eſt Axioma κατὰ παντός?

Eſt quãdo conſequẽs ſemper uerũ eſt de omni antecedente.

Quid eſt *κάθ᾽ αὑτὸ*, homogeneum?

Quando antecedens & conſequens ſunt inter ſe eſſentialia: ut cum forma de formato, adiūctum de proprio ſubiecto, genus de ſpecie dicitur. Vt homo eſt rationalis, eſt capax diſciplinæ, eſt animal. Huic contrarium eſt heterogeneum.

Quid eſt Catholicum?

Quando conſequens ſemper uerum eſt de antecedente, non ſolum omni & per ſe: ſed etiam reciprocè. Vt homo eſt animal rationale. Numerus eſt par uel impar.

Lex Veritatis. Vberius iſta Ariſtotelis uerbis perſequere: & primo quid ſibi uelit Nota *κατὰ παντὸς*?

Docet artes & ſcientias conſtare è neceſſarijs & uniuerſalibus regulis & decretis. Generalis aūt iſtius neceſſitatis ueritas concipitur inductione ſpecialium & ſenſu obſeruatorū exemplorum, ut eſt in 14. cap. 1. Poſt. Quomodo aūt ab animo cōcipiatur, oſtenditur 2. Poſt. cap. 18. quòd ſcilicet animus noticias rerū neceſſarias & uniuerſales, nō informatas à natura ipſa capiat, ſed colligat facultate intelligentiæ ſibi naturali & ingenerata: Vt oculus colorum ſpecies ex utero matris non attulit, ſed facultatem naturalē omnia colorata cernendi. Itaq; generalium & neceſſariò uniuerſalium noticiarum non ἕξις habitus, ſed δύναμις facultas noſtris animis naturalis eſt. Nota itaq; iſta κατὰ παντὸς eſt neceſſariarum rerum & generalium, ut eſt lib. 1. cap 6. Non igitur fortuitarum neq; ſenſiliū, ut eſt cap. 24. Vniuerſale autem præſtat ſingulari: quia perpetuum, quia αἰτιώτερον, ἁπλούστερον, ἐπιστημονικώτερον, ἀρχοειδέστερον. 20. cap. Affirmatum præſtat negato, quia breuiora meliora: quia γνωριμώτερον καὶ πιστότερον καὶ ἀρχοειδέστερον. 21 cap. Δεικτικὸν oſtenſiuum præſtat ducenti ad impoſſibile & cogenti. 22. cap. Prima figura præſtat

cæteris

cæteris, tanquam ἐπιγνωμονικωτάτη. 11. cap. Deniq; capitones & fallaciæ, quæ neglecta lege κατὰ παντὸς accidant, diſſeruntur 12. & 13. cap. Teneamus igitur primam in formandis artibus legem eſſe, ut omnia artis theoremata ſint omnino neceſſarioq; uera & catholica. Ac ſi quid ſpeciale ſit πόρισμα & conſectarium, ex illo fonte catholico deriuatum: id generali theoremati additum κατὰ παντὸς explebit.

Quid uult ſibi Nota καθ' αὑτό?

Iubet ut omnia quæ ſunt in artibus comprehenſa, ſint ſyngenea: & in hac regula tria ferè cap. uerſantur 7. 8. 9. primi lib. Poſt. Vnde lex habetur ad regendos artium fines, & ſuum cuiq; tribuendum, ualde neceſſaria Exemplum Ariſtotelis inſigne eſt. Numeri in Arithmetica tantũ docendi ſunt, eorumq; genera, differẽtiæ, ſpecies, proprietates: in Geometria magnitudines tantùm, earumq; genera, differentiæ, ſpecies, proprietates. Secùs Arithmeticum in Geometria ἀγεωμέτρητον: Geometricum in Arithmetica ἀνάριθμον fuerit. Præcepta artium diſtinguantur: uſus tamen coniũgatur. Et ſic Ariſtoteles tribus illis cap. eum homogeniam imperat, ne à genere alio in aliud digreſſio ulla permittatur: attamen ſuperiorum artiũ rationes in ſubalternis & inferioribus cõcedit. Sic axioma Logicum, (eidem æqualia inter ſe ſunt æqualia) numeris & figuris explicandis accommodat: utq; Arithmetica in ſonis & figuris, & cæteris numerabilibus rebus adhibetur: ita Geometria in Opticis, Aſtronomicis, Mechanicis. Ergo lege iſta ἑτερογένειαν artium ſegregando, homogenea ab heterogeneis ſeparabimus: dicemusq; omnibus artibus: Tollite altercationes falſarum opinionum, refutationumq; Elenchos: hîc ad uſum eruditionis ueſtræ homogeneum uobis nihil eſt: His impedimentis detractis, dimidio breuiores & clariores eritis.

Lex Iuſtitiæ.

C 2 Quid

Digitized by Google

Lex Pruden tiæ.

Quid uult ſibi Nota καθόλȣ πρῶτον?

Docet rerum affectiones ſuis quasq; locis ponendas, non generalem cum ſpecie, non ſpecialem cum genere: ſed τῷ γένει ὁμογενὲς, τῷ εἴδει ὁμοειδὲς πάθημα copulandum: deniq; proprias affectiones proprijs & ſuis ſubiectis attribuendas eſſe. Itaq; commiſſum erit à doctore artis in hanc legem, ſi generale ſpeciali, aut ſpeciale generali tribuatur. Prioris ſophiſmatis exempla tria ſunt apud Ariſtotelem lib. 1 Poſt cap. 5. Vt ſi quis doceat lineas rectas non concurrere. Nam parallelismus etiam obliquis lineis conuenit. Item: Aequicrurum tres angulos duobus rectis æquales habere: cùm æqualitas illa, reliquis triangulis communis ſit. Deniq; numero aut magnitudini ἀναλογίαν τὴν ἐναλλὰξ conuenire: cum illa analogia Logica planè ſit. Nam etſi de unaquaque trianguli ſpecie demonſtretur illa generalis angulorum affectio, nondum tamen res demonſtratur niſi ſophiſtico modo, ait Ariſtoteles. Quamuis enim Reipſa idem eſt de qualibet ſpecie: ac de uniuerſo genere demonſtrare: doctrinæ tamen commodo non eſt idem: quia pluribus demonſtrationibus docetur, quod una demonſtratione poſsit doceri. Tautologiam ergo Ariſtoteles omnium ſophiſticarum fraudum diſciplinis pernicioſiſsimam profitetur.

Secundi ſophiſmatis exemplum eſt in Ariſtotele unicum & breue ſi angulorum iſta affectio figuræ tribuatur. Tum enim ſpeciale generali tribueretur. Vtriuſque exemplum in Grammatica eſt. Nam in etymologia ſpecies & figura per tota uocum genera iterantur: ibi ergo generale ſpeciali attribuitur. Comparatio eſt affectio ſpecialis quorundam adiectiuorum: at in generalibus nominum accidentibus numeratur: ibi ergo ſpeciale generali attribuitur,

III. Quot

III. Quot ſunt ſpecies Enunciati?

Duæ. Eſt enim Simplex aut Compoſitum. Lib. 1. de Interp. cap. 4. ἀπόφανσις ἁπλῆ ἢ σύνθετος.

Quid eſt Simplex?

Quod uerbi uinculo continetur. Itaq; affirmato uel negato uerbo affirmatur uel negatur. Vt ignis urit: ignis eſt calidus: ignis non eſt aqua. Atq; hîc prima eſt inuentarum rerum diſpoſitio.

Quottuplex eſt Simplex Enunciatum?

Duplex. Generale aut Speciale; ἀπόφανσις ἢ καθόλου ἢ καθ' ἕκαστον. *Lib. 1. de Interpret. cap. 5.* καθόλου ἢ ἐν μέρει. *Lib. 1. Prior. cap. 1.*

Quid eſt Generale?

Quando conſequens cõmune attribuitur generaliter communi antecedenti. λέγω καθόλου τὸ παντὶ ἢ μηδενὶ ὑπάρχειν. *Lib. 1. Prior cap. 1. Vt* Ouid.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo:
Et ſubito caſu quæ ualuêre ruunt.

Lucanus:

Nulla fides regni ſociis: omnisq; poteſtas
Impatiens conſortis erit.—

Qualis eſt hîc Contradictio?

Contradicentium generalium pars non ſemper altera uera, altera falſa eſt: ſed contingentium utraque pars falſa poteſt eſſe. ut:

Omnis poteſtas eſt impatiens conſortis:
Nulla poteſtas eſt impatiens conſortis.

Item non contingentium. Vt: Omne animal eſt rationale,
Nullum animal eſt rationale.

Digitized by Google

Quid eſt Speciale?

Quando conſequens, non omni antecedenti attribuitur. Et hîc contradictio ſemper diuidit uerum à falſo. Ἀνάγκη γὰρ τὴν ἑτέραν ἀληθῆ εἶναι ψευδῆ. Libro primo de Interp. cap. 6.

Quottuplex eſt Speciale?

Duplex. Particulare & Proprium.

Quid eſt Particulare?

Quando conſequens commune antecedenti particulariter attribuitur. ἐν μέρει λέγω τὸ τινὶ, ἢ μὴ τινὶ, ἢ μὴ παντὶ ὑπάρχειν. Libro 1. Prior. cap. 1. Huic axiomati generaliter contradicitur. Vt:

Aliquid ignoſcendum eſt.
Nihil ignoſcendum eſt. Aut.
Aliqua ignoſcenda non ſunt
Omnia ignoſcenda ſunt.

Ouidius:

Non ſemper uiolæ, nec ſemper lilia florent:
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.

Quid eſt Proprium?

Quando conſequens antecedenti proprio attribuitur. Vt Cicero eſt Orator. Cicero non eſt Orator. Cuius negatio & contradictio eſt.

Sunt'ne aliæ Contradictiones præter has?

Ariſtoteles generalem contradictionem uocat Cõtrariam, quæ eſt ſecundum uniuerſalem affirmatiuam & uniuerſalem negatiuam, quas ait non poſſe ſimul ueras eſſe Specialem contradictionem, uocat nomine generis Contradictionem, ἀντίφασιν. Præter has, duæ in ſcholas introductæ ſunt ὑπεναντί-

αι

λίας Geometrica, ut ſcilicet diagramma quadrati compleretur: nimirum Subcontrariæ & Subalternæ. Sed utrumq; fruſtra. Nam ſubcontrariæ ſimul ueræ eſſe poſſunt: τὰς ἀντικειμένας ταῖς ἐναντίαις ἐνδέχεται ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ συναληθεύειν. Vt aliquis homo eſt albus: Aliquis non eſt albus. Subalternæ autem ſunt ambæ affirmationes aut negationes: & quidem ſpecialis generali conſequens & conſentanea. Lib. 1. de Interpr. cap. 5. & 6.

Quid eſt Enunciatum Compoſitum?

Quod *uinculo coniunctionis continetur, quæ dicitur Ariſtoteli σύνδεσμος. Libro primo de Interpret. capite quarto, Itaque è coniunctione affirmata uel negata, affirmatur uel negatur.*

Vbi de his Ariſtoteles?

De his enunciatis in Ariſtotelis philoſophia nihil eſt. Neq; enim Ariſtotelis ætate, Logica de compoſitis enunciatis & ſyllogiſmis erat inuenta. Sed Græcorum Peripateticorum, Theophraſti & Eudemi, & Latini Boëtij ſubtilitas mirabilis huc erupit, ut enunciationum compoſitarum, uel (ut Boëtius loquitur) hypotheticarum modi decies milleni colligerentur. Sed his nugis prætеritis, neceſſaria enunciationis compoſita genera proponemus.

Quot ſunt igitur genera Compoſiti enunciati?

Quatuor. *Copulatum, Connexum, Diſcretum & Diſiunctum.*

I. Quid eſt Copulatum?

Cuius coniunctio eſt Copulatiua. Vt Horat.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Ouidius:

Terra ſalutiferas herbas, eademq́ nocentes
Nutrit & urticæ proxima ſæpè roſa eſt.

Idem.

Nox & Amor, Vinumq́ nihil moderabile ſuadent;
Illa pudore uacat: Liber, Amorq́ metu.

Quod'nam eſt Copulati iudicium?

Eius iudicium uerum eſt, ſi partes ſimul omnes uerę ſunt: ſecus falſum.

Quæ'nam ſunt huic generi affinia?

Enunciata relatæ Qualitatis, Quantitatis *Loci*: *quorum notæ ſunt talis qualis: tantus, quantus: tot quot; ibi ubi. Et relationis copulatæ iudicio, comparata pleraq́ enunciantur & judicantur.* *Iuuenal.*

Rari quippe boni numero uix ſunt totidem, quot
Thebarum portæ uel diuitis oſtia Nili.

Ouidius:

Crede mihi, benè qui latuit, benè uixit & intra
Fortunam debet, quiſq́ manere ſuam.

Idem.

Conſcia mens ut cuiq́ ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro merito ſpemq́ metumq́ ſuo.

II. Quid eſt Connexum?

Cuius coniunctio eſt connexiua. Si: *ut* Martial.

Frangere ſi metuis, frangis cryſtallina: peccant
Securæ nimium, ſollicitæq́ manus.

Morus:

Si tuus ad Solem ſtatuatur naſus, bianti
Ore, benè oſtendas dentibus hora quota eſt.

Quot-

Quottuplex eſt negatio axiomatis connexi?

Duplex. Vel enim negatio ſimpliciter coniunctioni præponitur: ut, Non, ſi metuis, frangis. Vel apertè tollitur conſequentia, ut: Non continuò, ſi metuis, frangis: uel, Non ſi metuis, ſequitur ilicò quòd frangas. Atq; in hac negatione, hoc ſolo ſecundo negandi genere Germani utuntur: neq; coniunctioni negationem præponunt, ſed conſequentiam negant.

Quomodo uerum iudicatur connexum axioma?

Si neceſſaria coniunctio eſt, eſt neceſſarium: ſi contingens, eſt item contingens. Et ipſa neceſsitas è neceſſaria partium connexione oritur; quæ ipſa poteſt eſſe uel in falſis partibus: ut Si homo eſt leo, eſt etiam quadrupes, neceſſarium connexum eſt. Connexum itaq; παράδοξον *quoddam efficit, ut totum neceſſarium dicatur, cuius partes falſæ, imò impoſsibiles fuerint, nedum ueræ ut in propoſito exemplo. Sed annexæ connexionis neceſsitas hîc æſtimatur & iudicatur, non rerum connexarum, ſed connexionis ipſius neceſsitate.*

Quæ'nam ſunt connexo affinia?

Relatiua Temporis & Conſequentiæ: ut Martial.

Cum uoco te dominum, noli tibi Cinna placere,
Sæpè etenim ſeruum ſic reſaluto meum.

Ouidius:

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi:
Multaq; corporibus tranſitione nocent.

Atq; hæc duo enunciata, Copulatum & Connexum, in genere enunciant conſentanea argumenta: ſequentia duo, diſſentanea.

Digitized by Google

III. Quid eſt diſcretum?

Cuius coniunctio eſt diſcretiua. Itaq; è diſſentaneis præcipuè diuerſa enunciat ut Horat.

Naturam expellas furca, tamen uſq; recurret.

Iuuenal.

Tota licet ueteres exornent undiq; ceræ

Atria, nobilitas ſola eſt atq; unica, Virtus.

Ouidius:

Quamuis eſt igitur meritis indebita noſtris,

Summa tamen ſpes eſt in bonitate Dei.

Quæ'nam eſt eius Contradictio?

Si negatio præponatur coniunctioni. Vt licet naturam expellas, non tamen recurret: quia (tamen) hic eſt coniunctio præcipua.

Quomodo iudicatur uerum?

Si partes non ſolùm ueræ, ſed etiam diſcretæ ſunt. Ridiculum enim ſit conſentanea ſegregare, ut Quanquam eſt homo, tamen eſt animal.

IIII. Quid eſt Diſiunctum?

Cuius coniunctio eſt diſiunctiua. Vt: Aut dies eſt, aut nox.

Aut pluit, aut claro nunc Iupiter æthere fulget.

Itaque è diſſentaneis præcipuè contraria medio carentia enunciat. Abſolutè autem conſentanea enunciare non poteſt, niſi alterum negando: ut Aut non eſt ignis aut urit. Aut homo non eſt, aut animal eſt.

Quæ'nam eſt eius Contradictio?

Si negatio præponatur ipſi coniunctioni.

Quomodo iudicatur eſſe uerum?

Diſiunctionis neceſſitas pendet è neceſſaria partium oppoſitione & diſiunctione, non ex earum neceſſaria ueritate. Vt

homo

Digitized by Google

homo eſt bonus, aut non eſt bonus. Hæc disiunctio eſt neceſſaria, quia fit ex duabus partibus, quæ ita opponuntur, ut uerum & falſum diſtinguant: neutra tamen harum partium neceſſaria eſt: ſed ambæ uerſantur in materia contingenti.

DE SYLLOGISMO.

Quid nunc ſequitur?

Hactenus de iudicio axiomatico axiomatis per ſe manifeſti: ſequitur dianoëticum.

Quid eſt Διάνοια?

Cum aliud axioma ex alio deducitur: eſtq́ſyllogiſmus aut methodus.

Quid eſt Syllogiſmus?

Eſt Διάνοια qua quæſtio cum argumento, ita diſponitur, ut poſito antecedente neceſſariò concludatur. Nam cum axioma dubium eſt, quæſtio efficitur, & ad eius fidem tertio argumento opus eſt cum quæſtione collocato. Ariſtoteles libro 1. Prior. cap. 1. ſic definit: συλλογισμός ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει. Eſt oratio, in qua poſitis quibuſdam, diuerſum quid à poſitis ex neceſſitate ſequitur. Sed hæc definitio etiam argumento conuenit. Vt:

Venti incubuêre mari:
Denſi funduntur ab æthere nymbi.
Crebris micat ignibus æther.
Eſt igitur tempeſtas.

Vbi agit Ariſtoteles de Syllogiſmo?

In duobus libris Priorum Analyticorum.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo appellat Ariſtoteles tertium argumentum?

Vocat medium μέσον, ſumpta metaphora è topico continuæ ſimilitudinis. Vt honeſtum, iuſtum, utile. Omne enim honeſtum eſt utile, quia iuſtum ait Cicero. Sed id ſaltem in prima figura accidit. Nam hæc analogia in cæteris figuris non eſt.

Quot ſunt conſideranda in Syllogiſmo?

Tria. 1. Partes. 2. Affectio. 3. Species.

I. Quot ſunt Syllogiſmi partes?

Duæ. Antecedens, quod complectitur propoſitionem & aſſumptionem: & Conſequens, quod complectitur partes quæſtionis eamq; concludit: unde complexio & concluſio dicitur. Nam duas tantùm partes ſyllogiſtici antecedentis eſſe, diſſerit Ariſtot. lib. 1. Prior. cap. 26. ſecus ſi quid præterea ſit, eſſe πρὸσυλλογισμόν.

II. Quæ'nam eſt Syllogiſmi Affectio?

Eſt κρύψεως occultatio: de qua 2. Prior. cap. 20. & 8. Topic. capite 1.

Quot ſunt ſpecies Κρύψεως?

Tres, Ellipſis, Redundantia, Inuerſio.

Quid eſt Ellipſis?

Cum pars ſyllogiſmi deeſt, & dicitur ENTHYMEMA, id eſt, ſyllogiſmus imperfectus 2. Prior. cap. 27. Enthymematis uerò referta ſunt in bonis autoribus omnia: de ſyllogiſticis quæſtionibus uix milleſimam pleno ſyllogiſmo concluſam inuenies.

Quid

Digitized by Google

Quid eſt Redundantia?

Cùm præter illas tres partes aliquid accedit & dicitur Proſyllogiſmus, approbatio. Vide Cic. lib. 2. ad Herennium, & lib. 1. de Inuent.

Quid eſt Inuerſio?

Cum partium ordo confunditur. Itaq; explenda quæ deſunt: amputanda quæ ſuperſunt: & pars quælibet in locum artis redigenda.

Vnde ſumitur Propoſitio Syllogiſmi?

Sumitur plerunque è Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Mathematica, Philoſophia, Iuriſprudentia, Medicina. Regulæ enim & leges quæ primis annis diſcuntur, non ſolùm primæ ſunt ſuæ ueritatis indicia, ſed ſunt etiam propoſitiones & fundamenta iudiciorum ſyllogiſticorum, quæ poſtea concludimus in ſpecialibus & inde deductis rebus.

Vnde eſt nomen Syllogiſmi?

Ab Arithmeticis ſumptum eſt, quibus ſyllogiſmus clanculum ſignificat ſeu collectionem & ſummam ex additione uariorum nominum & capitum. Et ſi quid in arte Arithmetica præclarum eſt, quod in primis Logico Syllogiſmi iudicio reſpondeat: regula eſt quatuor proportionalium quam Auream uocant. Vt 2. ad 3. ſic 6. ad quem? quartus proportionalis quæritur: Multiplicatur igitur ſecundus per tertium, & factus 18. diuiſus per primum, educit nouem pro quarto: & iam concluditur: Vt 2. ad 3. ſic 6. ad 9. Sic ſyllogiſmus è duobus conceſsis & manifeſtis, tertium indicat & concludit. Quare aurea uel cœleſtis potius regula & diuina dici meretur.

III. Quot ſunt Species ſyllogiſmi?

Duæ. Eſt enim Simplex aut Compoſitus.

Quid

Quid Ariſtoteles de hac diuiſione?

Nihil. Nullum enim in Organo de compoſitis ſyllogiſmi eſt uerbum: Partitio eſt Theophraſti, Eudemi, Boëtij.

Quid eſt ſimplex Syllogiſmus?

Vbi pars quæſtionis cum argumento diſponitur: conſequens in propoſitione, antecedens in aſſumptione.

Quot ſunt genera ſeu Figuræ ſimplicis ſyllogiſmi?

Tres ſunt ex triplici ſimplicis diſpoſitionis uarietate. Nam ſi argumentum maiorem partem quæſtionis antecedit & minorem ſequitur, eſt prima figura. Sin utramq; partem quæſtionis ſequitur, eſt ſecunda: ſi deniq; utramq; partem antecedit, eſt tertia. Et hæc eſt ſumma pontis aſinarij, de quo multa lib. 1. Prior. cap. 29.

DE PRIMA FIGVRA.

Quid eſt prima figura?

In qua argumentum antecedit in propoſitione generali, ſequitur affirmatum in aſſumptione. Vnde efficitur ex omnibus enunciatis negantibus, aut ex omnibus ſpecialibus, aut ex propoſitione ſpeciali, aut ex aſſumptione negante, uitioſe & illegitimè concludi. Vide Ariſtot. lib. 1. Prior. capite 4. & 24.

Quot ſunt modi primæ figuræ?

Quatuor ſunt recti & legitimi, ex quibus uitioſos, qui occurrunt in hoc genere diſpoſitionis, etiam cognoſcere & in-

Digitized by Google

telligere poſſumus: quia rectum eſt index ſui & obliqui.

Qualis eſt primus Modus? γράμματα.

Eſt uſquequaque affirmatus & uniuerſus. Vt Ouidius *1. Faſtorum.*

Dic age frigoribus quare nouus incipit annus, Quæſtio &
Qui melius per Ver incipiendus erat? Complexio.
Bruma noui prima eſt, ueterisq; nouiſsima Solis. Aſſumptio.
Principium capiunt Phœbus & annus idem. Propoſitio.

Quod breuius ſic concluditur argumento ex cauſa efficiente.

PRINCIPIVM PHOEBI, eſt anni principium.
Bruma eſt PRINCIPIVM PHOBBI.
Bruma igitur eſt anni principium.

Qualis eſt ſecundus? Ἔγραψε.

Eſt uſquequaq; uniuerſus, ſed aſſumptione duntaxat affirmatus ut Horat. lib. 1. Epiſt.

Quò melior ſeruo quò liberior ſit auarus, Cõplexio cũ
In triuijs fixum cum ſe demittit ob aſſem, proſyll. à pa
Non uideo: nam qui cupiet, metuet quoq;: porrò ribus & effe
Qui metuens uiuit, liber mihi non erit unquam. ctis.

Quod breuius ſic concluditur argumento à diſſentaneis. Aſſumptio.

N. TIMIDVS eſt liber. Propoſitio
O. auarus eſt TIMIDVS. relata.
N. auarus igitur eſt liber.

Qualis eſt tertius? Γραφίδα.

Eſt affirmatus uſquequaq;, ſed propoſitione tantum uniuerſus. Sic apud Ouid. Carmenta filium Euandrum hortatur, ut exilium æquo animo ferat.

——Fortuna uiriliter, inquit, Complex.
(Siſte puer lacrymas) iſta ferenda tibi eſt.

Nec

DE SECVNDA FIGVRA.

Quid eſt ſecunda figura?

In qua argumentum utramq; partem quæſtionis conſequitur, negatum in altera parte. Vnde efficitur ex omnibus affirmatis in hac figura nihil concludi: & complexionem eſſe ſemper negatam, propoſitionem autem generalem.

Quot ſunt modi ſecundæ figuræ?

Quatuor ſunt legitimi: primus & ſecundus generales, tertius & quartus ſpeciales.

Qualis eſt primus modus?

Ἐγράψε.

Eſt uſquequaq; generalis, ſed aſſumptione duntaxat affirmatus. Sic apud Ouid. Pythagoras deterret ab eſu carnium:

Prodiga diuitias alimentaq; mitia tellus
Suggerit, atq; epulas ſine cæde & ſanguine præbet. — *Propoſitio.*
Sunt etenim fruges, ſunt deducentia ramos
Pondere poma ſuo, tumidæq; in uitibus uuæ:
Sunt herbæ dulces, ſunt quæ miteſcere flamma
Molliriq; queant, nec nobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia flore. — *Proſyll. ex enumeratione partium.*
Carne feræ ſedant ieiunia, nec tamen omnes:
Quippe equus & pecudes, armentaq; gramine uiuunt.
At quibus ingenium eſt immanſuetumq; ferumq;,
Armeniæ tigres, iracundiq; Leones,
Cumq; lupis urſi, dapibus cum ſanguine gaudent. — *Alius proſyll. ex aduerſis.*
Heu quantum ſcelus eſt in uiſcere, uiſcera condi,
Congeſtoq; auidum pingueſcere corpore corpus — *Aſſumptio.*
Alteriusq; animantem animalis uiuere letho:
Scilicet in tantis opibus, quas optima mater

Complexio cũiteratione argumenti & comparatione.

Terra creat, nil te niſi triſtia mandere ſæuo
Vulnera dente iuuat, rituſq; referre Cyclopum.

Syllogiſmus breuius ſit iudicatur

N. *naturalis hominum cibus eſt* CRVENTVS:
O. *eſus carnium eſt* CRVENTVS:
N. *igitur eſus carnium eſt naturalis hominum cibus.*

Κάτιχε.

Qualis eſt ſecundus?

Eſt uſquequaque generalis, ſed propoſitione duntaxat aſfirmatus. Vt Martial.

Quæſtio. *Quòd non ſit Pylades hoc tempore, non ſit Oreſtes*
Propoſitio. *Miraris? Pylades Marce bibebat idem.*
Nec melior panis, turdus'ue dabantur Oreſti,
Sed par atq; eadem cœna duobus erat.
Aſſumptio. *Tu Lucrina uoras, me paſcit aquoſa Peloris.*
Non minus ingenua eſt & mihi, Marce gula.
Cõplexio cũ iteratione argumenti. *Vt præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem,*
Hoc non fit uerbis: Marce, ut ameris, ama.

Quod breuius ſic iudicatur à diſſentaneis amicitiæ, quòd nulla ſint bona communia:

O. *ueri amici* COMMVNIA HABENT OMNIA, *ut Pylades & Oreſtes.*
N. *hoc tempore* COMMVNIA HABENT OMNIA *exemplo eſt Marcus & Martialis.*
N. *itaq; hoc tempore ueri ſunt amici.*

Idem,

Complexio. *Vxorem quare locupletem ducere nolim*
Aſſumptio. *Quæritis? uxori nubere nolo meæ.*
Inferior matrona ſua ſit Priſce marito
Propoſitio. *Non aliter fiunt fœmina uirq; pares.*

Syllogiſmus preſſius concluditur hoc modo,

O. *bona*

Digitized by Google

O. *bona matrona debet eſſe* INFERIOR SVO MARITO:

N. *uxor locuples eſt* INFERIOR SVO MARITO:

N. *igitur uxor locuples eſt bona matrona.*

Qualis eſt tertius? Μέτριον.

Eſt ſola aſſumptione affirmatus, & ſola propoſitione generalis. Cicero:

N. *ciuitas eſt* LATRONVM MVLTITVDO.

Cum Cicero Roma eſt eiectus FVIT LATRONVM MVLTITVDO:

Roma igitur tum non fuit ciuitas.

Hic modus ſub primo quodammodo continetur: quia quod illis generaliter negatur, hic ſpecialiter negari poteſt.

Qualis eſt quartus modus? Ἀχόλον.

Eſt ſola propoſitione generalis & affirmatus: qui ex ſecundo deduci poteſt, ſi aſſumptionem & complexionem, quæ illic generales ſunt, in ſpeciales mutaueris. Cicero.

O. *exilium eſt* POENA PECCATI.

Ciceronis diſceſſus ex urbe NON FVIT POENA PECCATI:

Ciceronis igitur diſceſſus non fuit exilium.

DE TERTIA FIGVRA.

Quid eſt tertia figura?

In qua argumentum utramque partem quæſtionis antecedit: ita ut aſſumptio affirmata, complexio ſpecialis ſit. Syllogiſmus uerò tertiæ figuræ ſemper ferè eſt enthymematicus, quòd argumentum pro exemplo ſubijcitur particulari quæſtioni,

ſtioni. Vnde à quibuſdam ſyllogiſmus contractus dicitur. Vt Quædam confidentia eſt uirtus, ut conſtantia: tanquam eſſet explicatum & expreſſum:

CONSTANTIA *eſt uirtus.*
At CONSTANTIA *eſt confidentia.*
Quædam ergo confidentia eſt uirtus.

Quot ſunt modi tertiæ figuræ?

Sex ſunt: qui tamen ad duos reuocari poſſunt: ut primus ſit uſquequaq; affirmatus & utraq; parte antecedente uel altera tantum generalis, ut primus, tertius & quartus. Secundus uerò ſola aſſumptione affirmatus & utraque parte antecedente uel altera tantum generalis, ut ſecundus, quintus & ſextus. Itaq; eadem quæſtio tribus modis affirmata, tribus negata concludi poteſt.

Ἅπασι.

Qualis eſt primus modus?

Eſt uſquequaq; affirmatus, ſed propoſitione & aſſumptione duntaxat generalis. Vt:

O. *tyranni ſunt improbi.*
O. *tyranni ſunt locupletes.*
Q. *igitur locuples eſt improbus.*

Σθεναρὸς.

Qualis eſt ſecundus?

Eſt aſſumptione duntaxat affirmatus, propoſitione autem & aſſumptione generalis. Vt:

N. *tyranni ſunt probi.*
O. *tyranni ſunt locupletes.*
Q. *igitur locuples non eſt probus.*

Reliqui quatuor modi unam tantum partem generalem habent.

Qualis

Digitized by Google

Qualis eſt tertius? Ἰσάκις.

Eſt uſquequaque affirmatus, ſed aſſumptione tantum generalis. Vt:

Q. *tyrannus eſt improbus.*
O. *tyrannus eſt locuples.*
Q. *igitur locuples eſt improbus.*

Qualis eſt quartus? Ἀσπίδι.

Eſt uſquequaque affirmatus, ſed propoſitione tantum generalis. Vt:

O. *tyrannus eſt improbus.*
Q. *tyrannus eſt locuples.*
Q. *igitur locuples eſt improbus.*

Qualis eſt quintus? Ὁμαλός.

Eſt ſola aſſumptione generalis & affirmatus. Vt:

Q. *tyrannus non eſt probus.*
O. *tyrannus eſt locuples.*
Q. *igitur locuples non eſt probus.*

Qualis eſt ſextus modus? Φέριστος.

Eſt ſola propoſitione generalis, ſolaq; aſſumptione affirmatus. Vt:

N. *tyrannus eſt probus.*
Q. *tyrannus eſt locuples.*
Q. *igitur locuples non eſt probus.*

DE SYLLOGISMO COMPOſITO.

Quid eſt Syllogiſmus compoſitus?

Eſt Syllogiſmus ubi tota quæſtio eſt pars altera propoſi-

tionis affirmatæ & compoſitæ: argumentum eſt pars reliqua. Et,in hoc ſyllogiſmo tollere dicimur, cùm ſpecialem, contradictionem ponimus.

Quottuplex eſt Syllogiſmus compoſitus?

Duplex. Connexus & Diſiunctus. Copulatum enim enunciatum in ſimplici duntaxat ſyllogiſmo propoſitio eſſe poteſt. Diſcreti uerò iudicium eſt ἀσυλλογιστοι.

QVID EST CONNEXVS.

Eſt ſyllogiſmus compoſitus, cuius propoſitio eſt connexa.

Quot ſunt eius modi?

Duo,quos comprehendit Ariſtot lib.2.Top.cap.2.pro argumento ab antecedentibus & conſequentibus.

Qualis eſt primus modus?

Qui aſſumit antecedens & conſequens concludit.

Quid uocas aſſumere?

Aſſumere hîc non eſt affirmare,ſed repetere & retinere omnino quale propoſitum erat: ſi affirmatum,affirmatè:ſi negatum,negatè. Vt Cic in Catone,

> *Si mors extinguit animum,negligenda eſt: ſi æternum relinquit,optanda.*
> *Atqui uel extinguit,uel æternum relinquit.*
> *Eſt igitur aut negligenda aut optanda.*

Et Martialis:

> *Eſſe nihil dicis,quicquid petis improbe Cinna:*
> *Si nil Cinna petis,nil tibi Cinna nego.*

Aliquando plus aſſumitur,quàm erat in antecedente parte propoſitionis propoſitum: ſed in tali amplificatione maius

continet

Digitized by Google

continet in ſe uim minoris. Vt:

Si mihi bona fortunæ largitus eſſes, me tibi plurimum debere faterer.

At uirtutem & ſapientiam, quæ eſt opibus omnibus melior tribuiſti.

Quantò igitur magis tibi obſtrictus ſum?

Concludendi quoq; modus hic idem eſt, quando propoſitio eſt relata temporis aut conſequentiæ. Vt:

Quando homo currit, mouetur.

Atqui homo currit.

Ergo homo mouetur.

Qualis eſt ſecundus modus?

Qui tollit conſequens, ut tollat antecedens. Vt:

Si omnis exercitatio eſt utilis, nullus ludus fugiendus eſt:

At aliquis ludus fugiendus eſt:

Aliqua igitur exercitatio non eſt utilis.

Specialis autem contradictio in hoc ſecundo modo præcipuè requiritur: ſecus ἀσυλλόγιστος fuerit. Atq; hi duo modi connexi uſum maximum habent in communi ſermonis conſuetudine, multóq; frequentiùs occurrunt, quàm reliquorum generum ſyllogiſmi. Nullum enim ferè genus eſt argumenti, quod non aptè tractari his duobus modis poſſit: & pleraq; argumenta, quæ ſyllogiſmos ſimplices fugiunt, facilius hac coniuncta diſpoſitione explicantur ut comparationes parium, maiorum, minorum ſimilium, diſſimilium notatio, coniugatio. Quin etiam uſum horum ſyllogiſmorum ualdè celebrem eſſe, indicat λογόγραφος, qui eſt connexorum ſyllogiſmorum quaſi compendium. Vt: Si Plato uiuit, reſpirat: Atqui primum. Secundum igitur. Vel: Non autem hoc. Nec illud igitur.

Digitized by Google

Quid Ariſtoteles de connexis ſyllogiſmis?

Nullam artem de his expoſuit in Organo, ſed pro argumentis habuit, ut ſupra diximus. Theophraſtus autem & Eudemus poſtea hos ſcriptis ſuis prodiderũt, & hos ſecutus Boëtius: qui ſicut ante decies millenos modos connexorum enunciatorum inuenerunt, ita nunc ſeptuagenos ſyllogiſmorũ connexorum inuenerunt: quos nos duobus comprehendimus.

QVID EST DISIVNCTVS *Syllogiſmus?*

Eſt Syllogiſmus compoſitus, cuius propoſitio eſt diſiuncta.

Quot ſunt eius modi?

Duo, quos itidem Ariſtoteles libro 2. Topic. capite 2. comprehendit.

Qualis eſt primus modus?

Primus tollit unum ut reliquum retineat. Vt:

Aut dies eſt aut nox.
At dies non eſt.
Nox igitur eſt.

In diſiuncta autem propoſitione nihil intereſt duæ ſint an plures partes, eadem enim tollendi ac retinendi, ac proinde iudicandi concludendiq; ratio fuerit. Vt:

Equus aut eſt homo, aut planta, aut beſtia.
Non eſt autem homo neq; planta.
Eſt igitur equus beſtia.

Qualis eſt ſecundus modus?

E' propoſitione partibus omnibus affirmata, affirmat unum & reliquum tollit. Vt:

Dies eſt aut nox.
At dies eſt.
Ergo non eſt nox.

Secundo diſiunctio ſimilis eſt negatio copulatæ propoſitionis, quæ negata complexio dicitur, quæq; diſiunctionis affirmatæ uim obtinet, in qua tantum unum retinere licet, ut quod reliquum eſt tollatur. Vt:

Non & dies & nox eſt.
Dies autem eſt.
Non igitur nox eſt.

Eſt autem genus hoc enunciandi rarum, & quo nullum ex omnibus ſit diſtortius, ut ait Cicero in Fato: Atq; hæc de iudicio ſyllogiſmi.

Nullæ'ne aliæ ſunt ſpecies argumentationis præter ſyllogiſmum?

Nullæ. Nam quòd ab alijs recenſentur enthymema, inductio, exemplum, dilemma, Sorites, pro nouis ſpeciebus argumentationis: id ridiculum eſt. Nam Enthymema eſt mutilatus ſyllogiſmus, ut ſupra de crypſi diximus. Inductio uerò, exemplum, dilemma, argumentorum nomina ſunt. Vt enim inductio eſt argumentum à partibus ad totum, exemplum à ſpecie: ſic DILEMMA ſeu ſyllogiſmus cornutus à contrarijs medio carentibus argumentũ eſt. SORTITES uerò ſeu Gradatio progreſsio eſt Enthymematica: ac quia minutatim ac gradatim addit, & paulatim uelut congeſtis granis aceruum efficit, σωρείτης aceruālis appellatur: uulgò de primo ad ultimum. Eſtq; in rebus inter ſe neceſſariò connexis utiliter inuentus. Facile autem retexetur, ſi ad ſyllogiſmi leges membratim referatur. Exemplum Ciceronis lib. 3. Offic. illuſtre eſt.

Si naturalis eſt conſociatio, communis eſt utilitas.
Si utilitas communis, communis lex naturæ.
Si communis lex naturæ, prohibita eſt iniuria.
Nunc de primo ad ultimum: Si ergo naturalis eſt conſociatio, prohibita eſt iniuria.

Hic ſorites ſyllogiſmo dupliciter concludi poteſt: uel de primo ad ultimum:

Si naturalis eſt conſociatio, prohibita eſt iniuria.
Verum autem primum.
Verum igitur & extremum.

Vel aſſumpta ultima propoſitione: hoc modo,

Si communis lex naturæ, prohibita eſt iniuria.
Verum autem primum.
Verum igitur & extremum.

Dilemma uerò quomodo ſyllogiſmo includatur, oſtendit exemplum quod ſuprà in primo modo connexi ſyllogiſmi propoſuimus.

Vbi agit Ariſtoteles de Inductione, exemplo & enthymemate, & Sorite?

De tribus primis agit in tertia ſectione libri ſecundi Priorum. Soritem deſcripſit in Categorijs in regula Homogeneorum.

DE METHODO.

Quænam eſt altera pars Dianoëtici iudicij?

Eſt Methodus.

Quid

Quid eſt Methodus?

Eſt διάνοια uariorum axiomatum homogeneorũ,ſuo uel ſyllogiſmi iudicio notorum,& pro naturæ ſuæ claritate præpoſitorum,unde omnium inter ſe conuenientia iudicatur,memoriaq́ comprehenditur. Sicut autem in axiomate ueritas & falſitas in ſyllogiſmo conſequentia,& in cõſequentia ſpectatur:ita & in methodo ordo & confuſio iudicatur.

Quottuplex eſt Methodus?

Duplex. Perfecta & Imperfecta.

Quid uocas Perfectam?

In qua diſponitur ex homogeneis axiomatis primo loco abſoluta notione primum, ſecundo ſecundum, tertio tertium, & ſic deinceps:ut ab unitate per media genera ad indiuiduam multitudinem deſcendatur,ut Plato loquitur : uel γενικώτατον generaliſsimum ſummo loco : ὑπάλληλα ſubalterna intermedio: εἰδικώτατα ſpecialiſsima infimo loco ſint,ut Peripatetici loquuntur. Eſt enim perpetua eius lex,ut ab uniuerſalibus ad ſingularia perpetuò progrediatur. Hac enim ſola & unica uia proceditur ab antecedentibus omnino & abſolutè notioribus ad conſequentia ignota declarandum : eamq́ ſolam methodum Ariſtoteles docuit. Nam etſi ille de methodo in Organo nihil dicat (niſi quantum in principio primi Poſteriorum leui brachio quodammodo attingit) in alijs tamẽ libris idem ferè monet, quod in uera methodo præcipitur, ut ab uniuerſis & generalibus rebus ad ſpeciales partes,uia & ordine progrediamur : qua de re uide librum Ethic. capite tertio , & librum ſecundum , capite 2. Lib 1. Phyſic. capite primo . Et ne quis hîc calumniari poſſit, memorabilia uerba Porphyrij de methodo hîc adſcribenda duxi. Sic autem ait in capite de Specie.

Τὰ εἰδικ

Τὰ εἰδικώτατα ἐν ἀριθμῷ μέν τινί εἰσιν, οὐ μὴν δὲ ἀπείρῳ· τὰ δὲ ἄτομα ἄπειρ' ἐστὶ τὰ μετὰ τὰ εἰδικώτατα, ἄπειρα. διὸ μέχρι τῶν εἰδικωτάτων ἀπὸ τῶν γενικωτάτων κατιόντας, παρεκελεύετο ὁ Πλάτων παύεσθαι. κατιέναι δὲ διὰ τῶν διὰ μέσου διαιροῦντας ταῖς εἰδοποιοῖς διαφοραῖς, τὰ δὲ ἄπειρά φησιν ἐᾶν, μηδὲ γὰρ ἂν γενέσθαι τούτων ἐπιστήμην. κατιόντας μὲν οὖν εἰς τὰ εἰδικώτατα, ἀνάγκη διαιροῦντας διὰ πλήθους ἰέναι, ἀνιόντας δὲ εἰς τὰ γενικώτατα, ἀνάγκη συναιρεῖν τὸ πλῆθος εἰς ἕν. συναγωγὸν γὰρ τῶν πολλῶν εἰς μίαν φύσιν τὸ εἶδος, καὶ ἔτι μᾶλλον τὸ γένος: τὰ δὲ κατὰ μέρος καὶ καθ' ἕκαστον τοὐναντίον, εἰς πλῆθος ἀεὶ διαιρεῖ τὸ ἕν. διαιρετικὸν μὲν γὰρ τὸ καθ' ἕκαστον, συλληπτικὸν δὲ καὶ ἑνοποιὸν τὸ κοινόν. Platonis uidelicet hîc methodus, quam in Philebo tradit, attingitur.

Ἓν καὶ πολλά, Vnum & Multa.

Πρῶτον ἔσχατον. Primum, Vltimum.

Πέρας καὶ ἄπειρον. Terminus & infinitas.

Cui Platonicæ methodo respondent,

Ariſtotelis γένος καὶ εἶδος, Genus & Species.

Hippocratis μέγιστον καὶ ῥᾷστον, Maximum & Facillimum.

Galeni, ὅμοιον καὶ ἀνόμοιον. Simile & diſsimile.

Quid, An non & Analyſis & Geneſis methodi ſpecies ſunt?

Methodus doctrinæ & præceptorum una eſt, quam diximus: in uſu uerò & exemplis Analyſis & Geneſis uerſantur: de quibus paulò pòſt. Tota confuſio à Medicis orta eſt, qui de methodis multa & uaria præcipiunt: & methodi nomine aliâs totam dialecticam comprehendunt, cùm eam diuidunt in Analyſin

lyſin & Geneſin. Analyſeos enim cogitatione in inuocationem incidunt, ſicut Geneſeos in diſpoſitionem: quia per Analyſin res inueniendas dicunt, per Geneſin collocandas. Iidem particulam aliquam dialecticæ confundunt nomine methodi, cum dicunt definitionem, diuiſionem, &c. methodos eſſe.

Cur à generalibus ad ſpecialia in docendo deſcendendum eſt?

I. Quia illa eſt uia ſcientiæ & intelligentiæ. Nam generalia ſunt (ut ait Ariſtoteles) αἰτιώτερα, ἀρχοειδέστερα, ἁπλούστερα, *ideóq;* ἐπιστημονικώτερα. *II. Quia diſpoſitio illa ordinis tam perſpicui tamq; ſuccincti, eſt* MEMORIAE *& conſtituendæ & confirmandæ ſola & ſingularis magiſtra. Ordo enim memoriæ pater eſt: memoriaq; diſpoſitionis gradus (perinde ac umbra, lucente Sole, corpus) ſequitur.*

Quomodo deſcenditur à generalibus ad ſpecialia?

In docendo generalis & uniuerſa declaratio præcedit, qualis eſt definitio & ſumma quædam comprehenſio: tum ſequitur ſpecialis per diſtributionem partium explicatio: poſtremò partium ſingularũ, quod ordine propoſitæ ſunt, definitio, & ex idoneis exemplis illuſtratio. Eius rei exempla præcipua ſunt in artibus legitimè conſtitutis, imò in omnibus rebus quas facilè & perſpicuè docere uolumus. Ideóq; Poëtæ, Oratores, omneſq; omnino ſcriptores, quoties auditorem ſibi docendum proponunt, hanc uiam ſequuntur. Poëtæ enim materia propoſitam diuidunt, & partes ſua quanq; ordine diſpoſitas perſequuntur. Oratores uerò in proœmio, narratione, confirmatione, peroratione hunc ordinem affectant. Verùm hîc unum obiter præcipiendum eſt, non ſolùm ut diſtributarũ partium ordinem

Digitized by Google

ordinem perſequamur: ſed in ſingulis expoſitis & præteritarum rerum & cõſequentium breuiter admoneamus. His enim TRANSITIONVM *uinculis partes colligantur, & animus ad intelligendum ualdè excitatur, cauſas enim maximæ perſpicuitatis continent. Atq; hæc de perfecta methodo: quæ quantò* PRAECEPTIS *breuiſsima, tantò* VSV *cum experimur, maxima, grauiſsimaq́; eſt.*

Quid eſt Imperfecta methodus?

Eſt quæ non tam ad docendum, quàm ad delectandum, uel mouendum pertinet. Hac enim tum utimur cum delectatione motu'ue aliquo maiore, in parte aliqua auditor fallendus eſt: quæ κρύψις occultatio methodica in poëtis, & oratoribus frequens eſt. Nam philoſophis ordo intelligentiæ, oratoribus uictoriæ, poëtis uoluptatis & gratiæ propoſitus eſt.

Quottuplex eſt illa κρύψις methodica?

Triplex. Multa, Redundans, Inuerſa. Vide libro 2. Prior. cap. 20. Lib. 8. Top. cap. 1.

Quid eſt Mutila?

Qua homogenea quædam reijciuntur, ut definitionum, partitionum, tranſitionum lumina.

Quid eſt redundans?

In qua aſſumuntur heterogenea, uelut digreſsiones à re, & re commorationes Ariſtoteles ἐπεισόδια *uocat, id eſt, aduentitium iucundumq́; acroama.*

Quid eſt inuerſa?

Qua præcipuè rerum ordo initiò inuertitur, antecedentiaq́; nonnulla conſequentibus poſtponuntur. Breuiter in mutila eſt ἔλλειψις, *in redundante* ἑτερογένεια & ταυτολογία: *in inuerſa* ὑστερολογία.

DE ANALYSI.

Quid nunc ſequitur?

E' duobus fundamẽtis artis Logicæ, PRAECEPTA ſicut erat inſtitutum, expoſita ſunt: VSVS & exercitatio (quæ reliqua eſt) nobis eſt itidem paucis attingenda, quæ in actum præcepta deducat. Exercitatio enim præceptorum anima eſt, quia omnes artes iacerent, niſi ſtudio & uſu excitarentur & tanquam animarentur.

Quotruplex eſt uſus ſeu exercitatio dialecticæ?

Duplex. Vna in exploratione diſputationis iam factæ, quæ Analyſis dicitur: Altera in nouæ effectione & compoſitione, quæ Geneſis dicitur. Analyſis enim uerſatur in explorandis ſcriptis, aut conſilijs, aut dictis, tum noſtris tum alienis: cum uidemus primùm rem de qua agitur, deinde rationes, tum earum diſpoſitionem: & ſingulas partes diligenter excutimus. Geneſis eſt ſecunda exercitatio, qua uel ad aliorum imitationem aliquid meditamur, uel ſine exemplo propoſito aliquid ingenio noſtro molimur & efficimus.

Vnde dicitur Analyſis?

Ἀπὸ τοῦ ἀναλύειν, id eſt, retexendo, quòd hæc exercitatio quaſi Penelope contextam iam telam retexat. Quanquam paulò ſecus de uerbo iſto Græci interpretes afferũt, quod ἀναλύειν ſit ἀποδημούντων καὶ ἀναστρεφέντων εἰς τὰ οἰκεῖα, peregrinantium & domum reuerſorum. At quemadmodum terminus ſyllogiſmus, medium, figura, geneſis à Mathematicis

profecta

profecta ſunt, ita & Analyſis. Nam Geometrica metaphora eſt: ſic enim Geometræ nominant quæſtionis reditum ad principia, ut ſit inuerſio, quæ cōtrà ex effecto opere reuertatur ad prima principia. Sic Philoponus in 1. Poſt. ἀνάλυσιν, inquit, καλοῦσιν οἱ γεωμέτραι τὴν εὕρεσιν τῶν προτάσεων, δι᾽ ὧν συνήχθη τὸ ἀληθὲς συμπέρασμα.

Quottuplex eſt Analyſis?

Duplex. Virtutū & Vitiorum. Nam in explorandis propoſitis exemplis, quæ uel lecta, uel audita, uel etiam tantum meditata ſunt, non ſolùm laudes cernendæ ſunt ut propria, perſpicua, certa, uera, conſentanea concedantur: ſed etiam uitia notanda, ut aliena reijciantur, obſcura explicentur, ambigua diſtinguantur, falſa negentur, inconſequentia ſuſpendantur.

Quæ'nam igitur hîc præcepta habes?

Primò Analyſis opus uniuerſum quod explicandum ſuſceperit, à capite retexet: quæſtionem cernet, quæ differenti proponitur: argumenta quibus tractetur aſpiciet: & ad loci unde ſumpta ſunt, legem naturamq́ referet: diſpoſitionem poſtremò ad propoſitam regulam comparabit.

Quid de his Ariſtoteles?

Analyſim inuentionis nullam tradidit: de diſpoſitionis Analyſi præcepta ſtatuit excellentia in primo lib. Prior. & ſiquid in toto organo Logico Ariſtotelis nomine dignum eſt, Ariſtotelis iſta de Analyſi præcepta & magnifica theoremata ſunt. Primo autem Analyſeos fructum & finē cap. 33. proponit. quòd ſit diſputationis inuentæ & diſpoſitæ confirmatio & illuſtratio. Deinde in eodem cap. & ſequenti monet, ut cum fuerit exemplum ſyllogiſmi retexendum, tres terminos ſpectandos eſſe, quorum duo ſint problematis, tertius inuentionis & medij.

medij. Secundò geneſin ſyllogiſmi ſpectandam: quod deſit addendum: quod ſuperſit, detrahendum: in eoq; medij theſin indicare figuram, ut antea definitiones figurarum docuerunt. Deinde circa ἔκθεσιν terminorum præcipit cap. 36. ut termini apta oratione exponantur nec ſymbola modò habitum, modò habitus ſuſceptiuum ſignificent. Deniq; cùm termini fuerint orationes, nec uno categoriæ modo proferantur, ut habetur cap. 37. tamen quò certius de oblato diſputationis exemplo iudicium fiat, iubet cap. 39. ut quoad perſpicuitas patitur, termini compoſiti in ſimplices contrahantur, & diſputatio ampla in breuiore forma dijudicetur.

Qualis'nam eſt Reſolutio uitiorum?

Analyſis, ut uirtutes inuentionis, diſpoſitionis'q; ſic etiam uitia id'q; uirtutum oppoſitione ſpectabit. Itaq; in inuentione uidendum eſt, ne non cauſæ ut cauſæ, non effecta ut effecta, eodem'q; modo in cæteris ponantur. In ſyllogiſmo ne ſit alienus, ne obſcurus, ne ambiguus, ne inconſtans. In methodo ne omittantur definitiones & partitiones: ex hac enim confuſione rerum immenſa quædam obſcuritas exiſtit. Eſt etiam magni erroris non eodem ordine proſequi partes quo propoſueris: obeſt enim perſpicuitati plurimum, cuius tamen cauſa ordo & diſpoſitio laudatur.

Quid Ariſtoteles de uitiorum Analyſi?

In ſecundo libro Priorum quædam uitia Logica recenſet in ſectione ſecunda à cap. 18. uſq; ad 22. ut ſunt petitio principij, non cauſa, falſa ratio, cataſyllogiſmus ſeu crypſis, elenchus, fallacia ſecundùm opinionem. Verum in duobus libris Elenchorum ex profeſſo & ad longum de hac uitiorum Logicorum

gicorum Analyſi agit: eamq́ in duo genera diſtinguit.

Quæ nam ſunt illa?

Vitium omne eſt aut in uerbis, aut in rebus. Quod in uerbis eſt, aut ex homonymia eſt, aut ex amphibolia, aut ex compoſitione & diuiſione, aut ex accentu, aut ex figura: In rebus uerò ſunt fallacia accidentis, dictum ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, ignoratio elenchi, uitioſum conſequens, petitio principij. cauſa non cauſa, multiplex interrogatio.

DE GENESI.

Quid eſt Geneſis?

Eſt non inſpectio propoſiti exempli ut Analyſis, ſed effectio noui operis.

Quottuplex eſt?

Duplex. Scriptio & Dictio: quarum utraq́ rurſus eſt uel ſubita & extemporalis, uel cogitata & commentata. Licet enim ſcribere & dicere uel ſubitò & ex tempore, uel ſumpto ad cogitandum ſpacio. Quod utrumq́ genus tametſi utile eſt, poſterius tamen magis approbatur: quia multò prudentius & ſapientius loquimur, & ſcribimus ea quæ diligentia cogitationis & meditationis præceſsit.

Quottuplex eſt uia ſcriptionis & dictionis?

Duplex. Vna quæ Imitatio dicitur: altera Quæſtio libera: cum ſcilicet aliquid, nullo propoſito nobis autore, ingenio aut arbitrio noſtro ſcribimus uel loquimur.

Quot ſunt imitationis cautiones?

Duæ. Vna ut optimos autores eligamus. Altera ut eorum

uirtutes,

virtutes, non uitia ſequamur. Sed quoniam præcepta ſine exemplis mortua ſunt & lentius diſputantur, utranque partem, Analyſin, ſcilicet & Geneſin in oratione Quintiana conſideratam ſubijciemus.

ANALYSIS ORATIONIS PRO P. QVINTIO QVA ARTIFIcium inuentionis & diſpoſitionis Logicæ & imitatio eiuſdem: Item loci ethici & politici indicantur, & præcepta dialectica ac ethica illuſtrantur.

Quæ'nam eſt Quæſtio huius orationis?

AN Næuius Quintij bona ex edicto Prætoris poſſederit: id quod Cicero negat.

Quibus utitur argumentis?

Tribus principaliter: à cauſarum remotione, à diſſentaneis & à genere.

Quo iudicio concluditur?

Enthymematis: deeſt enim propoſitio ſyllogiſmi, qui integer ſic eſt reſtituta propoſitione.

Si Næuius Quintij bona ex edicto Prætoris poſſidet, neceſſe eſt ut habuerit cauſam cur poſtularet bona abſentis: ut ex edicto poſſidere potuerit: ut poſſederit.

Sed neq; cauſam habuit cur poſtularet bona abſentis Quintij: neq; ex edicto poſſidere potuit: neq; poſſedit.

Næuius ergo bona Quintij ex edicto Prætoris non poſſedit.

Qua methodo utitur?

Oratoria. Habet enim Exordium, Narrationem, Conſtitutionem cauſæ, Confirmationem, Perorationem.

DE EXORDIO.

Quæ'nam eſt quæſtio Exordij?

An Cicero & Quintius æquo animo à iudice C. Aquilio Gallo ſint audiendi.

Quo'nam utitur argumento?

Ab adiunctis difficultatibus arguit.

Quo'nam iudicio concludit?

Enthymematico Syllogiſmus integer ſic eſt:

Qui multis difficultatibus ſunt afflicti, ij à iudice ſunt æquo animo audiendi. Deeſt.

Cicero & Quintius multis difficultatibus ſunt afflicti.

Ergo à iudice Aquilio æquo animo ſunt audiendi.

Aſſumptio & Complexio proſyllogiſmos ſuos habent.

Qui'nam proſyllogiſmus eſt Aſſumptionis?

Primò eſt diſtributio earum rerum quæ contra Quintium & Ciceronem faciunt, ut eſt gratia Næuij & eloquentia Hortenſij: Deinde ſequitur illorum incommodorum amplificatio per comparationem, quæ conſtat ſyllogiſmo connexo.

Si ea quæ in aduerſarijs noſtris ſunt (ut gratia & eloquentia) eſſent in nobis mediocria, non tantoperè querendum uideretur:

Sed non ſunt in nobis mediocria.

Conquerimur igitur meritò.

Complexio autem deeſt: & pro aſſumptione, proſyllogiſmus

Digitized by Google

mus eſt ex comparatis diſsimilibus. Aduerſarij ſunt diſerti & gratioſi: Cicero & Quintius carent uſu & ingenio, opibus & amicis: quin Cicero quoq; tempore deficitur, quod ad cognoſcendam cauſam ſatis ſit.

Quínam proſyllogiſmus eſt Complexionis?

A fine ſumitur, ut ſcilicet ueritas multis incommodis debilitata, æquitate iudicis & aſſeſſorū recreetur. Idq; amplificatur dupliciter: 1. per contrarium. Si enim iudex nullo præſidio erit, nihil ſanctum erit in ciuitate: & additur dilemma cum epiphonemate. 2. per prolepſin: cuius obiectio eſt, non quòd iudici, aut aſſeſſoribus diffidat, reſponſio uerò ſeu ſubiectio fit per diſtributionem adiunctorum, quia Quintium terrent cum periculi magnitudo (quæ arguitur è cauſis, iudicio ſcilicet de fortuna, & poteſtate iudicis, paribus & genere amplificata) tum aduerſarij nobiles, qui adiunctis & effectis deſcribuntur: quòd iniquo iudicio Quintium opprimere ſtudet. Iniquum enim eſt quòd reus priore loco cauſam dicere cogitur: ea iniquitas amplificatur. 1. à perſona Hortenſij & eius adiunctis. 2, à ſimili, quod diſsimili augetur. 3. à cauſis efficientibus, ut ſunt prætor (qui contra conſuetudinem iudicium conſtituit) & aduerſarij. His deinde concluſio exordij ſubijcitur: in qua argumentum ſyllogiſmi repetitur, cum petitione per apoſtropham & obteſtationem iudicis & aſſeſſorum.

DE NARRATIONE.

Quæ ſunt membra Narrationis?

Quatuor. 1. enim eſt propoſitio Narrationis ad docilitatem, quæ promittit ſe dicturum quomodo ab initio res geſta &

Digitized by Google

contracta ſit. 2. Narratio rei geſtæ & contractæ. 3. Clauſula narrationis ἐπιφωνηματικη. 4. Digreſsio.

Quot ſunt partes Narrationis?

Duæ. Prior continet ſocietatem C. Quintij & Næuij. Altera controuerſiam ex cauſa ſocietatis ortam.

Quæ'nam ſunt membra ſeu circumſtantiæ prioris partis, quas I.C. poſitiones uocant?

Tres ſunt. I. Quomodo C. Quintius cum Næuio ſocietatem Gallicarum rerum fecerit. ubi deſcribitur C. Quintius paterfam. prudens & attentus: Sex. uerò Næuius ſcurra & preco. Deinde deſcribitur res Quintij pecuaria & ruſtica, ampla & benè culta & fructuoſa. II. Quomodo Næuius in Galliam profectus fuerit: ubi deſcribitur ipſius auaritia & pleonexia. III. Mors Quintij: qui cum ei ſuſpectus Næuius fuiſſet, isq; rationem reddere non poſſet, moritur, cùm adeſſet Næuius, repentinò. (Hîc 4 ſuſpiciones ueneni latēt) & hæredē teſtamento relinquit P. Quintium fratrem: cuius rei cauſam ſubijcit.

Quæ'nam ſunt circumſtantiæ poſterioris partes?

Mortuo C. Quintio P. Quintius in Galliam proficiſcitur: cumq; æris alieni aliquantulum eſſet relictum, auctionem rerum priuatarum proſcribit. Ibi Næuius deterret ne auctionetur, pecuniamq; pollicetur. Credit Næuio Quintius: auctionē facere deſiſtit: Romam proficiſcitur: cum Scapulis decidit quid illis ſolueretur: Næuiumq; certiorē facit, rogat ut curet quod dixiſſet. Tum Næuius aſſem ſe negat daturum, niſi prius de rationibus ſocietatis decidiſſet. Illa deſtitutione perculſus Quintius, tranſigere cum Næuio cupit, ſed cum conuenire non poſſent, res in uadmoniū eſſe cepit: Næuius non uadatur.

In

In Galliam ergo Quintio profecto, Næuius ſuos neceſſarios corrogat, qui teſtificentur Quintium non ſtetiſſe & ſe ſtetiſſe: poſtulat à Prætore ut ex edicto bona Quintij poſsidere liceat, eaq́ proſcribit. Alphenus procurator Quintij defendere ſe eum uelle dicit: cumq́ negaret æquum eſſe procuratorem iudicatum ſolui ſatiſdare (ut poſtulabat Næuius) ideoq́ tribunos appellaret, tribuni tamen iuſſerunt, ut Quintium iudicio ſiſti promitteret. Quintius interea Romā uenit, uadimonium ſiſtit: Næuius eum producit, & poſtulat à Prætore, ut Quintius iudicatum ſolui ſatiſdet. Prætor iubet Quintium aut ſatiſdare aut ſponſionem facere. In hoc ſumma iudicij conſiſtit: Quæ eſt clauſula narrationis.

Quid agit in digreſsione?

Rurſus ad quærelam in exordio poſitam redit: & criminatur tum accuſatores, qui cogerent reum priore loco cauſam dicere: tum Hortenſium, qui nunc accuſat cùm antea defenderet: tum utroſque, quòd tempus reo præſtituere uoluerunt quàm diu diceret.

DE CONSTITVTIONE *cauſæ.*

Quot nam agit in hac parte?

Tria. I. Tranſit ad propoſitionem, ibi: Verum quoniam tibi, &c. Eſtq́ ibidem promiſsio partitionis cum apoſtropha ad Hortenſium: per comparationem & finē triplicem. II. Proponit. Negamus te, &c. III. Partitur cauſam in 3. capita, per quæ Quæſtio ſeu Status probatur. Partitioni ſubiūgit. 1. petitionem cum apoſtropha & fine duplici. 2. Repetitionem propoſitionis. 3. pollicitationem concluſionis.

DE CONFIRMATIONE.

Quot ſunt partes Confirmationis?

Tres ſunt, ſicut in partitione fuerunt propoſita: quas eodem ordine etiam proſequitur.

Quibus argumentis probat primam partem, Non fuit cauſa cur poſtularet?

Duobus argumentis. I. Quia Nævio Quintius nihil debuit. II. Quia uadimonium non deſeruit.

Quo iudicio concluditur primum argumentum?

Dianoëtico duplicis ſyllogiſmi: Prior ſic ſe habet:

Si tibi debuiſſet Quintius, ſtatim petiſſes. Propoſitio eſt ultimo loco, approbata comparatis maioribus: Diſſoluti in re familiari & negligentes, appellant ſuos debitores: multò magis Nævius auarus homo Quintium appellaſſet, ſi quid ei debuiſſet.

Sed nil petiiſti. Aſſumptio ſecundo loco eſt, approbata teſtimonio Quintij, per apoſtropham, & adiunctis circumſtantijs.

Nihil ergo debuit Quintius. Cõplexio primo loco eſt.

Huic Syllogiſmo tres Prolepſes ſubijciuntur: potuiſſet enim Nævius reſpondere ad aſſumptionem, quòd nihil petiiſſet, cauſam ſibi fuiſſe, uel quòd moleſtus Quintio noluerit eſſe, uel quòd tempus & locus appellandi non fuerit, uel quòd negligentia aut liberalitas ſibi obſtiterit. Ad primam prolepſin reſpondet primò ex comparatis maioribus cum ironia:

Quintium

Digitized by Google

Quintium nunc interficere cupis: ergo multò magis antea illum appellare auſus fuiſſes, ſi tibi debuiſſet. Sequitur proſopopœia Næuij uerecundantis ironica: cui ſubſtitur iteratio modò dicti argumenti ex maioribus & iteratio ſyllogiſmi paulò antê poſiti, ſed cum alijs proſyllogiſmis: hoc modo:

Si tibi debuiſſet, petiſſes: Propoſitio illuſtratur maioribus & gradatione. Eſtq; primo loco.

Sed non petijſti. Aſſumptio amplificatur circumſtantijs & repetitione approbationis, quæ antea ſuperioris ſyllogiſmi propoſitioni adhibita fuit. Eſtq; ſecundo loco.

Ergo nihil tibi debuit. Complexio poſtremo loco eſt, ibi, Dubitatur, &c.

Poſſunt autem & iſtæ tres prolepſes ſyllogiſmo includi, hoc modo:

Aut nihil tibi Quintius debuit: aut quò minus peteres ab ipſo, obſtitit tibi uel uerecundia, uel tempus & locus appellandi, uel negligentia, uel liberalitas. Propoſitio deeſt.

Sed horum nihil tibi obſtitit.

Nihil igitur tibi Quintius debuit.

Qui nam eſt ſecundus ſyllogiſmus primi argumenti?

Si Quintius tibi quid deberet: de re, non de ſponſione ageres. Propoſitio deeſt.

At non agis de re, uerum de ſponſione. Illuſtratur proſopopœia & diſſimili: Næuius declinat, ne de re agat: Quintius contrà ſe offert. Eſtq; tibi apoſtropha ad Hortenſium & Aquilium.

Nihil ergo tibi debuit.

Digitized by Google

Quo'nam iudicio concluditur ſecundum argumentum?

Dianoëtico ſyllogiſmi, hoc modo:

Etſi Quintius uadimonium deſeruiſſet: non tamen ilicò debuiſti ire ad extrema iura & inimiciſsima, contra affinem, ſocium & neceſſarium.

Sed uadimonium non deſeruit.

Non ergo debuiſti eius bona poſtulare.

Propoſitio huius ſyllogiſmi latiſsimè diſſeritur, & duobus proſyllogiſmis adprobatur.

Qui'nam eſt prior?

Vbi agitur fama, ad id non ilico & inconſideratè & cupidè eundum eſt.

In edicto agitur fama.

Non ergo ad id ilicò eundum fuit.

Complexio prima eſt ibi: ilico'ne ad Prætorem, &c. Vbi triplex commoratio eſt unius ſententiæ. Aſſumptio ſecunda eſt, ibi: Nam quid homini, &c. illuſtrata minoribus (quæ etiam commoratione triplici conſtant) & diſsimili, cuius protaſis duo diſsimilia continet: antapodoſis maioribus illuſtrata eſt & ſententia per epanodon figurata. Cui iteratio aſſumptionis apertior ſubijcitur, amplificata circumſtantijs per diſtributionem poſſeſsionis, libellorum, magiſtrorum auctionis, præconis, emptorum. Propoſitio eſt poſtrema, ibi: Itaq; maiores, &c. illuſtrata teſtimonio.

Qui'nam eſt alter proſyllogiſmus?

Viri boni etiam alienorũ & inimicorũ famæ parcũt.

Næuius propinqui ſocij, neceſſarij famæ non pepercit.

Næuius igitur uiri boni officio functus non eſt.

Propo-

Digitized by Google

Propoſitio prima eſt, ibi: Viri boni cum palàm, &c. Aſſumptio ſecunda, illuſtrata. 1. circumſtãtijs perſonæ Quintij. 2. Comparatis maioribus: ſi de parua re ageretur, aliquẽ conſuluiſſes: in tam magna re multò magis conſulere aliquem debuiſti. Apodoſis illuſtratur minoribus. 3. Communicatione, qua teſtimnia inquirit iudicis & aſſeſſorum: quorum reſponſio per obliquam proſopopœiam ſubijcitur. Complexio tertia eſt illuſtrata factis Næuij per proſopopœiam directam.

Habet'ne etiam aſſumptio proſyllogiſmos ſuos?

Habet, quibus ſcilicet probet Quintium non deſeruiſſe uadimonium, ibi Non dubitaui, &c. Ratio eſt; quia Quintius nullum uadimonium Næuio præſtitit.

Si uadimonium nullum cum Quintio fuit, non potuit id deſerere: & mendacium Næuij apparet. Ibi eſt amplificatio in uerbo per addubitationem.

Nullum autem uadimonium cum Quintio fuit: ibi, Ais uadimonium, &c. Ratio eſt, quia eo die Quintius Romæ non fuit, quo die Næuius uadimoniũ dicit factum: eſtq; ibi ſyllogiſmus connexus, approbatus teſtimonijs uarijs ephemeridum & comitum.

Non potuit itaq; id deſerere: ibi, Et in hac cauſa, &c. Complexio cõſtat querela, & illuſtratur à perſona Quintij, qui ita uixit ut fidem & uadimonium non deſerat: additur & ſyllogiſmus connexus.

Si in pari cauſa inferior diſcederet Quintius, eſſet dolendum:

At in ſuperiore inferior diſcedit:

Multò igitur magis dolendum.

Huic ſubijcitur tranſitio ad ſecundam partem.

SECVN-

SECVNDA PARS CONfirmationis.

Ex Edicto poſsidere non potuit.

Quibus argumentis probatur ſecunda pars?

Argumento à teſtimonio edicti: quia Quintius uerbis edicti non fuit comprehenſus.

Quo iudicio concluditur hoc argumentum?

Enthymematico Syllogiſmus integer ſic eſt:

Si Quintius fuiſſet uerbis edicti comprehenſus, tū aut latuiſſet, aut ſolum uertiſſet, aut indefeſſus fuiſſet.

Sed nihil horum.

Non fuit ergo uerbis edicti comprehenſus.

In hoc ſyllogiſmo, aſſumptionis duæ primæ partes tenues ſunt: tertia de defenſo Quintio prolixa eſt. Probat enim ad longum, Quintium ab Alpheno fuiſſe defenſum, effectis Alpheni; quia. 1. proſcriptionis libellos deiecit. 2. uadimonium pro Quintio promiſit: ubi augetur promiſsio adiunctis Alpheni. 3. Tribunos appellauit: ubi ſyllogiſmus diſiunctus eſt:

Aut Quintius defenſus eſt, aut cuius procurator ad Tribunos appellauit, is non defenſus dicetur:

At hoc probari nemini poteſt.

Igitur illud probari omnibus neceſſe eſt, defenſum eſſe iudicio abſentem Quintium.

4. Quintium defendit, id probat alijs factis Alpheni per diſtributionem. His ſubijcitur prolepſis, quòd Næuius cum Alpheno pari concertatione non fuerit: quæ ſoluitur duplici comparatione,

Digitized by Google

paratione, primò parium, qua Næuius Alpheno par ſit: deinde minorum, qua Quintius Næuio iniquioris conditionis ſit: ubi dialogiſmus quoq; eſt. Tandem proſyllogiſmus tertij membri aſſumptionis breuiter repetitur per enunciatum diſiunctum.

TERTIA PARS CONfirmationis.

Non poſſedit.

Quibus argumentis probatur tertia pars?

Quinq. 1. quia bona non uendidit. 2. quia cæteri creditores non conuenerunt. 3. à teſtimonio ipſius Næuij. 4. à celeritate nuncij. 5. à teſtimonio edicti.

Quo iudicio concluduntur hæc argumenta?

Pleraq; concluduntur iudicio axiomatico. Secundum amplificatur comparatione extraneorum cum affine Næuio: & digreſsione in teſtes Næuij. Tertium ſyllogiſmi iudicio tractatur, ibi, Quid ſi tu ipſe, &c.

Si Næuius ipſe teſtis eſt bona Quintij à ſe non eſſe poſſeſſa, id uerum eſt.

Sed ipſe teſtis eſt huic rei: Quintium enim ſocium ſibi emptionis adhibuit.

Id ergo uerum eſt.

Quartum etiam ſyllogiſmi iudicio concluditur: ſed priuſquam id concludat, longam digreſsionem & narrationem inſtituit, quomodo à Roſcio ad hanc cauſam agendam inductus ſit: ibi, Diffidebam, &c. eſtq; ibidem proſopopœia obliqua & directa. Deinde eſt apoſtropha ad iudicem & aſſeſſores ad attentionem

tentionem huius iudicij ſyllogiſtici. Tandem iudicium ipſum ſyllogiſmi diſiuncti ſequitur, quo probat non potuiſſe tantum ſpacium confici tam breui tempore, quo Næuius poſtulauit bonorum poſſeſsionem & in eandem ſeruos miſit:

Aut enim triduo D C C. M nuncius confecit: aut à Næuio miſſus eſt antequam poſtularet:
Sed illud impoſsibile.
Hoc ergo neceſſe.

Antecedens propoſitionis eſt ibi, Quo die? te ipſum uolo, &c. & amplificatur celeritas exclamatione & comparatione eloquentiæ cum ueritate per apoſtropham. Conſequẽs eſt ibi. An antequam poſtulaſti, &c. cui ſubijcitur optio eligendi alterum. Aſſumptio eſt ibi, D C C. M. paſſuum, &c. approbata teſtimonio aduerſarij. Complexio eſt ibi, Ante igitur miſiſti: & illuſtratur amplificatione iſtius feſtinationis & dialogiſmo. Quintum argumentum eſt quòd contra edictum Næuius Quintium in Gallia de poſſeſsione deiecerit, quo edicto cauetur, Ne dominus inuitus detrudatur: ibi, Atq; hæc perinde loquor, &c. Concluditur autem ſyllogiſtico iudicio.

Si Næuius aliter poſſedit, quàm Prætor edixit, ex edicto non poſſedit.
Sed illud: quia Næuius Quintium inuitum detruſit, contra uerba edicti: ibi eſt teſtimonium edicti.
Ergo & hoc.

Sextum argumentum deinde ſubiectum, hodie deeſt: ad id tamen tranſit per apophaſin, Mitto illud dicere, &c.

DE PERORATIONE.

Quot ſunt partes Perorationis?

Duæ. Enumeratio & Amplificatio.

Quid

Quid agit in Enumeratione?

Tres partes Confirmationis cum ſuis argumentis repetit.
I. Non fuit cauſa cur poſtularet, quia nihil petijt à Quintio quia non de re, ſed de ſponſione agit. quia non ſtatim ad extrema iura ire debuit, quia uadimonium non deſeruit.
II Ex edicto poſsidere non potuit: quia Quintius non latitauit, non exilij cauſa ſolum uertit, non fuit indefenſus.
III. Non poſſedit: quia bona non uendidit, quia creditores reliqui non affuerunt, quia ipſe Næuius huius rei teſtis. quia celeritas incredibilis eſt: deniq; quia non omnia bona poſſedit: ut domum Romæ, ſeruos, prædia priuata, &c.

Quid agit in Amplificatione?

Obſecrat iudicem & aſſeſſores, ut Quintium contra Næuium defendant. Iudicium totum eſt enthymematicum:

Quintius cauſam bonam habet, & uir bonus eſt, & calamitoſus, & ab omnibus relictus. Antecedens comparatis illuſtratur & circumſtanſijs.
Debet igitur à iudice defendi.

Atq; hactenus Analyſis: ſequitur Geneſis atq; imitatio.

Quomodo imitabor per Geneſin hanc orationem?

Primò ſumes quæſtionem aliquam ſimilem: Sicut ergo hæc oratio ex contractu ſocietatis orta eſt: ita ſub eodem genere contractuum, plures ſpecies ſunt, mutuum, depoſitum, emptio, nuptiæ, donatio, mandatũ, &c. ad quas eadem imitatio transferri poteſt: Exemplũ nos ſumamus de filio exhæredato. Filius cõqueritur teſtamento patris ſe exhæredatũ: quæſtio ſit an exhæres eſſe debeat: tota cauſa diuidatur in tres propoſitiones.

I. Quòd

I. Quòd pater nullam cauſam habuerit cur exhæredaret. II. Quòd non potuerit exhæredare propter beneficia à filio accepta. III. Quòd non exhæredarit: quia teſtamentum non proferatur, aut non ritè confectum ſit. His ſic conſtitutis, ſi deinde per ſingulas propoſitiones eundem ordinem, eadem argumenta, eandemq́ diſpoſitionem enthymematum & ſyllogiſmorum cum Cicerone ſeruabimus, conſtabit ſibi Geneſis & imitatio: ipſæ quoque figuræ & ornamenta ultrò & ſua ſponte imitatori ſuccedent. Aliud exemplum. Adoleſcens quidam in tutorum poteſtate conſtitutus, donauit ſodali pecuniam, eam poſtea iuſſus à tutore repetit à donatario, ille prætendit ius donationis: res uenit in controuerſiam. Ibi pro donatore orator propoſitiones tres faciet. I. Non fuit cauſa cur donaret, quia nulla noticia cum donatario adoleſcenti fuit, nec liberalitatem exercere uoluit, cùm non intelligat quid ſit liberalitas. II. Non potuit donare, quia rem ſuam non poteſt deteriorem facere: qui autem donat, non fit locupletior. III. Omnino non donauit, quia id donatarius probare non poteſt. Atque hæc de Analyſi & Geneſi Logica. Super eſt ut dicamus de Analyſi Ethica & Politica ſeu Iuridica.

Quæ'nam eſt Analyſis Ethica?

Primò, in Næuio exemplum habemus auari hominis & πλεονεκτικοῦ: qui uſque eò feruet ferturq́ auaritia, ut de ſuis commodis nolit aliquam partem amittere. Item incontinentis, qui cum ius amicitiæ, ſocietatis, affinitatis ageretur, tam cupidè egit, ut ne quidem ſe conſuleret, aut ad ſe referret, ut reſpiraret cupiditas atq́ auaritia paululum; atq́ ut aliquid loci rationi, aut conſilio daret, & ſe colligeret, nec in eam turpitudinem ueniret, ut conſilium caperet hominis propinqui funditus

ditus euertendi. Huc pertinet uetus illud de ſcurra, multò facilius diuitem quàm patremfam. fieri poſſe: & illa dubitatio Ciceronis, quo nomine appellet Næuium improbum'ne an malitioſum, fraudulentum, audacem, cupidum, perfidioſum. Et in epilogo planè Ethicè eum depingit: quòd ad uoluntatem loqui poſſit, quòd ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam deuolare, quòd profuſis ſumptibus uiuere, quòd ornare magnificè, ſplendideque conuiuium, &c. Das iſt ein rechter Hoffman.

II. In Quintio exemplum boni uiri eſt, qui uixit ſemper incultè atque horridè: natura triſti ac recondita fuit: non ad ſolarium, non in campo, non in conuiuijs uerſatus eſt: id egit, ut amicos obſeruantia, rem parſimonia retineret: antiquam officij rationem dilexit, cuius ſplendor omnis his moribus obſoleuit.

III. In Cicerone exemplum eſt iuſti hominis, qui eum cui iniuria infertur, defendit: & diligentis, qui quò minus ingenio poteſt, ſubſidio ſibi diligentiam comparat, & cum Roſcio de controuerſia confert. Eſt etiam candidi hominis exemplum, quia Hortenſium æmulum ubique magnificè extollit.

Accedunt & alij loci. I. De bono uiro. Boni enim uiri cum palàm fraudantur, pedetentim tamen & timidè ad extrema iura deſcendunt, & hominum exiſtimationis & communis humanitatis cauſa: ut cum ipſi nihil alteri ſcientes incommodàrint, nihil ipſis incommodi iure cadere poſſit. Boni uiri etiam eſt ſæpè cogitare QVID AGO. Si me hercle, inquit Cicero hæc tecum duo uerba feciſſes, QVID AGO, reſpiraſſet cupiditas & auaritia paulum: aliquid loci rationi & conſilio dediſſes, tu te collegiſſes, non in eam turpitudinem ueniſſes. Boni uiri quoque eſt, ut qui imitatur orationem bonorum, eorum facta quoque imitetur.

II. De Auaritia. Nullum officium tam ſanctum atq; ſolenne eſt, quod non auaritia comminuere atq; uiolare ſoleat.

III. De fide & perfidia. Nam ſi ueritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinquitas colitur: neceſſe eſt, iſte, qui amicum, ſocium, affinem, fama ac fortunis ſpoliare conatur, uanum ſe & perfidioſum impium eſſe fateatur.

IIII. De nobilitate. Nobiles quò plus propter uirtutem, nobilitatemq; poſſunt, eò minùs quantum poſsint, debent oſtendere. Sæpè enim ſine iniuria potentiam leuem atq; inopem eſſe arbitrantur. Item. Homines nobiles ſeu rectè ſeu perperam facere cæperunt, ita in utroq; excellunt, ut nemo ignobilis aſſequi poſsit.

V. De honeſta fama. Dum exiſtimatio eſt integra, facilè conſolatur honeſtas egeſtatem. Mors honeſta ſæpè uitam quoque turpem exornat: Via turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit.

VI. De humanitate. Si non hominis, at humanitatis rationem habeamus.

Quæ'nam eſt Analyſis rerum, quę ad Politicam ſeu Iuriſprudentiam pertinent?

Primò in Genere notanda eſt uetus & uſitata conſuetudo iudiciorum: quæ comprehenſa eſt breuiſsimè in ſecunda parte confirmationis, his uerbis: Debere tibi dicis, negat: uadari uis: promittit. in ius uocat, ſequitur: iudicium poſtulas non recuſat. Hîc enim actus iudiciorum ſunt propoſiti, Vadimonium, In ius uocatio, Poſtulatio. De quibus, & alijs, ut de ſponſionibus, ſatiſdationibus, &c. uide Budæum in Pandectas.

II. In ſpecie conſid. 1. Iudex, qui præſidio eſſe debet ſolitudini & inopiæ contra uim & gratiam: qui non ex opibus, ſed ex ueri-

Digitized by Google

ex ueritate cauſas pendere: qui ſanctus & uerus eſſe: & humilibus in eius grauitate & uirtute conſolatio debet eſſe: apud eum ueritas ualere debet. Eius aſſeſſores uiri electiſsimi ciuitatis ſint, ut ueritas æquitate talium uirorum recreetur.

2. *Litigatores: qui ſæpius cogitant quid poſsit is in cuius ditione & poteſtate ſunt, quam quid debeat facere.*

3. *Procuratoris officium in Alpheno eleganter deſcribitur in ſecunda parte confirmationis. Defendit enim abſentem dominum ſeu principalem libellos proſcriptionis deijciendo, ſeruos retinendo, iudicium ſuſcipiendo, tribunos appellando, coram teſtibus ad hoc uocatis proteſtando, de iudicio ſiſti promittendo: quæ uſitata conſuetudo iudiciorum à Cicerone dicitur, cui contrariam rationem iudicium ſingulare uocat.*

4. *Tranſactio. Nam boni uiri eſt uidere, ut quam primum & quàm minima cum moleſtia res tranſigatur.*

5. *Hæreditas. Teſtamento hæredem relinquit fratrem, ut ad quem ſummus mœror morte ſua ueniebat, ad eundem ſummus honos quoq; perueniret.*

6. *De iudicio famoſo. Nam in quo iudicio agitur fama, ad id non ilicò eundum eſt, & prius de re iudicium fieri debet quàm de probro.*

7. *De auctione ſeu ſubhaſtatione: Libelli enim in celeberrimis locis proponuntur, magiſtri auctionis conſtituuntur, præco prædicat & precium conficit, bonorum emptores conueniunt.*

8. *De Teſtimonijs, Tuum teſtimonium quod in aliena re leue eſſet: in tua, quoniam contra te eſt, grauiſsimum debet eſſe.*

9. **De dotibus. Dos filiæ nubilis conficienda eſt.**

Digitized by Google

LOCI COMMVNES ORAtionum *Ciceronis.*

Societas:pro Quintio & Roſcio Comœdo.
Parricidium:pro Roſcio Amerino.
Repetundæ:contra Verrem & pro Flacco.
Interdictum de ui:pro Cecinna.
Ius ciuitatis:pro Archia & Balbo.
Seditio:contra Catilinam & pro Rabirio.
Veneficium pro Cœlio & Cluentio.
Ambitus:pro Muræna & Plancio.

ARTIFI-

Digitized by Google

ARTIFICIVM PRO SEX. ROSCIO AMERINO.

Quæ'nam eſt Quæſtio huius orationis?

AN Sex. Roſcius patrem ſuum occiderit: quod Cicero negat.

Quibus utitur argumentis?

Vno præcipuè argumento utitur à cauſis cædis, Voluntate ſcilicet & Facultate, ſumpto.

Quo iudicio concludit?

Dianoëtico ſyllogiſmi: in hunc modum:

Si Roſcius patrem occidit, neceſſe eſt ut Voluntatem & Facultatem occidendi habuerit.

Falſum ſecundum.

Falſum ergo & primum.

Qua methodo utitur?

Oratoria. *Habet enim exordium, narrationem, conſtitutionem cauſæ, contentionem & perorationem.*

DE EXORDIO.

Quid agit in Exordio?

Cauſas affert primò cur ad dicendum ſurrexerit: deinde cur cæteri formident.

Quæ'nam ſunt cauſæ cur ad dicendum Cicero ſurrexit?

Totum exordium cauſis, ut dixi, conſtat: ſed eæ perpetua diſſimilium comparatione tractantur. In principio eſt prole-

Digitized by Google

pſi,credo uos mirari,&c.& comparatio : reliqui tacent, ego ſurrexi. Ratio ſequitur: Illi metuunt periculum:ego uideor uel officioſior uel audacior. Verum his non ueris cauſis remotis: ponit 3.ueras cauſas triplici diſsimilitudine illuſtratas.
1. ego tutius,quam illi, dicere potero. 2. meæ adoleſcentiæ ignoſci poterit. 3. à me petierunt ÿ, quibus negare non potui. His tribus diſsimilibus ſubÿcit epiphonema à diuerſis.

Quæ'nam cauſa eſt cur cæteri formident?

Potentia Chryſogoni.qui bona Roſcÿ occiſi emit. Ad eam partem tranſit alia prolepſi, forſitan quæratis, &c. Deinde ſubÿcit aliam comparationem diſsimilium: in cuius protaſi per mimeſin poſtulatio Chryſogoni inducitur: in antapodoſi uerò poſtulatio Ciceronis duplex eſt,prima à Chryſogono,altera à iudicibus.

Quid poſtulat à iudicibus?

Tria. I. ut innocentium calamitatem leuent, per ſyllogiſmum connexum.

Si minima in re deliquit Roſcius, à iudicib. plectatur.
Sed nihil in illo cauſæ inueniri poteſt.
Indignum ergo eſt iudicum ſententia illum plecti.

Complexio augetur ab adiunctis iudicum & aduerſariorum & Ciceronis: cui obſtat ingenium,ætas, tempora, timor, qui ex ſuis cauſis deſcribitur: natura, dignitate,ui, periculis. Itaque iudices onus illud alleuare debent, per dilemma cum comparatione maiorum.

II. Vt audacium ſceleri reſiſtant per comparationem parium & apoſtropham ad Fannium: ac teſtimonium multitu-

dinis

dinis & adiuncta pericula, quæ comparatione multiplici illuſtrantur, cum inſigni anaphora.

DE NARRATIONE.

Quot ſunt membra Narrationis?

Sunt itidem 4. ſicut ſuperioris orationis. Nam 1. eſt propoſitio narrationis ad docilitatem: Ab initio quemadmodum res geſta ſit, exponam. 2. Eſt expoſitio rei geſtæ. 3. Clauſula narrationis ἐπιφώνημα ἠθικὸν. 4. Digreſsio.

Quot ſunt partes expoſitionis?

Duæ ſunt. In priore continetur cædes Roſcij: in poſteriore, ea quæ conſecuta ſunt cædem.

Quæ'nam ſunt circumſtantiæ prioris partis?

1. Perſona Roſcij deſcribitur ab adiunctis nobilitate, pecunia, gratia, & factis: fauit enim nobilibus, in ore omnium uerſatus eſt, cum duobus Roſcijs inimicitias geſsit: quos ibi quoque deſcribit. 2. Cædes etiam deſcribitur à circũſtantijs loci & temporis.

Quid, quæ'nam ſunt circumſtantiæ poſterioris partis?

1. Nunciatio cædis. Nunciatur enim cædes Roſcio Capitoni (ubi amplificatio celeritatis) & Chryſogono Syllæ liberto, ubi proſopopœia eſt. 2. Societas Chryſogoni cum Roſcijs, & bonorum emptio. Ibi eſt per occupationem digreſsio ad excuſationem Syllæ; quia non poſsit omnes improbos obſeruare & compeſcere. 3. Occupatio bonorũ per T. Roſciũ, amplificata factis eiuſdem, & adiunctis indignitatis per diſtributionem. 4. Legatio Amerinorũ ad Syllã quos Chryſogonus &

Capito eludunt : ibi eſt mimeſis decreti, ſeu ſumma legationis ſeu inſtructio ut uocat. 5. Fuga Roſcij Romam ad Cæciliam, quam deſcribit ab adiunctis & factis. 6. Conſilia aduerſariorum quibus impulſi, Roſcium iugulari cuperent ; ubi eſt clauſula narrationis.

Quid agit in Digreſsione?

Primò dubitatio eſt ad mouendum πάθος. Deinde eſt iteratio ſeu renouatio tum narrationis ibi, pater occiſus, &c. tum exordij, ibi, Et forſitan &c. tum ſceleris aduerſariorum per proſopopœiam Roſcij, ibi, patrem meum, &c. & per ſimile factum Fimbriæ: πρότασις eſt ibi, Hominem longè ; apodoſis eſt ibi, eſt'ne hoc illi, &c.

DE CONSTITVTIONE CAVSAE.

Quot'nam agit in hac parte?

Duo. Proponit & Partitur. Propoſitio non aperta eſt aut ſimplex, ſed figurata, quid eſt in hac cauſa quòd defenſionis indigeat? quaſi dicat Roſcius eſt innocens. Partitio non eſt ſimplex. Nam primò eſt promiſsio partitionis: quam deinde ſequitur ipſa partitio, & hanc diſtinctio duplex.

DE CONTENTIONE.

Quot ſunt partes Contentionis?

Tres, ſicut in partitione fuerunt propoſitæ: Prima ἐλεγκτικῇ aduerſariorum crimen diluit, quòd Roſcius non occiderit patrem. Secunda ἀποδεικτικῇ oſtendit T. Roſcium hanc cædem feciſſe. Tertia Chryſogoni potentiã in inuidiam adducit.

Quibus

Quibus argumentis probat primam partem: Quòd filius non occiderit patrem?

Vno argumento, à remotione ſcilicet cauſarum parricidij.

Quo iudicio concluditur?

Dianoëtico ſyllogiſmi, hoc modo:

Si filius occidiſſet patrem, Erucius afferret cauſam occidendi & facultatem.

Sed occidendi nec cauſam, nec facultatem attulit.

Non igitur occidit.

Propoſitio & Aſſumptio ſuos proſyllogiſmos habent.

Qui'nam eſt proſyllogiſmus Propoſitionis?

Eſt ab adiunctis, quia parricidium atrox maleficium eſt, idq́ exclamatione & maioribus amplificatur: ſi uultu læditur pietas, quanto magis facto. Poſtea ſequitur propoſitio cum apoſtropha ad Erucium, cui ſubiungitur diſtributio cauſarum, quas accuſator afferre debuerit.

Qui'nam eſt proſyllogiſmus Aſſumptionis? *Cauſa.*

Duplex eſt. Prior approbat priorem partem aſſumptionis de cauſa, quæ ſumitur tum à Roſcij perſona, tum à re, ſeu parricidio.

Quomodo à perſona Roſcij?

Quia non fuit adoleſcens corruptus, non homo audax, nõ luxurioſus, non debitor, non cupidus, non fuit odio patri.

Quo iudicio concluduntur hæc?

Priora argumenta axiomatico iudicio concluduntur: duo poſteriora dianoëtico, hoc modo:

Qui ruri habitat, in eo nulla eſt cupiditas.
Roſcius ſemper ruri habitauit.
Nulla igitur in eo eſt cupiditas.

Quòd non fuerit odio patri, probat: quia aut nulla cauſa odij affertur, aut tantum falſa ſigna: utraq; pars ſyllogiſmo concluſa eſt: Si diſplicebat patri, eius cauſa aliqua eſſet. Propoſitio approbatur ſimili.

Sed nulla cauſa fuit.
Non ergo odio fuit patri.

Complexionis loco eſt alius ſyllogiſmus connexus argumento ab adiunctis.

Si ſine cauſa odiſſet filium, fuiſſet amens.
Non aũt fuit amens: quia conſtantiſsimus, à cõtrario.
Ergo non odit ſine cauſa.

Quænam ſunt falſa ſigna?

Duo ſunt: Ablegatio & Exhæredatio. Vtrunq; ſignum ſyllogiſmo refutat: Sed priuſquàm id faciat, dubitationem præmittit per duplicem comparationem parium, breuem ſcilicet & explicatam. Huic ſubijcit duos ſyllogiſmos ad relegationis refutationem.

N. pater filio pulchra prædia tradit odij cauſa.
Roſcius pater filio tradidit prædia pulchra.
Non ergo eũ oderat. Complexio *augetur maioribus.*

Sequitur apoſtropha ad Erucium & alter ſyllogiſmus.

Quod conſuetudine & beneuolentia fit, non fit odio.
Propoſitio illuſtratur commoratione & proſyllogiſmo maiorum & teſtimonium per apoſtrophen & dialogiſmum.

Patres filios rus ablegant conſuetudine. Proſyllogiſmus eſt ab exemplis tũ fictis & fabuloſis (ubi etiam

finem

ſinem fabularũ fictarum attingit) tum ueris Umbrorũ, Roſcij, Veterum cõſulum: quorũ facta alio ſyllogiſmo connexo ornat: Si agrum colere turpe eſſet, turpis Atilius. At non turpis Atilius: ratio à teſtimonio per diſſimilium cõparationem. Non ergo turpe eſt agrum colere: imo hac ratione Reſp. Rom. florentiſsima euaſit: hinc ſequitur prolepſis & comparatio maiorum.

Non ergo odio ablegant: Complexio ornatur ironia: Odium igitur, &c.

Quomodo refellit alterum ſignum Exhæredationis?

Rurſus à cauſarum remotione.

Si pater exhæredare filium uoluit, cauſam habuerit neceſſe eſt.

Ad nullam cauſam Erucius afferre poteſt.

Non ergo exhæredare uoluit.

Complexio amplificatur digreſsione primũ in locum communem de accuſatoribus: quorum finem deſcribit & genera & per comparationem ſimilium: deinde in perſonam Erucij: ubi primò cauſam inquirit cur accuſet per proſopopœiam, deinde eius negligentiam in accuſando arguit effectis. Poſtea redit à digreſsione, ibi Quæ quoniam, &c.

Quomodo ratiocinatur à reipſa ſeu parricidio?

In hac parte duo ſyllogiſmi ſunt, prior eſt:

Magnũ ſcelus, nõ temerè & ſine cauſa creditur. Ibi, Quod in minimis &c. ubi eſt proſyllogiſmus à cõparatis maioribus tribus & diſtributione temeritatis & cauſarum efficientiũ principaliũ & adiuuantiũ. Quibus ſubijcitur iteratio propoſitionis per ſynonyma ſceleris.

Parri-

Digitized by Google

Parricidium eſt magnum ſcelus: Aſſumptio uariè approbatur. 1. teſtimonio naturæ. 2. adiunctis portentorum & immanitatis. 3. comparatione ferarum. 4. teſtimonio iudicum Terracinenſium. 3. exemplo poëtico Oreſtis, ubi inſignis locus communis de furijs, hoc eſt conſcientia.

Ergo non temerè ſine cauſa creditur. Ibi, hæc magnitudo, &c. ubi rurſus eſt diſtributio cauſarum efficientium principalium & adiuuantium: item iteratio ſynonymorum.

Qualis eſt alter Syllogiſmus?

Scelus, cui ſingulare ſupplicium eſt conſtitutum à maioribus noſtris, non ſine cauſa creditur. Omittitur propoſitio:

Parricidium eſt ſcelus cui ſingulare ſupplicium eſt à noſtris maioribus conſtitutum. Ibi, itaq; cum multis, &c. Aſſumptio illuſtratur laude prudentiæ Ro. per comparationem maiorum cum cæteris nationibus & Athenienſibus, eáq; duplici, primò breui, cum attentione: deinde explicata, cuius πρότασις ibi eſt, prudentiſſima: ἀπόδοσις ibi, Quantò maiores, quæ illuſtratur cauſa efficiente & finali, ac commemoratione ſupplicij, eiuſq; diſtributione per elementorum partes & hypotypoſin.

Non ergo ſine cauſa creditur. Ibi, tanti maleficij crimen. complexio augetur ſyllogiſmo connexo per apoſtrophen ad Erucium:

Si de re leui, apud homines leues ageretur, paratior eſſe debebas.

At de parricidio apud uiros prudentiſſimos agitur.

Quanto

Quanto igitur paratior eſſe debebat? Complexionem ſequitur tranſitio ad alterum proſyll. aſſumptionis.

Qui'nam eſt alter proſyllogiſmus aſſumptionis?

Fa

In eo oſtendit Cicero, quòd Roſcius non habuerit facultatem occidendi patris, ubi duo ſibi ſumit, Modum ſcilicet & Tempus.

Quid, de modo quomodo ratiocinatur?

Iudicio ſyllogiſmi connexi concludit.

Si Roſcius patrē occidit, aut ipſe occidit, aut per alios.
Sed nec ipſe, nec per alios occidit.
Non igitur occidit.

Aſſumptio ſuos proſyllogiſmos habet: Primò ipſe non occidit, quia Romæ non fuit: per alios non occidit, quia nec per liberos, nec per ſeruos: ubi rurſus ſyllogiſmus eſt connexus:

Si per alios occidit, aut per liberos occidit, aut per ſeruos.
At nec per liberos occidit, nec per ſeruos.
Non ergo per alios occidit.

Huius quoq; ſyllogiſmi aſſumptio duos proſyllogiſmos habet, priorem hoc modo:

Si per liberos occidit, aut per Amerinos occidit, aut per ſicarios Romæ.
Sed nec per Amerinos occidit, (quia nulli nominantur) nec per ſicarios, quia neminem nouit Romæ: idq; approbat remotione circumſtantiarum maleficij, quas ſimplicitas & ruſticitas non intelligit, quod ſyllogiſmo alio probatur: In ruſticis moribus, maleficia iſta gigni non ſolent: propoſitio approbatur

probatur à ſimili & diuerſis (per gradationem) & aduerſis. At Roſcius fuit homo ruſticus & agreſtis, ut ipſe Erucius faſſus eſt. Aſſumptio antecedit propoſitionem. Roſcius ergo eſt innocens. Complexio apophaſi conſtat.

Non ergo occidit per liberos. Complexio augetur dialogiſmo cum ironia.

Quis eſt alter proſyllogiſmus?

Si per ſeruos occidiſſet, non illos ad quæſtionem poſtulaſſet. Propoſitio incipit per exclamationem.

Sed ad quæſtionem eos poſtulauit: id probat à teſtimonio Scipionis & Metelli per apoſtropham.

Ergo nō occidit per ſeruos: Cōplexio ibi eſt, Dubitate etiã, &c. quæ augetur adiunctis per cōparationem minorũ: quam ſequitur reiectio & iteratio principalis ſyllogiſmi, ſed breuis.

Si Roſcius patrem occidit, aut ſua manu fecit, aut per aliquos liberos aut ſeruos.

Sed nec ſua manu (quia id Erucius negat) nec per liberos (quos non potuit conuenire) nec per ſeruos (quia ibi allegoricè Erucius in ſcopulum impegit.)

Non ergo patrem occidit. Atq; hæc de Modo.

Quid de Tempore Cicero?

Erucius Roſcio tempus obiecit quo homines uulgò impunè occidebantur: id Cic. in aduerſarios retorquet ſyllogiſmo tali.

Vulgo occidebantur homines per ſectores & ſicarios qui Romæ erant.

At Roſcius nunquam Romam uenit: nec fuit ſicarius: ſed aduerſarij.

Non ergo hominem quenquam occidit Roſcius, ſed aduerſarij.

His

His ſubijcit epilogum primæ partis de criminatione Erucij per correctionem & prolepſin de peculatu: quam ſoluit diſſimilibus, & epiphonemate cum reiectione.

SECVNDA PARS CONtentionis.

Quod T. Roſcius hanc cædem fecerit.

Quibus argumentis probatur ſecunda pars?

Ad ſecundam partem tranſit procemio quodã, in quo commemorat qua cauſa ad accuſandum impulſus ſit, fide ſcilicet non cupiditate, idq; ſyllogiſmi iudicio iudicatum eſt:

Si cuperẽ accuſare, accuſarẽ eos ex quib. poſſem creſcere.

Sed non tenet me cupiditas accuſandi. Proſyllogiſmus eſt ex loco communi.

Ergo non accuſo eos unde creſcam, ſed ſpecto quid mea fides poſtulet: ibi eſt apoſtropha ad T. Roſcium.

Hanc itaq; ſecundam partem probat à cauſis, eamq; concludit iudicio ſyllogiſmi huiuſmodi:

Qui cauſam & facultatem occidendi habuit, is occidit,

T. Roſcius habuit occidendi & cauſam & facultatem.

Occidit igitur.

Vtraq; pars aſſumptionis ſuos quoq; proſyllogiſmos habet; ſicut & complexio.

Quinam eſt prioris partis proſyllogiſmus?

Duplex eſt. Prior: hoc modo à cauſa finali:

Cui bono fuit, is occidit: Approbatur teſtimonio Caſſij & ſentẽtiæ, cui ſubijcitur diſſimilitudo reorũ et Ciceronis.

Aduerſarij

Aduerſarijs cædes Roſcij bono fuit: approbatur comparatis diſsimilibus.

Ergo aduerſarij occiderunt.

Alter proſyllogiſmus prioris partis à cauſis efficientibus, ſic eſt:

Qui tenuis, auarus, audax, occiſi inimicus eſt, is potius occidit quàm alius, ibi: Quid ſi accedit, &c.

At T. Roſcius talis eſt, ibi: quid horum negari, &c. per diſtributionem.

Ergo is potius Sex. Roſcium occidit, quam alius, ibi: Reſtat iudices, &c. ubi inſignis comparatio eſt & iteratio rationum ac repetitio rhetorica: denique etiam auerſio ſeu apoſtropha ad Erucium aduerſarium oratorem, in cuius perſonam inuehitur per digreſsioné, de qua Ramus in militia Cæſ. pag. 9. à qua redit, ibi: Verum ut cepi dicere, &c.

Qui'nam eſt proſyllogiſmus ſecundæ partis?

Hunc ſuperiori annectit per tranſitionem, ibi: Video igitur, &c. conſtat aũt comparatione diſsimilium, hoc modo:

Qui Romæ aſsiduus fuit, qui ſicarius & percuſſor fuit, ab eo ueriſsimilius eſt Roſcium occiſum eſſe, quam ab eo qui nec Romæ fuit, nec ſector fuit. Ibi, ubi occiſus eſt, &c.

At T. Roſcius Romæ aſsiduus fuit, & ſector fuit: Sex. uerò Roſcius filius Romæ nõ fuit, nec ſicarius fuit, ibi: *Dices quid poſtea: eſtq; ibi dialogiſmus.*

Ergo T. Roſcius potius Sex. Roſcium occidit, quàm filius Sex. Roſcius. ibi, Permulta, &c. ubi eſt apophaſis per comparata maiora.

Qui'nam

Qui'nam eſt proſyllogiſmus complexionis?

Sumitur ab illis quæ poſt mortem Roſcij facta ſunt, quæ commemorare incipit, ubi ait, Videamus nunc ſtrictim, &c. ubi & audaciam T. Roſcij inſectatur. Deinde recenſet quomodo per Glauciam, & qua celeritate cædes Capitoni primum, deinde Chryſogono nunciata ſit: quòd perfidus Capito in legatis fallendis fuerit: quòd T. Roſcius quæſtionem ſeruorum recuſarit.

Quomodo deſcribitur iſte Glaucia?

Ab adiunctis quòd cliens & familiaris T. Roſcij. Ab effectis quod Capitoni cædem Roſcij nunciauerit, quòd maximopere feſtinauerit, & ipſe Roſcium occiderit.

Quomodo deſcribitur Roſcius Capito?

Ab effectis, quòd multos occiderit: & quòd teſtimonij dictionem minatus eſt in Sex. Roſcium: quam eleuat exclamatione, & adiuncta cæcitate & diſsimili comparatione temporum, cuius πρότασις eſt ibi, Itaque: ἀνταπόδοσις uerò ibi, Videte nunc, &c.

Quid de nuncio, quòd Chryſogono factum eſt, diſſerit?

Diſſerit id à Roſcijs factum eſſe, ibi: Age nunc illa: quia Chryſogono amici antea fuerint, & in bonis occiſi ſunt: utrũq; ſyllogiſmo iudicatum eſt. prius ſic:

> *Amici, uicini & municipes plerunque res indicant & produnt.*
> *Roſcij Chryſogono amici fuerunt.*
> *Illi ergo prodiderunt.*

Q Poſterius

Poſterius ita :

Qui partem indicij accepit, is indicauit.

Roſcij partem indicij acceperunt.

Non ergo dubium eſt quin indicarint.

Quid de Capitonis perfidia?

Eum primò cædis inſimulat, quia prædia occiſi poſſideat: idq; ſyllogiſmi connexi iudicio:

Si nihil Roſcius in illa cæde fecit, non debebat à Chryſogono tãtis præmijs donari? Ibi: ſi nihil in iſta, &c.

At magnis præmijs eſt donatus Ibi: cur tria, &c.

Aliquid ergo in illa cæde fecit. Ibi: Non'ne perſpicuum eſt?

Deinde perfidiam eius in legatis fallendis multum exaggerat & amplificat: ex qua eundem quoq; cædis arguit: ſyllogiſmo prolixo: quem primò attentione quadam cõſtituit, cum ait, totam uitam, &c Hinc ipſe ſyllogiſ. ſequitur:

Qui perfidus eſt, is & à cæde illa non eſt alienus, ibi: Niſi intellexeritis, &c.

At Capito perfidus homo eſt.

A' cæde ergo non eſt alienus.

Aſſumptio ſuos proſyllogiſmos habet: primò enim per hypotypoſin oſtendit qua perfidia in legatis fallendis uſus ſit, ibi: impedimento eſt, &c. Deinde eam perfidiam amplificat duobus argumentis maiorum comparatorum: quorum prius eſt: in priuatis rebus mandatum malitioſè gerere turpe eſt, quantò turpius in re publica & legato. πρότασις ibi eſt, in priuatis rebus: illuſtrata maioribus paribus, fine iudicij de mandato, loco communi rurſus fine, dialogiſmo, denique adiunctis. A'πόδοσις ibi eſt, Ita'ne eſt? ubi iteratio quoque eſt προτάσεως: imò poſt ἀπόδοσιν, totius illius comparationis prolixioris

lixioris repetitio breuior ſubijcitur, ibi: in minimis priuatisq́; &c. Cuius ἀπόδοσις augetur ſyllogiſmo connexo, hoc modo:

Si Capitoni Roſcius priuatim hoc mandaſſet, iudicio honeſtatem Roſcius omnem amiſiſſet, ibi: Si hanc ei rem.

At non Roſcius, ſed decuriones Capitoni hoc mandarunt ibi; nunc non hanc ei, &c.

Multò ergo magis honeſtatem amiſit.

Alterum argumentum comparatorum maiorum, eſt incluſum ſyllogiſmi iudicio: ad quod tranſit attentione. Videte iam porro, &c.

In rebus minoribus ſocium fallere turpiſsimum eſt.

At Capito non unum ſocium, ſed nouos legatos fefellit.

Quanto igitur hoc turpius eſt?

Propoſitio, illuſtratur paribus (quia ſocium fallere æquè turpè eſt ac mandatum negligere) & proſyllogiſmo.

Quæ difficulter cauentur, ſunt animaduertenda maximè.

Sociorum peccata difficulter cauentur. Illuſtratur contrarijs

Ea igitur animaduertenda ſunt maximè: approbata teſtimonio ueterum.

Aſſumptio, ibi eſt: At uerò T. Roſcius, quæ & ipſa ſuam amplificationem habet & diſsimilem comparationem, cuius πρότασις eſt ibi: Itaq; nunc, ἀνταπόδοσις ibi: iſte, qui initio &c. His proſyllogiſmis duobus complexio ſubijcitur: Capito ergò à cæde non eſt alienus: ibi in eiuſmodi uita, &c. ubi repetitio eſt propoſitionis principalis ſyllogiſmi.

Digitized by Google

Quid de T. Roſcio ait?

Ad eius facta per relatorum locum tranſit, ibi: Etenim quoniam. Facta autem eius ſunt, quòd quæſtionem recuſauit: cuius rei Cicero cauſam quærit iudicio ſyllogiſmi:

Si cauſam recuſandi quæſtionem T. Roſcius habuit, tum aut indigni homines poſtulabant, aut pro indigno poſtulabant, aut res iniqua erat. Ibi, tu ſemper T. Roſci, &c.

Sed nec indigni, nec pro indigno, nec pro re indigna poſtulabant, Ibi: Poſtulabant homines, &c. Aſſumptio approbatur adiunctis.

Non ergo cauſam habuit recuſandi quæſtionem ſeruorum, Ibi: Quæ cum ita ſint, &c. *Complexio amplificatur ſuſpicione duplici, quòd aduerſarij nolunt de ſeruis quæri, & eos ſecum habent: & his ſuſpicionibus duabus oppoſitæ obiectiones per dialogiſmum ſoluũtur: prior ibi, in dominos quæri, &c. altera ibi, cum* Chryſogono, *&c. ubi eſt Ironia & contradictio: quæ habet diuerſa & paria.*

TERTIA PARS.

In qua Chryſogoni potentiam in inuidiam adducit.

Quid agit in tertia parte?

Ad tertiam partem occultè tranſit, ubi ait: Quid igitur? *& in ea parte tria agit. 1. ordinem orationis oſtendit, ibi meminiſtis, &c. ac cauſam affert cur breuior de ſceleribus aduerſariorum ſit:*

Quod neceſſariò facio, id neq; diu, neq; diligẽter facio.

At

At de Roſciorum ſcelere neceſſariò dixi.
Ergo id breuiter feci. Complexio cõſtat diſtributione.

2. Diſputat de uenditione bonorum Roſcij. 3. de Chryſogoni potentia.

Quid de uenditione bonorum ait?

Negat ea iure potuiſſe uenire: iudicio ſyllogiſmi:

Si bona Roſcij, lege proſcriptionis uenierunt, tum Roſcius aut proſcriptus, aut in aduerſariorum præſidijs occiſus, aut malus ciuis fuit, aut bona ad diem in lege præfinitam uenierunt.
Sed nihil horum eſt.
Bona ergo Roſcij, lege proſcriptionis non potuerunt uenire.

Complexio prima eſt, ibi: primum hoc uideamus, &c. Aſſumptio ſecunda, ibi: ſcriptum enim ita, &c. ubi & paulò ante propoſitionem attentio eſt cum apoſtropha ad iudices ut pauca quæ reſtant, audiant. Propoſitio tertia eſt, ibi: Ego hac &c. cui ſubiecta eſt prolepſis, quòd huius rei culpa in Syllam conferri poſsit, quod negat argumento à comparatis minoribus: Deus non poteſt omnia mala animaduertere, multò ergo minus Sylla, πρόταοις ibi eſt: Etenim ſi Iupiter ἀπόδοσις ibi, quid miramur? &c.

Quid de potentia Chryſogoni ait?

Per diſtributionem enumerat. 1. Eius prædia, ubi finis & adiuncta. 2. Domum & ſupellectilem. 3. Familiam. 4. Luxum & ſumptus quotidianos. 5. Habitum. 6. Conatus: ubi longa argumentatione nobiles homines demulcet: ne uideatur eorum cauſam lædere: idq; iudicio ſyllogiſmi, hoc modo:

Qui ſuo iure utitur in uituperãdo, is nõ malè loquitur.
At ego meo iure in uituperando utor.
Non ergo malè loquor.

Tandem conatus Chryſogoni liberè exprimit, ibi: quæ quidem dominatio, &c. & hos conatus amplificat finali cauſa per ſyllogiſ connexum:

Si uictoria parta eſt, ut ſerui nobilium nos uexẽt, tum ego erro, ibi: id circo' ne, &c.
Sed uictoria nõ ideò parta eſt, ibi: ſin aũt uictoria, &c.
Non ergo erro, ibi: tum uerò optimo, &c.

DE PERORATIONE.

Quid agit in Peroratione?

Ad affectum mouendum recitat. 1. qua conditione contentus ſit Roſcius, ibi: uerum hæc omnis, &c. 2. quid pro ſe dici uelit partim ad Chryſogonum, partim ad iudices: quorum utrunq; fit per Apoſtrophen.

Quid ad Chryſogonum dicit Cicero?

Petit ut pecunia Roſcij contentus, eius uitam non petat: idq; duobus ſyllogiſmis, quorum prior eſt:

Si Chryſogonus Roſcij bona omnia poſsidet, uitam ei concedere debet, ibi: rogat oratq;, &c.
At Chryſogonus omnia Roſcij poſsidet, ibi: Prædia mea: per comparationem diſsimilium & diſtributionem.
Vitam ergo ei concedere debet, ibi: quid uis amplius? ubi finali & efficiente cauſa urgetur Chryſogonus.

Alter eſt talis:

Si Chryſogono nulla cauſa eſt, cur Roſcium affligat,

certè

certè crudelis eſt,ibi:quod ſi tibi, &c.ubi eſt compa ratio minorum.

At nulla cauſa eſt,ibi: ſcis hunc nihil,&c. ubi teſtimo nij locus & diſtributio cauſarum.

Ergo crudelis eſt,ibi:& tamen oppugnas.

Quid ad iudices loquitur Cicero?

Implorat eorũ bonitatem ac miſericordiam.ibi: Verum ſi à,&c.& deinceps uſq; ad finem orationis. Eſt & hîc ſyllogiſ.

Si uos iudices quoq; crudeles eſtis, perimus, ibi: ſin ea crudelitas.

Sed non eſtis crudeles,ibi: Ad eam'ne rem,&c.ubi ap- probatio eſt à diſſimili,cuius πρότασις eſt ibi: ſo- lent hoc boni.&c.ἀνταπόδοσις,ibi:Dij prohibedẽ.

Salui ergo etiam nunc eſſe poſſumus.

Cui ſubijcitur & alter:

Si ad uos liberi proſcriptorum adducuntur,noua pro- ſcriptio inſtauratur,quæ à uobis reijcienda eſt.

Sed illud.

Ergo & hoc.

Propoſitio ſecundo loco eſt,ibi:quod ſi id uos &c. Aſſum- ptio primo,ibi:an uerò iudices,approbata exẽplo Roſcij. Com plexio eſt tertio loco,ibi:illam priorem,&c.quæ illuſtratur pri mò comparatis minoribus:ſenatus illam priorem proſcriptio- nem ſuſcipere noluit,multò minus hanc ſuſcipere debetis, de- inde ſyllogiſmo:

Ex qua re Reſp.laborat eam tollere ſapientes debent, ibi:homines ſapientes,&c.

At crudelitate Reſp.laborat, ibi: Veſtrum nemo,&c. ubi locus teſtimonij.

Ergo iudices ut ſapientes homines eam tollere debent,

ibi, hanc tollite: Complexio augetur effectis per comparationem maiorum.

ETHICA.

Qui'nam ſunt loci huius orationis Ethici?

1. *In Cicerone eſt Fortitudo togata, qui in ſumma temporum illorum licentia contra potentiſsimos aduerſarios pro inope & miſero Roſcio cauſam dixit. Vnde illud, Si à uobis iudices deſerar, tamen animo non deficiam, & id quod ſuſcepi, quoad potero perferam: quòd ſi perferre non potero, opprimi me onere officij malo, quàm id quòd mihi cum fide ſemel impoſitum eſt, aut propter perfidiam abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere. Item illud: Nulla res tanta exiſtat iudices, Vt poſsit uim mihi maiorẽ adhibere metus quàm fides. Econtra de ignauia & imbecillitate multorum id commodè uſurpabitur, qui cum de re agitur adſunt, propterea quòd officium ſequuntur: tacent autem idcirco, quia periculum metuunt.*

2. *De obſequio amicis, benemeritis & autoritate prædictis debito, quorum neq; beneuolentiam erga nos ignorare, nec autoritatem aſpernari, nec uoluntatem negligere debemus. Item de gratitudine his declaranda. Rectum enim eſt pro eorum honeſtate pugnare, propter quos aliquis honeſtiſsimus inter ſuos numeratur.*

3. *De felicitate quòd nemo ex omni parte ſit beatus. Nemo enim quamuis felix poteſt eſſe in magna familia, qui neminem in ea improbum habeat.*

4. *Morum inconſtantia ob fortunæ proſperitatem.* Qui in

re ſua

Digitized by Google

re ſua fuit gentiſsimus, erat (ut ſit) inſolens in aliena.

5. *Homines antiqui ex ſua natura cæteros fingunt.*

6. *Vultu ſæpè læditur pietas.*

7. *Vita ruſtica maximè diſiuncta à cupiditate & cum officio coniuncta.*

8. *Spurij, id eſt, quibus fortuna non dedit, ut patre certo naſcerentur, intelligere non poſſunt, qui animus patrius in liberos ſit.*

9. *Homines notos ſumere odioſum eſt, id eſt, exempla nota ſunt odioſa.*

10. *De fabuloſis exemplis poëtarum cur adhibeantur in uita communi. Hæc conficta, &c.*

11. *De conſcientia. Nemo putat eum qui omnia iura polluerit, ſomnum capere poſſe. Sua quemq; fraus & ſuus terror, &c.*

12. *Amor naturalis,* στοργὴ φυσικὴ *erga parentes. Magnam uim, magnam neceſsitatem, &c.*

13. *Audacia. Nihil eſt tam ſanctum, quod non aliquando uiolet audacia.*

14. *Is mihi uidetur ampliſsimus, qui ſua uirtute in altiorem locum peruenit, non qui aſcendit per alterius incommodum & calamitatem.*

15. *Sic uita hominum eſt ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atq; emolumento accedere. Vtilitas.*

16. *Cæcos reddit cupiditas, auaritia, audacia.*

17. *Per uicinos pleriq; produntur.*

18. *Perfidia Capitonis in legatis fallendis & aulica uerſutia obſeruatu digna eſt: qui ſuos collegos aduerſario prodit, his inſidioſè ſpem falſam oſtendit, cum illo conſilia init, illiq; horum conſilia enunciat, his omnes aditus intercludit.*

19. *Vbi multa auarè, multa audacter, multa improbè, multa perfidioſè facta uidetis, ibi ſcelus quoq; latere inter tot flagitia putatote.*
20. *Errat qui cum capiti mederi debet, reduuiam curat.*
21. *A nebulonibus facetius eludimur quàm putamus.*
22. *Commoda quibus utimur lucem qua fruimur, ſpiritum quem ducimus ab Deo nobis dari atq; impertiri uidemus.*
23. *Luxurioſi hominis deſcriptio in Chryſogono aperta eſt.*
24. *Homo ſuperbus eſt qui omnes deſpicit, hominem præ ſe neminem putat, ſed ſe ſolum beatum exiſtimat.*
25. *In certamine ciuili perditi ciuis eſt, non ſe ad eos iungere, quibus incolumibus & domi dignitas & foris autoritas retinetur.*
26. *Nobiles, niſi uigilantes & boni, & fortes & miſericordes erunt, ijs hominibus in quibus hæc erunt, ornamenta ſua concedant neceſſe eſt. Quapropter deſinant dicere, malè aliquem locutum eſſe, ſi quis uerè ac liberè locutus ſit.*
27. *Homines ſapientes & autoritate ac poteſtate præditi ijs maximè rebus debent mederi, ex quibus maximè Reſp. laborat: qualis res eſt domeſtica crudelitas. Hanc ergo tollere ex Rep. debent.*
28. *Crudelitas etiam leniſſimis adimit miſericordiam conſuetudine incommodorum.*

POLITICI.

Qui'nam ſunt loci Politici?

1. *De officio iudicum: qui audaciam ſceleri reſiſtere, innocentium calamitatem leuare & pericula propulſare debent.*
2. *De accuſatoribus, de quorum licentia coërcenda lex olim*

Memmia

Memmia lata fuit. Accuſatores autem multos eſſe in ciuitate utile eſt ut metu contineatur audacia,&c.

3. *Vtilius eſt abſolui innocentem, quam nocentem cauſam non dicere.*

4. *De pœna parricidij. Parricidæ enim inſuuntur in culeum uiui atque in flumen deijciuntur.*

5. *In genere de pœnis.* Quos *natura ipſa retinere in officio non poteſt, ij magnitudine pœnæ maleficio ſubmouendi ſunt.*

6. *Solon ſapienter feciſſe dicitur, cum de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat: ne nõ tam prohibere, quàm admonere uideretur.*

7. *His ueſtigijs ad caput maleficij perueniri ſolet: Vbi eos conuenit? qui cum locutus eſt: quomodo perſuaſit?*

8. *De patria poteſtate in liberos, quos operi ruſtico ablegare potuere. Item de poteſtate dominorum in ſeruos, in quos de morte domini ueteres quæri uoluerunt.*

9. *Immunitas ætatis ſeu priuilegium. Vacatio enim ætatis in re militari legibus Romanorum definiebatur, quod oſtendit allegoria militaris, qua rabulas Forenſes arguit.* Non *neceſſe eſt (ait) omnes commemorare* Curtios, *Marios,* Mamercos, *quos iam ætas à prælijs auocabat poſtremò Priamum ipſum ſenem Antiſtium, quem non modò ætas, ſed leges pugnare prohibebant.*

10. *Sectores honorum fuerunt, qui bona proſcriptorum emebant.*

11. *De teſtimonijs. More maiorum comparatum eſt, ut in minimis rebus homines ampliſſimi teſtimonium de ſua re non dicerent. Africanus, qui ſuo cognomine declarat tertiam partem orbis terrarum ſe ſubegiſſe, tamen ſi ſua res ageretur, teſtimonium*

Digitized by Google

ſtimonium non deceret. Nam illud in talem uirum non audeo dicere ſi diceret, non crederetur.

12. *Locus de Mandato & de Societate.*

ARTIFICIVM PRO Q. ROSCIO COMOEDO.

Quæ'nam eſt quæſtio huius orationis?

AN Roſcius Fannio aliquid debeat ex ſocietate.

Quibus utitur argumentis?

Diſſentaneis: Quòd Fannius nihil mutuò dederit, nec ſocietatis nomine eam pecuniam expenderit: Quòd deniq; Roſcius nihil promiſerit.

Quo iudicio concluſit?

Dianoëtico enthymematis. Syllogiſmus integer ſic eſſet:

Si Roſcius Fannio debet, tum aut Fannius mutuo dedit, aut ſocietatis nomine pecuniam expendit, aut Roſcius promiſit.

Sed non hoc.

Ergo nec illud.

Qua methodo utitur?

Oratio eſt mutila & ἀκέφαλος, Deeſt Exordium & Propoſitio: ſupereſt Confirmatio & Confutatio.

DE CONFIRMATIONE.

Quid agit in Confirmatione?

Aſſumptionem ſyllogiſmi ſecundum trium argumentorum partes tractat: ſed prima pars de mutuo deſideratur. Secunda

Digitized by Google

cunda pars cõfirmatur, quoniam id Fannius neq; tabulis ſuis, neq; aduerſarijs probare poteſt.

Quo iudicio concludit de tabulis?

Primum eſt comparatio parium inter tabulas Roſcij & Fannij. Deinde eſt ſyllogiſmus connexus:

Si Fannius ſuas tabulas accepti & expenſi profert, ſecundum illum iudicari patiar, ibi: Si *tabulas, &c.*

Sed non profert, ibi: Q*uid ita non profers? ubi cauſam rei inquirit.*

Ergo ſecundum illum iudicari non oportet, ibi: prô Dij immortales.

Quid de aduerſarijs dicit?

His ait credendum non eſſe: argumentum eſt primò à maioribus: Codicem in teſtimonium proferre arrogans eſt: quanto arrogantius aduerſaria, Klitterbůch? *deinde à diſsimili, quòd non habeant eandem uim: idq; iudicatur ſyllogiſmo connexo:*

Si eandem habent uim aduerſaria & tabulæ: non opus eſt tabulas ſeu codicem inſtituere. Ibi: Q*uod ſi eandem.*

Sed opus eſt tabulas conſcribere. ibi: Sed ſi quod, &c.

Ergo aduerſaria leuia ſunt, ibi: quod etiam, &c. Vbi cauſæ utriuſque ſcripturæ attinguntur, ſed eædem diſsimiliter comparantur, & teſtimonio Piſonis iudicis illuſtrantur.

Tertiò ab adiunctis: quia Roſcij nomen triennio ante in aduerſarijs ſcriptum fuerit: ad quod argumentum accedit tranſitione, ibi: ego quæ clara, &c. idq; iudicio ſyllogiſmi connexi iudicatum eſt:

Digitized by Google

Si tibi Roſcius nomine ſocietatis quid deberet, tum nomen eius in tabulas ſtatim retuliſſes: Deeſt.

At in tabulas non ſtatim retuliſti: triennio enim in aduerſarijs habuiſti, ibi: quampridem? ubi eſt dialogiſmus, & comparatio, ac dilemma, ac rurſus dialogiſmus cum prolepſi.

Ergo Roſcius nihil tibi debuit.

Quartò è teſtimonio ipſius Fannij: ad quod tranſitione accedit ibi, Sed hæc quanquam & iudicatur ſyllogiſ. connexo:

Si teſtis eſt Fannius Roſcium nihil debere, Roſcius uicit: augetur adiuncta difficultate & iteratione.

At teſtis eſt Fannius: Deeſt: ſed eius loco eſt approbatio ſeu proſyllogiſmus: quia à iudicio ad arbitrium confugit.

Roſcius ergo uicit.

Quinam eſt ille proſyllogiſmus aſſumptionis?

Qui à iudicio ad arbitrium confugit, indicat ſibi pecuniam nõ debere. Deeſt propoſitio. Sed eius loco eſto iudicij & arbitrij diſsimilitudo primò breuis. deinde explicata triplex, ex ſubiecto, fine & teſtimonio uerborum.

At Fannius à iudicio ad arbitrium confugit, ibi: quæ cum ita ſint, &c. approbata teſtimonio iudicis & comparatione diſsimili.

Ergo indicat ſibi pecuniam nõ deberi, Ibi: qui cum de hac: cum iteratione argumenti.

Quomodo concludit tertiam partem ſyllogiſmi principalis?

Ad eam primò tranſit, ibi: Iam duæ partes, &c. Deinde nihil

nihil promiſiſſe dicit, quia aduerſarius circumſtantias nullas indicare poſſit, ibi: Stipulatus es? &c. Tandem confirmationem concludit ſyllogiſmo connexo:

Si pecunia certa tibi debita eſt, neceſſe eſt ut aut data, aut expenſa lata, aut ſtipulata ſit.

Sed falſum extremum.

Falſum ergo & primum.

DE CONFVTATIONE.

Quid agit in Refutatione?

Quia Saturij oratione exiſtimatio & fama Roſcij læſa fuit, quòd ſocium fefelliſſe diceretur: negat id Cicero & confutat per ſingulas negotij circumſtantias, hoc eſt principia, coniuncta & conſequentia. Sed priuſquam ad rem accedat tranſitione utitur, ibi: quid ergo eſt? quam tranſitionem ſequitur comparatio diſſimilium quadruplex. Poſtea ipſum crimen proponitur, quòd ſocietatem fefellerit, ibi: Pecuniam petis: id'q; crimen amplificatur à parium comparatione. Inde ad principia negotij uenit.

Quæ'nam uocat principia negotij?

Vitam anteactam utriuſq; perſonæ Roſcij & Fannij. & primò quidem de Roſcio: quem locum ſyllogiſmo concluſit:

Falſum crimen in purum hominem collatum ſtatim extinguitur. Propoſitio eſt primo loco, ibi: Non'ne ut ignis, &c. illuſtrata comparatione ſimili.

Quod Roſcius ſocium fraudarit, eſt falſum crimen in purum hominem collatum. Aſſumptio ſecundo loco eſt, ibi: Roſcius ſocium, &c. Illuſtrata com-

paratione

paratione maiorum, adiunctis, teſtimonio aduerſarij,&c.

Ergo id ſtatim extinguitur. Complexio tertio loco eſt, ibi: Qua in re: amplificata inconſtantia Saturij, & cauſarum comparatione.

Quomodo colligit à perſona Fannij?

Ab adiunctis eius oſtendit non eſſe uerum quòd Roſcius ipſum feſellerit per ſyllogiſmum cōnnexum:

Si diceretur Roſcius aliquem timidum & inertem feſelliſſe, tamen incredibile id eſſet. Ibi: Quid ſi tandem.

Verùm dicitur callidum hominem Fannium feſelliſſe. Aſſumptio ibi eſt: Verum tamen quem, &c. illuſtrata adiunctis & φυσιογνωμονίᾳ corporis Fannij & comparatione.

Ergo id incredibile eſt, ibi: Quamobrem, ubi iteratur argumentum & complexio illuſtratur contrarijs & comparatione ſimilium.

Quomodo ratiocinatur ex negotio ſeu ſocietatis coniunctis?

Primò tranſit, ibi: Principia ſunt huiuſmodi, &c. Totus uerò locus cum prolixus ſit & uarius; ſyllogiſmo connexo iudicari poteſt, hoc modo:

Si Roſcius Fanniũ fraudaſſet, cauſam fraudandi habuiſſet, & ipſe Fannius eundem arbitriũ pro ſocio adegiſſet, & Panurgus Roſcij totus non fuiſſet.

At Roſcius cauſam fraudandi non habuit, & Fannius eundem arbitrium pro ſocio non adegit, & Panurgus Roſcij totus fuit.

Ergo

Ergo Roſcius Fannium non fraudauit.

Aſſumptio prolixè diſſeritur per tres proſyllogiſmos, quorum primus eſt de cauſa fraudis:

Si Roſcius cauſam fraudandi, aut pecuniam cupiendi habuit, aut eguit, aut debuit, aut auarus fuit. Propoſitio eſt ibi: Qua de cauſa?

At nec eguit, nec debuit, nec auarus fuit, ibi: Egebat? quæ aſſumptio contrarijs confirmatur & minoribus: Roſcius maiorem quæſtum noluit, multò ergo minus paruum appetijt: item communicatione & apoſtropha ad Fannium.

Ergo Roſcius cauſam fraudandi non habuit. Ibi: dic nunc, &c. cum apoſtropha & repetitione argumenti à minoribus.

Quis eſt alter proſyllogiſmus Aſſumptionis?

Eſt de eo quòd Roſcium Fannius non adegit arbitrium pro ſocio, ibi: Sunt iura, &c. ubi finem formularum & actionum primò attingit. Deinde cauſam cur Fannius actionem non inſtituerit, per dialogiſmum inquirit. Deniq; teſtimonio ipſius Fannij crimen ſublatum oſtendit itidem per dialogiſmum & facta Fannij.

Quis eſt tertius proſyllogiſmus?

Eſt de Panurgo & eius diſciplina, ibi: Panurgus inquit: ubi quærela eſt Saturij, quæ primò eleuatur per ironiam & diſſentanea, deinde comparatione imparium falſa eſſe oſtenditur, ubi eius artificiũ amplificatur à cauſis. ſ. præceptore Roſcio, qui cum Statilio & Erote confertur diſſimiliter, eiuſq; diſciplina tandem proponitur, & augetur à paribus.

Quæ'nam ſunt ſocietatis conſequentia?

Quòd Panurgum ſeruum Flauius quidam interfecit. Ibi: Quæ deinde conſecuta? Ex his quoq; ratiocinatur quòd Roſcius Fannium non fraudarit.

Quomodo?

1. Quia Roſcius cum Flauio pro ſua parte decidit & quidem paruo. Deinde quia & ipſe Fannius à Flauio pecuniam pro ſua parte abſtulit, neq; eam communem ſocietatis fecit.

Quid dicit de Roſcij deciſione?

Primò per dialogiſmum Fannij & Roſcij, oſtendit Roſcium pro ſua parte cũ Flauio decidiſſe, ibi: in hanc rem, &c. ubi ſyllogiſmus eſt talis.

Quod exemplo multorum fit, id ſine iniuria fit.

Cum pro mea parte decidi, id multorum exemplo factum eſt.

Nihil ergo tibi iniuria feci.

Deinde per eundem dialogiſmum oſtendit Roſcium paruo decidiſſe, hoc ſyllogiſmo:

Si magno meã partem decidiſſem, eſſet quod moleſtia afficereris. Ibi: At enim tu tuum, &c.

Sed paruo decidi. Ibi: Sed hanc, &c. probat adiunctis agri diſſimiliter comparatis,

Non ergo eſt quòd doleas aut moleſteris. Ibi: Veruntamen &c.

Poſt hæc redit ad illud, quòd pro ſua parte Roſcius deciderit, ibi: Vertit hic rationem, &c. ubi primò quæſtionem reponit, deinde eam ſyllogiſmi connexi iudicio concludit.

Si Roſcius aliquid communi nomine tetigit, id ſocietati præ

Digitized by Google

ti præſtare debet,ibi: Nam ego Roſcium,&c. cum teſtimonio Ciceronis.

At Roſcius ſuas lites nō ſocietatis redemit,hoc eſt,nomine ſocietatis nihil tetigit.

Nihil igitur ſocietati præſtare debet.

Aſſumptio ſuos proſyllogiſmos habet. 1. Quia Flauius Roſcium nulla ſtipulatione,neminem amplius petiturum, alligauit,idq́ iudicio ſyllogiſmi:

Qui pro ſocijs tranſigit,ſatiſdat neminem poſtea petiturum.

At Roſcius non ſatiſdedit neminem poſtea petiturum.

Non ergo pro ſocio tranſegit.

Propoſitio ibi eſt:qui de ſua parte,&c. diſsimili illuſtrata. Aſſumptio,ibi: Quid ita Flauio, &c. ubi eſt dialogiſmus & diſceptatio cauſarum.Complexio ibi: Cur igitur decidit,&c. cui ſubijcit commendationem argumenti huius ab adiunctis. Alter proſyllogiſmus eſt ab ipſius Fannij teſtimonio & reſtipulatione per apoſtrophen duplicem,ibi: Et ne forte,&c.

Quod'nam eſt alterum argumentum conſequens?

Quòd Fannius à Flauio Panurgi nomine pecuniam abſtulit: idq́ probat ſyllogiſ. connexi:

Si planum facio Fannium à Flauio pecuniam abſtuliſſe,uincere debeo,ibi: Quid ſi tandem, &c. Illuſtrata diſsimili & proſyllogiſmo. Si cōtra hæc aliquid dices, aut alia de cauſa abſtuliſſe dices, aut omnino non abſtuliſſe. Sed neq; hoc,neque illud dices:nihil ergo dices. His ſubijcitur iteratio propoſitionis,ibi: ſi planum facio,&c.

Sed planum hoc facio.

Ergo uincere debeo.

Aſſumptio approbatur teſtimonijs trium teſtium, ibi: Quo teſte igitur, &c. ubi primo ex tribus unum ſibi ſumendum indicat ſyllogiſmo diſiuncto:

Aut actor, aut reus, aut iudex teſtis mihi producendus eſt ibi: uenerat, ut opinor, &c.

At neq; actor, neq; reus, ibi: quem igitur?

Ergo iudex, ibi: Cluuius eſt: qui cõmendatur ab Adiunctis, ſyllogiſmi iudicio.

Equiti, Iudici, Homini honeſto credi oportet.

Cluuius eſt eques, iudex, homo honeſtus.

Ergo ei credi oportet.

Aſſumptio præcedit propoſitio ſequitur. Poſtea teſtimonium Manilij & Luſcij ſubijcit, ibi, recita, &c. quòd itidem ſyllogiſ. diſiuncto firmat:

Si horum teſtimonium reijcies, tum Aut Manilio & Roſcio negabis eſſe credendum, aut Cluuius falſum dixit, ibi: utrum dicis, &c.

Sed nec his nõn credendum, nec Cluuium falſum dixiſſe dices, ibi Hoc ego loco, &c. Aſſumptionis duæ partes approbantur, prior ab adiunctis, ibi: Manilio & Luſcio, &c. & comparatis, ibi: tibi uero, &c. Altera approbatur à maioribus: ibi reliquum eſt, &c. Antea iudicem probauit Fannius Cluuium. ergo nunc teſtem multò magis, & amplificatur prolepſi: Cluuius non eſt iuratus, non ergo illi eſt credendũ, ibi: ſi diceret iuratus, &c quæ ſoluitur primo paribus: quia nihil intereſt inter periurum & mendacem: ratio additur à cauſis diuerſis, conſcientia & deorum

Digitized by Google

deorum metu. Deinde à contrarijs, ibi: at ego hoc &c. non eſt iuratus, ergo plus credendum ipſi eſt. Deniq; quia ſit uerax Cluuius, ibi: dic nunc, &c. idq; proſopopœia figuratur, primò Roſcij, ibi: Roſcius eſt uidelicet, &c. tum Cluuij ibi: quid ille? &c. Ad hanc proſopopœiam reſpondet deinceps, ibi: proh Deum hominumq;, &c.

Ergo horum teſtimonium non reijcies. Huius complexionis loco eſt generalis concluſio, quod Roſcius ſocietatis nomine nihil petierit. Ibi: Iam intelligis, &c. Cui ſtatim prolepſin Saturij ſubijcit: qui quicquid Roſcius exegiſſet, commune ſocietatis factum eſſe uolebat: hanc refutat quatuor argumentis.

1. Quia Roſcius ſuam partem potuit ex ſocietate petere: idq; per dilemma, ibi: quæro enim, &c.

2. A' diſsimili ſeu differentia inter eum qui per ſe litigat, & inter procuratorem ſeu cognitorem, ubi & hic ſyllogiſmus apparet:

Nemo pro alio poteſt petere niſi cognitor.
Roſcius non fuit tuus cognitor.
Ergo pro te non potuit petere.

Et huic iterum aliud dilemma ſubijcitur. 3. argumentum eſt à ſimili hæreditatis, quod primum implicitè fit, deinde explicatè idq; tripliciter, ibi: ſimillima, &c. 4. argumentũ eſt ab adiunctis: quod ſcilicet ſtultitia eſſet ex iuris peritorum conſilio & autoritate reſtipulari, ſi ſine cautione & repromiſſione nihilominus debebatur. Atq; hæc de Analyſi logica.

Digitized by Google

Quæ'nam eſt hic Analyſis Ethica?

1. *In perſona Roſcij eſt exemplum uiri boni, qui plus fidei, quàm artis, plus ueritatis quàm diſciplinæ poſsidet in ſe. Quo nemo purior, prudentior, humanior, officioſior, liberalior fuit: qui antequam locuples, ſemper liberaliſsimus munificentiſsimusq; fuit: cui & pecunia leuiſsima & exiſtimatio ſanctiſsima fuit.*

2. *In Fannio Chærea exemplum contrarium eſt improbi hominis, cuius ipſum caput, & ſupercilia penitus abraſa olere maliciam & clamitare calliditatem uidentur, qui ab imis unguibus uſque ad uerticem ſummum (ſi quam coniecturam affert hominibus tacita figura) ex fraude, fallacijs, mendacijs conſtare totus uidetur, qui idcirco capite & ſupercilijs ſemper eſt raſus, ne ullum pilum uiri boni habere dicatur. Perſona lutulenta, impura, inuiſa: plenus contumaciæ & arrogantiæ.*

3. *Saturio Fannij procuratore exemplum eſt ueteratoris, qui cùm quid ſentit eſſe apertum, reſiſtere & repugnare contra ueritatem non audet: ſed tamen fraudis & inſidiarum in eodem ueſtigio diuerticula quærit.*

4. *Vt ignis in aquam coniectus cõtinuo reſtinguitur & refrigeratur: ſic referuens falſum crimen in puriſsimam & caſtiſsimam uitam collatum ſtatim concidit & extinguitur.*

5. *De uulgo. Sic eſt uulgus, ex ueritate pauca, ex opinione multa æſtimat.*

6. *Ex improbo patre non naſcitur probus filius.*

7. *De præceptoribus. Quò quiſque eſt ſolertior & ingenioſior, hoc docet iracundius & laborioſius. Quod enim ipſe celeriter*

leriter arripuit, id cum tardè percipi uidet, diſcruciatur.

8. *De mendacio. Quem ego, ut mentiatur, inducere poſſum, ut peieret exorare facile potero, &c.*

9. *Magis mea adoleſcentia indiget illorum bona exiſtimatione, quam illorum ſenectus mea laude.*

Quæ'nam eſt Analyſis Politica ſeu Iuridica?

1. *De libellis rationarijs. Nam ut turpe eſt ſcribere quod non debeatur, ſic improbum eſt non referre quod debeas.*

2. *Differentia inter tabulas ſeu codicem Schuldtbůch & aduerſaria. Klitterbůch. Negligenter ſcribimus aduerſaria, diligenter tabulas: quia hæc ſunt menſtrua, &c.*

3. *Differentia inter iudicium & arbitrium.*

4. *Priuata iudicia ſunt ſummæ exiſtimationis & penè dicam capitis, fiduciæ, tutelæ, ſocietatis.*

5. *Dabit nobis uita anteacta in alterutram partem firmum & graue teſtimonium.*

6. *De actionum generibus. Sunt iura, ſunt formulæ, &c.*

7. *Ex conditione iuris & ex conſuetudine cautionum ſunt grauiſsima & firmiſsima argumenta.*

8. *De teſtibus. Teſti homini honeſto credi oportet. Item teſtis ex cenſu, ex uita, ex ueritate ſpectatur. Item conſideratur ordo, ætas, natura, copiæ rei familiaris.*

9. *De differentia inter principalem ſeu eum qui per ſe litigat, & cognitorem, ſeu procuratorem, in fine ferè. Vide Bud. in poſt. annot in Pandect.*

10. *Comparatio hæreditatis & ſocietatis, itidem in fine orationis.*

Digitized by Google

11. *Nomina repromiſsionis, reſtipulationis, cautionis, litis conteſtationis.*
12. *Actio damni iniuria, ex qua hæc tota cauſa orta eſt.*
13. Quod ſibi petitur, alteri non exigitur.
14. *Alteri nemo poteſt petere, niſi qui cognitor eſt factus.*

ANALYSIS VERRINARVM ACTIONVM.

Quid'nam agitur in Verrinis ſeptem?

INſtituitur iudicium repetundarum in C. Verrem Hortenſij familiarem & amicum: qui prouinciam Siciliam miris modis depeculatus erat. Eſt autẽ duplex actio. Prior continetur duabus primis orationibus: quorum prima Diuinatio dicitur, quia in ea de conſtituendo accuſatore agitur & quaſi diuinatur. Cæcilius accuſationem petebat: uerum non modò deferendi nominis, ſed ne ſubſcribendi quidem poteſtatẽ obtinuit: diuinatio Ciceronis uictoriã illam meruit. Altera oratio eſt poſtulatio de nouo genere agendi: in qua contra Hortenſij non eloquentiam ſolùm, ſed artes iniquas & improbas acerrima contentio nouæq; actionis inuentio, ad dilationem iudicij corruptelamq; reijciendum continetur, ut ubi unumquodq; crimen explicatum, & argumentis diſputatum eſſet, tum teſtes ad crimen accommodaretur. Cuius actionis nouitate fractus & debilitatus Hortenſius, cum perpetua oratione uti non poſſet, ſed ad ſingula reſpondere ex tempore cogeretur, obmutuit: Verres non expectato iudicij exitu, exilij cauſa ſolum uertit. Actionis uerò ſecundæ ſeu Accuſationis quinque orationes, ad comperendinatum comparatæ fuerunt, habitæ tamen non

ſunt,

ſunt, ſed ad induſtriæ laudem publicata. Hæc Ramus in Ciceroniano.

Quod'nam eſt argumentum harum quinq; orationum?

In his agit de Verris Quæſtura, Legatione & Prætura. Prætura autem eſt Vrbana & Sicilienſis. De Quæſtura, Legatione & Prætura agit in 3. Verrina: de Sicilienſi in 4. ſequentibus: & quidem de iuriſdictione in 4. de frumento in 5. de ſignis in 6. de crudelitate ſuppliciorum in 7. agit.

PRIMA VERRINA.

Quæ'nam eſt quæſtio Diuinationis?

Vtrum Cicero eligendus ſit in accuſatorem, an uerò Cæcilius, quæ tota conſtat comparatione.

Quibus argumentis utitur?

In primis utitur adiunctis.

Quo iudicio concludit?

Syllogiſtico, ad hunc modum:

Is eſt potiſsimum eligendus actor, quem Siculi maximè uelint, & Verres nolit. Itemq; is reijciendus, quẽ Siculi nolint, & Verres maximè uelit.

Sed Siculi Ciceronem expetunt (quem imprimis idoneum ad hanc cauſam agendam cognouerunt) Verres eundem metuit (quem ſentit firmũ & grauem & ſanctum, & diſertum fore accuſatorem) Siculi uerò Cecilium nolunt ſibiipſis ſuſpectum & ſocium Verris, & indiſertum, & ſubſcriptoribus indiſertis uallatum, nec ulla iuſta cauſa ſuſcipiendæ

accuſationis fretum, & Caius Verres eiundem Cæcilium maximè expetit, ob eas ipſas cauſas, & ut accuſatoris præuaricatione infamia iudiciorum liberetur.

Quare in hac Sicilienſi cauſa Cicero eligendus eſt actor, & Cæcilius reijciendus.

Qua methodo utitur?

Oratoria. Habet enim Exordium, Conſtitutionem cauſæ, Contentionem, Perorationem.

DE EXORDIO.

Quæ'nam quæſtio Exordij?

An Cicero qui antea in defenſionibus eſt uerſatus, nunc rectè accuſatorē agat. Hæc quæſtio initio ſtatim proponitur.

Quibus argumentis utitur?

Tribus. 1. à cauſis, quòd officio, fide & miſericordia erga Siculos, qui eū rogarent, hoc onus ſuſceperit. 2. à minoribus: quòd non tam accuſet quam defendat. 3. ab adiunctis, quia tempora Reip. id poſtulent.

Quo iudicio concludit primum argumentum?

Enthymematico. Siculi à me petiuerunt ut ſe defenderem. Non potui igitur id recuſare. Antecedens enthymematis conſtat. 1. narratione, ibi: cum quæſtor, &c. ubi eſt commendatio Ciceronis ab effectis, & laus breuiſsima boni magiſtratus. 2. proſopopœia Siculorum obliqua, in qua ſyllogiſmus ex Ciceronis pollicitatione connexus talis eſt:

Si quod tempus commodorum incidet, Cicero promiſit ſe non defuturum.

At

Digitized by Google

At nunc uenit tempus non commodorum ſed ſalutis.
Ergo non deerit Siculis.

Aſſumptio ibi eſt, Veniſſe tempus, &c. approbata maioribus & diſtributione cum ſubiectis. Concluſio ibi eſt, Rogare et orare, &c. Conſequens enthymematis conſtat primò affectu & miſericordia Ciceronis, ibi: Tul', &c. Deinde proſopopœia Ciceronis, ibi: dicebam, &c. tandem cauſæ tres ſuſceptæ defenſionis ſubijciuntur, officium fides & miſericordia, ibi: adductus, &c.

Quo iudicio concludit ſecundum argumentum?

Syllogiſtico: Si mihi unus eſt accuſandus, plures defendendi, potius defendo quam accuſo, ibi: Quamobrem ſi mihi, &c.

Sed unũ accuſo, defendo plures, ibi: Defendo enim, &c.
Potius ergo defendo quam accuſo, ibi: quo in negotio, &c.

Quo iudicio concludit tertium argumentum?

Itidem ſyllogiſtico, hoc modo:

Si Reip. cauſa hominem ſceleratum (quem adiunctis & factis deſcribit) accuſo: repræhendi non debeo, ibi: Quod ſi hanc, &c.

Sed Reipub. cauſa accuſo, ibi: quid eſt prò Deum, &c. illuſtrata interrogatione, comparatione minorum & diſtributione (quòd agatur res Pop. Rom. & exterorum, ut prouinciarum, ſociorum, ſtipendiariorum) item de iudiciorum corruptela per diſtributionem. 1. iudicum qui accuſatores. 2. accuſatorum qui iudices deſiderant. 3. populi qui iudicia

dicia uetera, tribunitiam poteſtatem, equeſtrem ordinem, cenſuram requirit. Poſtea aſſumptionem repetit, ibi: in hac libidine, &c.

Ergo repræhendi non debeo.

DE CONSTITVTIONE CAVSAE.

Quid agit in hac parte?

Duo. Primo tranſit ad Propoſitionem, ibi: Nunc quoniam, &c. Deinde partitur, ibi: ego ſic intelligo, &c.

DE CONFIRMATIONE.

Quot ſunt partes Confirmationis?

Duæ. Sicut in partitione fuerũt propoſitæ: Nimirum quod Siculi Ciceronem uelint, & eundem Verres nolit. Ad confirmationem uerò accedit, ibi: in hac cauſa, &c. eiusq; priorem partem ampliſſimè proponit.

Quomodo probat priorem partem?

Iudicio ſyllogiſmi connexi, hoc modo:

Si Siculi Ciceronem rogarunt, eorum uoluntas apud iudices grauis eſſe debet. Propoſitio à Cicerone per communicationem tractata, & in diſiunctum enunciatum mutata eſt, ibi: Vtrum Q. Cecili, &c.

Sed Ciceronem rogarunt. Aſſumptio, ibi eſt. Si id audebis, &c. approbata eſt primò teſtimonijs cũ publicæ famæ quæ percrebuit: tum teſtium ciuium Romanorum & Siculorum. Deinde prolepſi, ibi: At enim cur, &c. cui reſpondet primũ ſyllogiſmo connexo

Digitized by Google

nexo. Si dubium eſſet an à me præſidiũ petiſſent: dicerem cur petiſſent. Sed nõ eſt dubium: quia perſpicuũ. Non ergo dicã cur petierint. Deinde ſignificatione cauſarũ per diuerſa, nõ quòd optimus patronus ſim ſed quòd temporis ratio eſt habita, &c.

Ergo eorum uoluntas debet ualere apud iudices, ibi: Reliquum eſt iam, &c. Hæc complexio & ipſa approbatur adiunctis: ſunt enim ſocij: quod augetur à cauſa finali legis repetundarum & concluditur ſyllogiſmo ſimplici, hoc modo:

Quorum cauſa lex repetundarum eſt conſtituta, eorum arbitratu lege oportet agi.

At ſociorum cauſa lex repetundarum eſt conſtituta.

Sociorum ergo arbitratu agi oportet.

Aſſumptio primo loco eſt, ibi: de quo quid ego plura, &c. illuſtrata diſsimili comparatione actionis priuatæ cum hac publica. Propoſitio ſecunda eſt, ibi: Quis igitur eſt, &c. Complexio tertia eſt, ornata per proſopopœiam Siciliæ, ibi: Sicilia tota, &c. His comprobatis, oſtendit Cecilium non eſſe eligendum actorem, quia eum Siculi nolint, ibi: in huiuſmodi re, &c. Idq; ſyllogiſmo connexo concluditur.

Si Siculi dicunt ſe nolle Cecilium, is reijci debet, ibi: ſi tibi Q. Cecili.

Sed illud dicunt ibi: nunc hoc, &c.

Ergo Cecilius reijci debet, ibi: tamẽ his, &c. ubi eſt longa commemoratio & uehemens interrogatio cum anaphora.

Quomodo probat poſteriorem partem?

Primò ad eam tranſit, ibi: At enim ſolum, &c. Deinde eam probat

probat per Verris effecta comparatione minorum illuſtrata: Nam Verres cum Hortenſio amico uehementer laborauit, ne delatio Ciceroni daretur.

Deſcribit autem ad longũ etiã effecta Hortenſij per proſopopœiam, ibi: itaq; magnus ille, &c. Quinetiam cauſas cur is Ciceronem reijci uelit, affert, ibi: atq; is non tam, &c. Denique Hortenſium etiam deterrere conatur, ibi: Huic ego homini, &c. Poſt hæc ad Cecilium Cicero ſe uertit, eumq; accuſatorem fieri non poſſe primò proponit, per comparationem diſsimilẽ, cuius πρότασις eſt, ibi: ego in iudicio, &c. in qua Cicero ſibi modeſtè tribuit quod Cecilio adimit. Ἀνταπόδοσις eſt, ibi: Tu uerò Cecili, &c. ubi Cecilium non idoneum accuſatorem ait per diſtributionem. Deinde id probat ſyllogiſmo ex adiunctis, hoc modo:

> *In bono & idoneo accuſatore, requiritur, integritas, ueritas & facultas accuſandi. Ibi: cognoſce ex, &c.*
> *At in Cecilio hæc non ſunt. Ibi: ex quibus ſi, &c.*
> *Non ergo eſt idoneus accuſator.*

Aſſumptionis ſingulæ partes remouentur à Cecilio, primum integritas, ibi: primum, &c. quia literas ex Sicilia deportet, idq; teſtimonio Siculorum. Deinde remouetur ueritas, ibi: Deinde accuſatorem, &c. quia cum Verre rediјt in gratiam, & cum eo ſocietate criminum eſt coniunctus. Prior ratio probatur ſignis, & tractatur apophaſi ſeu præteritione ironica, ibi: nec ea dico, quæ, &c. & iteratur apophaſis poſt epiphonema, ibi: ſunt hæc & alia, &c. Altera ratio iudicatur ſyllogiſmo, huius modi:

> *Qui cum reo criminum ſocietate coniunctus eſt, non poteſt in accuſando ſocios uerè defendere.*
> *At Cecilius cũ reo Verre ſocietate criminũ cõiũctus eſt.*

Non

Non ergo poteſt Siculos ſocios uerè defendere.

Primò iterat remotionem ueritatis, ibi: Hoc dico, te ſi, &c. Deinde ſequitur ſyllogiſmus, in quo aſſumptio prima eſt, ibi: Video enim, &c. approbata diſtributione, quòd ab aratoribus in modios ſingulos duodenos H S. exegerit: quod pro empto frumento pecuniam omnem non ſoluerit: quòd mancipes pro frumento pecuniam exegerint. Propoſitio ſecunda eſt, approbationis diſtributioni interpoſita, ibi: Mihi crede Cecili, &c. Complexio, tertia eſt, ibi: Quapropter ſi tibi iudicium &c. illuſtrata diuerſis: contra Verrem iudicium poſtulare potes de præda nondum diuiſa: non autem accuſationem: idq; illuſtratur diſsimili comparatione partim breui, partim explicata, cuius πρότασις & ἀνταπόδοσις in pronominibus ego & tu.

Quomodo remouetur tertium adiunctum facultas?

Per ſyllogiſmi iudicium, hoc modo:

In accuſatore idoneo debet eſſe facultas accuſandi.

Propoſitio cõſtituitur primò ibi: Quid illa Cecili? deinde augetur cauſis efficientibus; ut ſunt facultas, conſuetudo, ratio, exercitatio.

At in Cecilio talis facultas non eſt.

Non ergo eſt idoneus accuſator. Aſſumptio illuſtratur diſsimili, cuius πρότασις pro Ciceronis modeſtia apophaſi conſtat & allegoria, ibi: intelligo, &c. ἀνταπόδοσις autem Cecilio totam illam facultatem adimit, ibi: De te Cecili, &c. ubi eſt primũ attentio ad aſſumptionem cũ apoſtropha. Deinde approbatio aſſumptionis triplex. 1. ab officio oratoris. 2. à ſolicitudine, 3. à ſubſcriptoribus.

Qualis

Qualis eſt prima approbatio?

Facultatem Cecilio adimit primò remotione partium facultatis dicendi, ſeu officij oratorij: deinde adiunctis cauſa, quia cauſa magna ſit, idq́ diſtributionem, & communicationem.

Qualis eſt ſecunda approbatio?

Eidem adimit facultatem ab adiunctis, non curantia ſcilicet & negligentia: qui locus conſtat partim prolepſi, ibi: fortaſſe dicet, &c. partim comparatione minorum, Cicero nō poteſt hæc aſſequi, multò minus Cecilius, ibi: quod ſi ego, &c. partim diſſimilium comparatione, cuius protaſis eſt, ibi: ego qui ſicut, &c. illuſtrata effectis Ciceronis qui ſolicitus ſit de futuro iudicio. Antapodoſis, ibi: tu horum nihil, &c. conſtans effectis Cecilij: qui ſcilicet non ſit ſolicitus de rei exitu, quæ ipſius non curantia amplificatur à perſona Hortenſij iudicio ſyllogiſmi connexi:

Si tibi nemo reſponſurus eſſet, tamen non debebas tam ſecurus eſſe, ibi: Ac ſi nemo.
Sed nō nemo tibi reſponſurus eſt: Hortenſius nimirū.
Multò ergo minus debebas eſſe ſecurus.

Aſſumptio ibi eſt: Nunc ne illud, &c. conſtans adiunctis Hortenſij & diſſimilitudine, cuius πρότασις ibi eſt: nunquam ille me, &c. ἀνταπόδοσις, ibi: te uerò Cecili, &c. utraq́ conſtat diſtributione, & ad fidem huius iudicij in fine illius comparationis additur teſtimonium experientiæ, ibi: Atq́ huiuſce rei, &c. per iudicium ſyllogiſmi connexi:

Si mihi hodie reſpondere potueris, accuſationi te ſatisfacturum arbitrabor.
Non autem illud.
Ergo nec hoc.

Qualis

Qualis eſt tertia approbatio aſſumptionis?

Eidem Cecilio adimit facultatem, irridendo ipſius ſubſcriptores adiunctos, ibi: Eſto, ipſe nihil eſt, &c. ubi eſt dialogiſmus & deſcriptio duorum ſubſcriptorum, cum Apuleij, tum Allieni, in cuius perſona ſimilitudine utitur ab actoribus Græcis ſumpta. Adeo autem illos contemnit ut non in ſpecie, ſed in genere uelit illis reſpondere, ibi: Quibus ego, &c. *Reſponſionis quoq; ſuæ mimeſin ſubijcit, ibi: Tanta'ne, &c. Dialogiſmus deinde inter Cecilium & Ciceronem ponitur, ibi: Cuſtodem, inquit, ubi primo iocoſa in Cecilium reſponſio eſt, deinde ſeria à diſſentaneis:*

Qui fidelis eſt & diligens, ei nihil opus eſt cuſtode.
Cicero fidelis eſt & diligens.
Nihil igitur opus eſt cuſtodia.

Tandem locum facultatis concludit: Quod Cecilius non *ſit idoneus accuſator, quia multa illi deſint, quæ in uero accuſatore requirantur, ibi: Verum ut ad te, &c.*

DE CONFVTATIONE.

Quid agit in Confutatione?

Quia Cecilius Ciceronis ſuperiori argumentationi reſpondere poterat, ſe à Verre iniuria affectum, ideóq; illi inimicum ſe eſſe, ac eius iniuriam perſequi facilius poſſe, quia quæſtor Verris fuerit, ea Cicero omnia refutat. Ac primò tranſit ad confutationem, ibi: Quid ad hæc dici, &c.

Quomodo iniuriam refutat?

A' comparatione minorum: quia Siculi grauioribus iniurijs à Verre ſint affecti. Ibi: quid enim dicet, &c. Vbi primum

Digitized by Google

eſt conceſsio quòd à Verre iniuria affectus ſit, argumento à genere: omnibus Siculis iniuriam fecit. Ergo & Cecilio. Sed quòd ideò maiore iniuria affectus ſit, quam Siculi, id uerò negat. Itaq; cum Siculi maiori iniuria affecti ſint, eorum arbitratu debere agi affirmat: idq; iudicio ſyllogiſmi concludit, hoc modò:

Is qui debet & poteſt ulciſci, & cui maximam Verres iniuriam fecit, in accuſando ſuperior eſſe debet.
At Siculi tales ſunt.
Concede igitur ut illi tibi in accuſando præferantur.

Quomodo refutat inimicitias?

Duobus argumentis, quia nulla cauſa ſit, inimicitiarum, & quia redierit cum Verre in gratiam. Ad eam partem accedit prolepſi, ſeu mimeſi, ibi: At eam tibi, &c. Deinde primum argumentum concludit iudicio ſyllogiſmi:

Si iniuria nulla eſt, nulla etiam eſt cauſa inimicitiarũ. Ibi: Minimè, nam id, &c.
At nulla fuit iniuria. Aſſumptionis approbatio longa eſt per narrationem, ad quam attentionem comparat, ibi: Cognoſcite, &c.
Nulla ergo cauſa eſt inimicitiarum. Ibi: Hic tu ſi læſum, &c.

Alterum argumentum etiam ſyllogiſmi iudicio concluſit:

Si cum Verre in gratiam rediſti, nullas habes cum eo inimicitias, & aut perfidioſus aut præuaricator es.
Sed illud.
Ergo & hoc & per cõſequens mihi in accuſando non es anteponendus.

Quomo-

Digitized by Google

Quomodo refutat argumentum à quæſtura ſumptum?

Varijs argumentis & ſyllogiſmis, ibi: primum, niſi fortè illud, &c.

Si certamen eſſet de amicitia Verris, tum cauſa quæſturæ grauis eſſet, ibi: Quæ cauſa, &c.

Non autem certamen eſt de amicitia, ſed de inimicitijs, ibi: In contentione, &c.

Ergo non eſt grauis cauſa, ibi: ridiculū eſt putare, &c.

Quod ipſum alio ſyllogiſmo confirmatur:

Si plurimas à tuo Prætore iniurias accepiſſet, tamen eas ferre, nec amicitiam uiolare debebas, ibi: Etenim ſi plurimas, &c.

Sed nullam iniuriam ab eo accepiſti, ibi: cum uerò nullum, &c.

Ergo multò minus amicitiam uiolare debuiſti, ibi: hi ſtatuent, quod rurſum amplificat, quia quæſtor eius fuerit, eſtq́ ſyllogiſmi diſiuncti iudicium.

Si iniuriam ab eo accepiſti non potes eam accuſare, quia quæſtor eius fuiſti. Sin nullam iniuriam accepiſti, ne ſic quidem accuſare potes Ibi, Qui ſi ſummam, &c.

Sed hoc aut illud ibi: Quare cum, &c.

Ergo non potes eum accuſare, ibi: Quenquam horum, &c.

Accedit his & diſsimilitudo opinionum Ciceronis & Cecilij primum breuis, ibi: At uide, &c. Deinde explicata, cuius protaſis in pronomine tu: antapodoſis in pronomine ego, quæ ſyllogiſmo connexo conſtat:

Si ſuperior cæteris rebus eſſes, ob unam quæſturam

repudiari deberes. Approbatio eſt à teſtimonio & propoſitionis iteratio ibi: Quamobrem, &c.

Sed non illud, ibi: *Cum uerò neq;.*

Ergo nec hoc, ibi: fatearis neceſſe eſt &c. Quæ complexio illuſtratur exemplis quæſtorum qui ab accuſando reiecti fuerint.

Deniq; comparationem longam ſubijcit inter officiũ quæſtoris & defenſionem ſociorũ, ibi: ſemper hæc cauſa &c.

Defenſionem uerò ſociorum multis argumentis præfert. 1. à maioribus. Probabilis eſt eorum cauſa quia iniurias ſuas perſequuntur: ſed honeſtior eſt eorum qui ſociorum iniurias perſequuntur, ibi etenim ſi. &c 2 ab exemplo, ibi: Nuper cum in P. Q quòd amplificatur à fine legis. 3. rurſus à maioribus, idq; iudicio ſyllogiſmi:

Quod ad commemorandum eſt honeſtius, id ad probandum eſt æquius, ibi: An quod ad. &c.

At ſocios defendere, quam quæſtorẽ accuſare ad commemorandum eſt honeſtius, ibi: utra igitur, &c.

Ergo id ad probandum eſt æquius, ibi: dubitare quiſquam, &c.

4. à teſtimonio ciuium clariſſimorũ, ibi: Clariſſimi, &c. quod ipſum illuſtrat primò exemplis ſpecialibus Catonis & Domitij. 6. ab adiuncta utilitate, quòd ſcilicet accuſatio nocentium & defenſio innocentium ſit remedium ægrotæ Reipub. quod illuſtrat exemplis Lentuli & Africani.

DE PERORATIONE.

Quid agit in Peroratione?

Comparationem ſupra prolixè diſputatam ad extremum breui ſyllogiſmo concludit:

Digitized by Google

Integerrimi & honeſtiſsimi homines, qui de laude, honore & fama pertimeſcunt & diligentes ſunt, accuſatores conſtituendi ſunt, ibi: Et profectò, &c. ubi eſt proſyllogiſmus diſiunctus, Aut hoc remedium eſt ægrotæ Reip. aut nulla eſt medicina. Sed non eſt nulla. Ergo hoc remedium eſt, imò nulla maior ſalus, &c.

At Cecilius de nulla laude, honore, fama: ſed Cicero laborat, ibi Quamobrem hoc ſtatuere, &c.

Cecilius igitur non eligendus eſt accuſator. ſed Cicero, ibi: Quapropter, &c. Atq; hæc de Analyſi Logica.

Qui'nam ſunt loci Ethici?

1. *Nihil eſt quod minus ferendum ſit, quàm rationem ab altero uitæ repoſcere eum, qui non poſsit ſuæ reddere.*
2. *Cum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenij atque eloquentiæ multò moleſtiſsima.*
3. *Iniurias ferendo maiorem laudem, quàm ulciſcendo meremur.*
4. *Nulla neq; iuſtior, neq; grauior cauſa neceſsitudinis poteſt reperiri. quàm coniunctio officij, quàm publica muneris ſocietas.*

Qui'nam ſunt Politici?

1. *Sunt obſeruada Politica uocabula quædam, ut diuinatio ſubſcriptores, monitor* Warner, *præuaricator, quadruplator,* Scholdrer, *ceratæ tabellæ cœna legitima aut infami ac nefaria. De quibus Bud. in annot. in ff.*
2. *De ratione gerendi magiſtratus exemplo Ciceronis, qui ex Sicilia prouincia deceſsit, ut Siculis omnibus iucundam diuturnamq; memoriã Queſturæ, nominiſq; ſui relinqueret.*

3. *Facilius ad defendendum, quàm ad accuſandum deſcendere oportet.*

4. *In libidine hominum nocentiſsimorum, in populi quotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offenſione, hoc unum multis incommodis remedium eſt, ſi homines idonei atque integri cauſam Reip. legumque ſuſcipiant.*

5. *Illi qui in politia uerſari uult, conſiderandum eſt quid negotij ſit cauſam publicam ſuſtinere, uitam alterius totam explicare, atque eam nō modo in animis iudicum, ſed etiam in oculis, conſpectuque omnium exponere, ſociorum ſalutem, commoda prouinciarum, uim legum, grauitatem iudiciorum defendere.*

6. *Non poteſt in accuſando ſocios uerè defendere is, qui cum reo criminum ſocietate coniunctus eſt.*

7. *In politico (ut Cicero) requiritur facultas agendi, dicendi conſuetudo, in foro, iudicijs, legibus aut* RATIO *aut* EXERCITATIO.

8. *In Hortenſio oratoris callidi exemplum eſt, qui aduerſarium eludit, iactat, poteſtatem optionemque facit, ut eligat utrùm uelit, orationis ſuæ membra diuidit, & in digitis ſingulas partes cauſæ conſtituit: unumquodque tranſigit, expedit, abſoluit, commiſeratur, conqueritur, ex ſua inuidia deonerat aliquid, & in aduerſarium traijcit: eumque non modò uerbis obruit, ſed geſtu ipſo ac motu corporis præſtringit, & ab inſtitutis ſuis cogitationibusque abducit.*

9. *Multi in dicendo parum poſſunt, in clamando uerò ſunt benè robuſti atque exercitati.*

10. *Signum ſeu argumentum eſt aliquem cum aliquo in gratiam rediijſſe, ſi domi illius aliquoties fuit, ſi apud illum poſtea cœnauit.*

11. Hoc

11. *Hoc Rom. ſibi ampliſſimum pulcherrimumq́ ducebant ab hoſpitibus clientibusq́ ſuis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam Pop. Rom. ditionemq́ eſſent, iniurias propulſare, eorumq́ fortunas defendere.*

12. *Hoc remedium eſt ægrotæ at propè deſperatæ Reip. iudicijsq́ corruptis ac contaminatis paucorum uitio ac turpitudine, homines ad legum defenſionem, iudiciorumq́ autoritatem quàm honeſtiſſimos & integerrimos diligentiſſimosq́ accedere. Nulla ſalus Reip. maior eſt, quàm eos qui alterum accuſant, non minus de laude, de honore, de fama ſua: quàm illos qui accuſantur, de capite ac fortunis ſuis pertimeſcere.*

13. *In Cicerone diligentis in Rep. & boni uiri, exemplum eſt qui de ſuo honore, opinione, expectatione, ſpe, fama, exiſtimatione ſolicitus eſt.*

SECVNDAE VERRINAE ARTIFICIVM LOGICVM.

Quæ'nam eſt quæſtio Secundæ Verrinæ?

AN Ciceroni nouum genus agendi concedendum ſit. Vnde ipſa oratio à quibuſdam inſcribitur, Poſtulatio de nouo genere agendi.

Quo utitur argumento?

Ab effectis Verris.

Quo iudicio concludit?

Syllogiſtico ad hunc modum:

Propter fraudes & inſidias rei, novo genere agendum eſt, non perpetua oratione.

At Verres fraudes & inſidias comparat.

Digitized by Google

Nouo ergo genere, non perpetua oratione Ciceroni agendum eſt.

Qua methodo utitur?

Oratoria. *Habet enim exordium, confirmationem & peroratione m.*

DE EXORDIO.

Quid'nam eſt quæſtio Exordij?

Vt iudices de Verre ſeuerè & religioſè iudicent.

Quibus utitur argumentis?

Ab adiunctis & fine.

Quo iudicio concludit?

Syllogiſtico:

In quo reo occaſio ad infamiam iudiciorum ſedandam offertur, ea non eſt negligenda. Propoſitio prima eſt, ſtatim in principio orationis, illuſtrata cauſis efficientibus diuinis, & approbata adiuncta opinione.

At nunc in reo Verre in iudicium adducto, talis occaſio eſt, ibi: Nunc in ipſo, &c Aſſumptio approbata eſt cauſis efficientibus. quis eum adduxerit, ſcilicet Cicero: & finalibus, qua ſcilicet de cauſa adduxerit. Item adiunctis Verris per diſtributionem.

Non ergo eſt negligenda. ſed ſeuerè uindicandum, ibi: De quo ſi, &c. Complexio illuſtratur contrarijs.

DE CONFIRMATIONE.

Quid agit in Confirmatione?

Aſſumptionem & complexionem ſyllogiſmi ab initio poſiti

Digitized by Google

ſui diſputat. Verrem inſidias & fraudes non ſolum Ciceroni ſed & iudicibus intentare, ibi: equidem ut de me, &c. Itaq; nouo genere ſibi agendum eſſe.

Quomodo aſſumptionem probat?

Primò ab effectis Verris, quia ipſe de ſe hoc dictitet, ibi: qui ita dictitat, &c. ubi primum eſt diſsimilitudo, deinde ſyllogiſmus connexus:

Si eſſet obſcurus in agendo, fortaſſe nos fefelliſſet. Propoſitio eſt, ibi: quod ſi quām audax, &c. illuſtrata paribus.

Sed non eſt obſcurus in agendo, ibi: Verum hoc adhuc, &c. Aſſumptio approbatur eius dictis et factis.

Nos ergo non fallet, ibi: nunc homo audaciſsimus, &c. ubi eſt diſtributio Ciceronis, ſenatorum, equitum, ciuium, ſociorum, legatorum: & deinde amplificatio ipſius audaciæ.

Aliud deinde aſſumptionis argumentum eſt à Verris ſpe: nullam enim aliam habet, quam in pecunia: ubi eſt ſyllogiſmus connexus:

Si Verres in aliquo honeſto præſidio, aut alicuius eloquentia, aut gratia ſpem haberet, non omnem rationem ſalutis in pecunia poneret, ibi: Quod ſi non *modo, &c.*

Sed nullam ſpem habet in alicuius eloquentia, ibi: etenim quod eſt, &c ubi eſt approbatio ab eius effectis ſceleſtis per diſtributionem quæſturæ, legationis, præturæ urbanæ & Sicilienſis: & Sicilienſis quidem etiam amplificatur in iuredicundo, in frumento, in ſupplicijs, in monumentis, in ſtupris. Quæ ipſa prolepſi augentur & teſtimonio publico.

I 5 Ergo

Ergo omnem rationē in pecunia ponit, ut iudices corrumpat, licet id diſsimulet, ibi: Quæ cū ita ſint, &c. ubi eſt iteratio antecedentis propoſitionis. Deinde ſpem Verris exponit longa narratione, ibi: Quam ſpem, &c. ubi eſt primò attentio ad narrationem. Deinde narratio ipſa ſequitur, cuius pars prima eſt de redemptione iudicij. 2. de Conſularibus Comitijs, in quibus Hortēſius C O S. factus eſt: & nouæ inſidiæ comparatæ, quæ deprehenſæ ſunt ex gratulatione Curionis, quæ Ciceroni narrata eſt, ubi eſt diſtributio & mimeſis. 3. De gratulatione Verri facta ob præturam Metello delatam, & inſidias ſibi præparatas in Aedilitatis petitionē: ubi ſuā Cicero ſolicitudinem proponit. 4. de conſilio aduerſariorum, ut apud Metellum cauſa diceretur: ubi eius rei cauſæ explicantur: cum apoſtropha ad Metellum & mimeſi Verris ſermonum.

Quid deinde ſequitur?

Complexio principalis ſyllogiſmi quòd Ciceroni nouo genere agendum ſit, ibi: Nūc ego iudices, &c. ubi eſt apoſtropha ad iudices & communicatio, per ſyllogiſmum connexum argumento ab adiunctis:

Si utar legitimo tempore ad dicendum, capiā quidem fructum meæ induſtriæ, ſed periculum eſt ne elabatur Verres.

Non autem uolo capere fructum laudis, ut elabatur Verres.

Non ergo utar legitimo tempore.

Huic ſyllogiſmo complexionis ſubijcitur alia apoſtropha ad Hortenſiū, qua uehementer eum affatur, ibi: res omnis mihi, &c.

hi, &c. ubi ſyllogiſmus connexus eſt.

Si mecum dicendo & diluendis criminibus contenderes, ego quoque in accuſando operam cõſumerem, ibi ſi te mecum, &c.

At non illud ibi, nunc quoniam. &c.

Ergo nec hoc, ibi, neceſſe eſt, &c.

Aſſumptio illuſtratur diſsimili, ibi: tua ratio, &c. Huic ſubijcitur grauis comminatio in eos qui iudicia corrumpunt, ibi: & ſunt homines, &c. quam comminationem amplificat comparatis maioribus, Commemorabo ea quæ ante decem annos flagitioſè in rebus iudicandis facta ſunt: quãto magis ea quæ in hoc iudicio committi intellexero. Protaſis eſt, ibi: Omnia non modo, &c. amplificata inductione exemplorum. Apodoſis eſt, ibi: Quo me tandem animo, &c. amplificata dictis Verris per proſopopœiam obliquam, & iocoſo dicto Ciceronis apud Glabrionem, cui ſubiecta eſt exhortatio ad iudices per apoſtropham & obteſtationem, ut ſe ab infamia liberent, argumentum eſt ab adiuncta, opportunitate, ibi: Cui loco per Deos &c. quæ opportunitas iudicio ſyllogiſ. concluditur:

Si inuidia & odio iudices flagrant, debent occaſionẽ hanc ex infamia illa emergendi non negligere.

Sed inuidia flagrant, ibi: Nulla in iudicijs, &c. ubi cauſa inuidiæ ponitur, quia nulla ſit ſeueritas in iudicijs, nulla religio: eaq; approbantur teſtimonio Catuli & Pompeij.

Hanc ergo occaſionem ex infamia emergendi non debent negligere, ibi: Nunc autem homines, &c.

Accedit aliud argumentum à diligentia Ciceronis in accuſando Verre, & aduerſarijs obſeruandis, ibi: Poſtremò ego cauſam, &c.

Digitized by Google

DE PERORATIONE.

Quid agit in Peroratione?

Primò uotum ponit, & comminationem ſuperiorem repetit: ibi: Quapropter primum. &c. Deinde exhortatur prætorem, ut prouideat ne quod dedecus accidat: argumentum eſt ex cauſis procreantibus & adiunctis: quòd tali ſyllogiſmo iudicari poteſt:

Qui præclaros maiores habet, domeſticæ laudis obliuiſci non debet.

At Glabrio præclaros maiores habet: patrem Aciliũ, auum Scæuolam, ſocerum Scaurum.

Ergo huius laudis domeſticæ non obliuiſci, ſed in iudicando fortis eſſe, acrimoniam, prudentiam & conſtantiam retinere debet.

Tandem ſuum conſilium ſubiungit, primum quòd non ſit paſſurus iudicium differri, ibi: Mihi certum eſt. &c. deinde quòd teſtes ad ſingula crimina ſit commòdaturus, ibi: Illud à me nouum, &c.

Qui'nam ſunt loci Ethici?

1. *De auaritia & pecuniæ ſtudio. Nihil eſt tam ſanctũ quòd non uiolari: nihil tam munitum, quòd non expugnari pecunia poſsit. Item, Ingentes diuitiæ iudiciorum religionem, ueritatemq; perfringũt. Item, Nemo pecunioſus, quamuis ſit nocens, facilè damnari poteſt. Item, Magnum in pecunia præſidiũ eſt.*

2. *Diſſimulatio. Vir prudens ſolet animi dolorem uultu tegere & taciturnitate celare.*

3. *In Cicerone exemplũ eſt innocentiæ, integritatis & abſtinẽtiæ: quia diuitijs & pecunijs ſe à Verre corrũpi paſſus nõ eſt.*

4. In

4. *In Verre contrariũ eſt exemplũ hominis flagitioſi & depeculatoris, qui ex Sicilia prouincia per furta & rapinas corraſit decies centena millia Coron. hoc eſt decem tonnas auri.*

5. *Nulla eſt laus ibi eſſe integrum, ubi nemo eſt qui aut poſſit, aut conetur corrumpere.*

6. *In politico & eo qui in magiſtratu uerſatur, debet eſſe uis & acrimonia, ad reſiſtendum audaciæ: prudentia ad proſpiciendas inſidias: & conſtantia, ne de uera & certa ſententia poſſit deduci.*

7. *Lex Acilia apud Rom. fuit de pecunijs repetundis.*

SVMMA TERTIAE VERRINAE.

Quot ſunt partes tertiæ Verrinæ?

Quatuor. Exordium, Propoſitio, Partitio & Narratio.

Quod agit in Exordio?

1. *Criminatur Verris impudentiam & audaciam, qui non uereatur in iudicium uenire: per ſyllogiſmum connexum:*

Si Verres non uereetur in iudicium uenire, audax eſt.
Propoſitio amplificatur rumore uulgi.
At uenit in iudicium.
Eſt ergo audax.

Hic tamen ſyllogiſmum corrigit, ibi, patior iudices, idq; alio ſyllogiſmo connexo:

Si Verres in iudicium nõ ueniſſet, ego diligentiæ meæ fructum non caperem, ibi: Nam ſi iſte, &c.
At in iudicium uenit, ibi: imò uerò adſit, &c.

Ergo

Digitized by Google

Ergo diligentiæ meæ fructum capiam.

II. Cauſas inquirit impudentiæ Verris, cur in iudicio compareat. Et primò quidem cauſas efficientes, ut ſunt ſceleſtè factorum conſcientia & diuina uoluntas, per diſtributionem, ibi: de impudẽtia ſingulari, &c. Deinde finales, ut ſcilicet Verres ſupplicio afficiatur, ibi: neq; iſte mihi uidetur, &c. Quem locum ſyllogiſmo longo amplificat:

Homo ſceleſtus non tantum damnari, ſed & inſigni ſupplicio affici debet.

Verres eſt homo ſceleſtus, ibi: Non enim furem, &c.

Igitur inſigni ſupplicio affici debet, ibi: ut ego hũc, &c. nec poteſt unquam eripi.

III. Reddit rationem ſuperioris actionis, ibi: Mea quidem ratio, &c.

IIII. Exhortatur iudices, ne patiantur ſibi hunc reum eripi, ibi: Vos quod ad ueſtram famam.

V. Hortenſiũ uehementer affetur, ibi: Nunc non nouo, &c.

Quid agit in Propoſitione?

Primò per apophoſin oſtendit quid ſit prætermiſſurus, ibi: Itaq; primum illum actum, &c. Deinde quid dicturus ſit, ibi: Quæſtor Cn. Papirio, &c. ubi definitio quædã ſummæ rei eſt.

Quid agit in Partitione?

Totum iudicium in quatuor generaliſsima capita diuidit: in Quæſturam, Legationem Aſiaticam, Præturam urbanam & Sicilienſem, ibi: hi ſunt anni.

Quid agit in Narratione?

Quæſturam, Legationem & Præturam urbanã recenſet.

Quid de Quæſtura dicit?

Tria commemorat. 1. quòd Verres auerſa publica pecunia Cn. Papirium Carbonem in prouincia cum exercitu deſeruerit,

ſerverit, ibi: Quæſtor ex S.C. *2. quòd rationes non retulerit, ibi: Videamus rationes. 3. quòd Legatus contra* Cn. Dolabel*lam teſtimonium dixerit, ibi: Itaq; idem iſte, &c.*

Quid de Legatione dicit?

Primò tranſitio eſt à ſuperiore parte ad hanc, ibi: Quam*obrem quæſtura, &c. Deinde attentio eſt ad narrationem de legatione ibi: quamobrem, hoc omni, &c. Tertiò crimina legationis commemorat. 1. exactiones: Nam in* Ciliciam *proficiſcens in Achaia magiſtratum* Sicyonium *numos popoſcit, & fumo excruciauit, ibi: in Achaia. 2. Furta & ſacrilegia. Nam Athenis ex æde Mineruæ aurum abſtulit, ibi: Athenis, &c. Fanum Apollinis in Delo ſpoliauit. ibi: Delum uenit, &c. ubi exemplum diuinæ uindictæ ob contemptam religionem & amplificatio ab errore Latonæ, ac Perſarũ religione* Chio *ſigna abſtulit. Tenedo Tenem Deum abſtulit, ibi: Tenedo, &c. Samo Iunonem Samiam abſtulit, ibi: Illa uerò, &c. Aſpendi ſigna abſtulit, ibi: Aſpendum, &c. Pergæ fanum ſpoliauit ibi: Pergæ, &c. Hæc omnia exaggerat, ibi:* Quæ *malum eſt, &c. 3. Stupra, ad quæ tranſit, ibi: At credo in hiſce, &c. Lampſaci filiam Philodami per uim rapere uoluit. ibi:* Oppidum *eſt, &c. Philodamum ipſum quòd ipſius libidinibus obſtitiſſet, capite multandum curauit, ibi: Verum iſta damnatio, &c. 4. Auaritiam in Mileſios, ad quam tranſit, ibi: Magnum hoc Lampſacenum. 5. Perfidiam in tutela Malleoli, ibi:* C. *Malleolo, &c. 6. Iniuriam in Meliadas, ibi: Proquæſtore uerò quomodo, &c.*

Quid dicit de Prætura urbana?

Primum tranſit ad eam à legatione, ibi: Verum ad illum iam, &c. Deinde duo præturæ urbanæ crimina recenſet: Vnũ in iure

in iure dicundo & iniquis edictis, in hæreditate Annij de mulierum hæreditatibus, ibi P. Annius Aſellus, &c. in teſtem Minutij de hæreditatum poſſeſsionibus, ibi: Cognoſcite aliud hominis, &c. in A. Trebonij hæredes, ibi: P. Trebonius, &c. in Ligurem, ibi: Sulpitius Olympius, &c. Alterum crimen eſt in ſartis tectis exigendis, ibi: In ſartis tectis, ubi iniuriã ipſius in æde Caſtoris ad damnũ pupilli Iunij recenſet. Ad extremum iudicium Publicum Verris in prætura commemorat, ibi: Atq; etiam iudicium &c. Atq; hæc de tertia Verrina: in ſequentibus tractat de prætura Verris Sicilienſi: in 4. de iuriſdictione: in 5. de frumento: in 6 de ſignis ſublatis: in 7. de crudelitate ſuppliciorum.

VERRINA QVARTA.

Quot ſunt partes huius orationis?

Tres. 1. Exordium, in quo reddit iudices attentos per præteritionem & laudem Siciliæ. 2. Propoſitio, ibi: Quapropter de iſtius Prætura Sicilienſi, ubi ſyllogiſ. cõnexus latet:

Si cuiquam generi hominum Verres pepercit, debetis & uos illi parcere.

Se nulli generi hominum pepercit: quod ſequens narratio indicabit.

Ergo nec illi parcere debetis.

3. Narratio, ibi: Qui ſimul atq; ei ſorte, &c. in qua dicit primò de rebus cognitis & iudicatis iudicijsq; datis ob pecuniã: & de rerum capitalium quæſtionibus in Dionem Haleſinum, ibi: Quo die Siciliam tetigit, &c. in Soſippum & Epicratem Agyrinenſes, ibi: Soſippus & Epicrates, &c. in Heraclium Syracuſanum,

racuſanum,ibi: *Heraclius eſt Hieronis,&c.* in Epicratem Bidinum,ibi:*Bidis oppidum,&c.*in Sopatrum Halicienſem,ibi: *Sopater quidam fuit,&c.*deniq; in Sthenium Thermitanum, ibi:*Sthenius eſt is qui,&c.* 2. De uendita iuriſdictione,ibi:*Audiſtis ob ius dicendum,&c.* item de uenditis honoribus ſenatorijs.ibi:*dicta ſunt priore,&c.*de uẽditis ſacerdotijs, ibi: *Hoc idem transfero,&c.*de uenditis honoribus Cenſorijs,ibi: *Iam uerò cenſores,&c.* 3. De ſtatuis 1 quarum nomine pecuniam ui expreſsit à Centuripinis, ibi: *& quoniam de ea pecunia:*à Syracuſanis,ibi: *Verum quoties,&c.*ab aratoribus,ibi: *Inimicus eſt propterea,&c.* à ciuitatibus Siciliæ, ibi: *Venio nunc ad ciuitates,&c.* 2 Quas ui extorſu,quæ ideò poſtea deiectæ ſunt,ibi: *Hic tibi & multò magis.* 3. De publicanorum cum Verre in furtis colluſione,ibi: *Niſi forte qui apud publicanos,&c.*Item de Carpinatij tabulis,pecunias Verris extraordinarias continentibus,ibi:*In ſcriptura Siciliæ.&c.*

VERRINA QVINTA.

Quot ſunt partes huius orationis?

Quatuor. Exordium,Conſtitutio cauſæ,Confirmatio & Peroratio.

Quid agit in Exordio?

Captat beneuolentiam longo ſyllogiſmo,hoc modo:

Qui alium accuſant, magnum onus & negotium ſuſcipiunt. Propoſitio prima eſt, approbata primum loco communi de innocentia præſtanda ab accuſatore. Deinde teſtimonio Craſsi, cui amplificatio ex comparatis ſubijcitur.

Cicero Verrem accuſat:

Ergo magnum onus ſibi imponit. Complexio illuſtratur primò comparatione maiorum, ibi: Ego plus oneris habeo, &c. προτασις *comparationis eſt ibi Furem aliquem &c. per diſtributionem, cui noua comparatio maiorum ſubijcitur. Apodoſis eſt, ibi: Ego in uno homine, &c. Deinde prolepſi: in qua reſpondet Hortenſio de cauſa accuſationis ſuæ, ſcilicet inimicitijs, ibi: Et in hoc homine, &c. ubi ſyllogiſmus huiuſmodi eſt:*

Inter diſsimiles ſtudijs & uoluntatibus, eſt inimicitia, ibi: an tu maiores, &c.

At Cicero & Verres ſunt diſsimiles, ibi: fidem ſanctiſſimum, &c.

Ergo inter eos eſt inimicitia.

Quid agit in Conſtitutione cauſæ?

Primò priuſquam proponat, iudices deprecatur ut ſint attenti, ibi: Nunc proficiſcemur, &c. Deinde propoſitio ſequitur, ibi: Nunc tractare cauſam inſtituimus frumentariam &c. Deniq; partitionem ſubijcit tripartitam. Dicet enim de frumento decumano, empto & æſtimato.

DE CONFIRMATIONE.

Quænam eſt prima pars Confirmationis?

Eſt de frumento decumano: in qua prima narratio generalis eſt de iure & uectigalibus agri Sicilienſis per diſsimilitudinem cuius πρότασις *ibi eſt, quòd cæteris aut impoſitum &c.* ἀνταπόδοσις, *ibi; Siciliæ ciuitates &c. 2. Recitat Verris*

ris crimina in ciuitates & aratores: primò in exigendis decumis ad arbitrium decumanorum ſublata lege Hieronica, per diſsimile, προτάσεις eſt, ibi: Videte nunc maiorum, &c. ἀνταποδόσεις, ibi: Hic primus inſtituta, &c. Deſcribit autem principem decumanorum Apronium, ibi: Eorum omnium qui decumani, &c. & edictũ Verris recitat, ut arator tantum daret quantum decumanus edidiſſet, ibi: Primum edictum iudices, &c. ut ne quis frumentum de area tolleret antequã cum decumano pactus eſſet, ibi: exoritur peculiare edictum, &c. ut arator decumano, quò is uellet, uadimonium promitteret, ibi: Statuit iſte ut arator, &c. Secundò in pecunia frumẽtario nomine erepta: quod uariè confirmat primò argumentis, ibi: Magno inquit decumas, &c. 2. Enumerat exempla, ibi: Etenim quoniam ſummam, &c. quæ ſunt uel priuata ut Nymphonis, Xenonis, Polemarchi, Eubulidis, Soſtrati, Numenij, Nymphodori: tum publica, ibi: Priuatim hoc modo, &c. ut Agyrinenſium, Herbitenſium, Segeſtenſium, Liparenſium, Teſſenſium, Ameſtratinorum, Petrinorum, Halicyenſium, Segeſtanorum, Thermitanorum, Imacharenſium, Ennenſium, Calatinorum, Muſucenſium, Hyblenſium, Aetnenſium, Leontinorum. 3. Epiſtolis Metelli, ibi: Num quis in Verrem, &c. 4. Effectis: quòd ſcilicet multi ſibi mortem conſciuerint, ibi: Ac ne miremini, &c. 5. Societate cum decumanis, ibi: Attendite iudices, &c. eam ſocietatem probat teſtimonio Apronij & decumanorum, ibi: Loquebantur enim Decumani, &c. item ſponſione Rubrij & Scandilij, ibi: Quid, cùm palam Syracuſis. 6. Reſpondet obiectioni Verris, quod decumas magno uendidiſſet, ibi: Decumas agri Leontini. 7. Epiſtolam Timarchidis recitat, ibi: Venio nunc ad epiſtolam, &c. quam concludit inſigni loco communi de educatione liberorum.

Digitized by Google

Quæ'nam eſt ſecunda pars Confirmationis?

Eſt de frumento empto, ibi: Sequitur ut de frumento, &c. ubi eſt tranſitio & Attentio, quam ſequitur Propoſitio, quòd Publicam pecuniam ad emendum frumentum datam Verres interuerterit. Id'q; tribus furtorum generibus. 1. Fœneratione. Pecunia enim cum poſita eſſet apud eas ſocietates unde erat attributa, binis centeſimis eſt fœneratus. Vom 100. 24. ibi: Ac primum hoc, &c. 2. Auerſione. Permultis enim ciuitatibus pro frumento nihil ſoluit omnino, ibi: Siciliæ ciuitates multæ, &c. 3. Detractione. Nam ſi cui ciuitati ſoluit, tantum detraxit, quantum libuit, ibi: At enim frumentum Centuripinorum, &c.

Quæ'nam eſt tertia pars Confirmationis?

Eſt de frumento æſtimato, ibi: Dictum iudices eſt, &c. ubi eſt Tranſitio & Attentio.

DE PERORATIONE.

Quid agit in Peroratione?

Repetit breuiter tres partes confirmationis, ibi: Quapropter cognita tota re, &c. Deinde iudices hortatur ut aratores ab hac injuria liberentur, ibi: Dixi iam antea, &c. argumentum eſt ab adiunctis ruſtici laboris, hoc ſyllogiſmo:

Si res ruſtica & annona incertum caſum & euentum habet, aratores ab iniuria ſunt defendendi.
Sed illud.
Ergo & hoc.

VER-

VERRINA SEXTA.

Quot ſunt partes ſextæ Verrinæ?

TRes. 1. *Tranſitio cum addubitatione nominis.* 2. *Propoſitio,ibi: Nego in Sicilia,&c.* 3. *Narratio,ibi: Unde igitur potius, &c. in qua explicat & amplificat ſignorum & rerum precioſarum furta & rapinas.*

1. *In Heium Mamertinum: Nam primo ab Heio cupidinem Marmoreum, Herculem ex ære,duas tabulas,duas canephoras abſtulit,ibi:* C *Heius eſt,&c.* 2. *Miſit legatum ad Meſſenios ut Heius ignominia notaretur,ibi: Hominem miſſum ab iſto,&c.* 3. *Peripetaſmata Heio abſtulit, ibi: Verum hæc emiſſe,&c.*

2. *In Philarchum Centuripinũ ibi:* Quid? *à Philarcho &c.*

3. *In Lilybætanos,ibi: Verè mehercle. &c. ut in Pamphilũ, in Dioclem Pamphili generũ, in M.Cælium, in P. Cacuriũ, in Q. Lutadium,in Apollonium, in Liſonem, in Heium Pupillum,in Diodorum,in Cn.Calidium,in L.Papirium.*

4. *in Tyndaritanos,ibi: Hic nolite expectare,&c.*

5. *in Eupolemum,ibi:* Quid, *Eupolemo &c.*

6. *in Catinenſes,ibi:Catinam cum veniſſet,&c.*

7. *in Agyrienſes,ibi: Agyrio ſimiliter,&c.*

8. *in Haluntinos,ibi:Illa verò optima,&c.*

9. *in L.Titium,ibi:Ita literis iſtius patrisfam.&c.*

10. *in Antiochum R.Syriæ,ibi:Venio nunc non ad,&c.*

11. *in Segeſtanos,ibi:Segeſta eſt oppidum,&c.*

12. *in Tindaritanos,ibi:At hoc ſolum Africani,&c.*

13. *in Agrigentinos,ibi:* Quid *Agrigento,&c.*

14. *in Aſſorinos,ibi:Hanc virtutem,&c.*

15. *in Enguinos ibi: Matris magnæ,&c.*
16. *in Catinenſes,ibi: Sacrarium Cereris,&c.*
17. *in Melitenſes,ibi: Inſula Melita eſt,&c.*
18. *in Ennenſes,ubi eſt deſcriptio raptus Proſerpinæ, ad augendum crimen Ennenſe,ibi: Vetus eſt hac opinio,&c.*
19. *in Syracuſanos,ibi: Vnius etiā urbis omniū,&c. ubi eſt. 1. digreſsio in deſcriptionem Syracuſarum,ibi: Vrbem Syracuſas,&c. 2. Comparatio Verris cum Marcello,ibi: Nunc ad Marcellum,&c. 3. Crimina Verris,ut ædes Mineruæ ſpoliata,ibi: Aedes Mineruæ,&c. ut tabulæ ablatæ in quibus pugna Agathoclis & imagines regum Siciliæ ut ualuæ templi ablatæ,ut gramineæ haſtæ,ut Sappho,ut ſignum Pæanis,ut ſimulacrum Ariſtæi,ut ſimulacrum Iouis,ut caput ex æde Liberi. 4. Narratio, quomodo à Syracuſanis teſtimonia furtorum perſcripta cognorit,& de laudatione Verris ab iiſdem inſtituta, ibi: Atq; ut cæteros omittamus,&c. & ibi: De laudatione autem,&c. Deniq; quomodo tabulas nactus ſit, ibi: Ecce autem noua turba,&c.*

SEPTIMA VERRINA.

Quot ſunt partes Verrinæ ſeptimæ?

TRes. *Refutatio Narratio & Peroratio.*

Quid agit in Refutatione?

Defenſio Verris fuit, quòd eſſet bonus Imperator, hanc defenſionẽ ironicè proponit,ibi: ſed quædā mihi magnifica.&c. Huic, addubitatio etiā ironica ſubiicitur,ibi: Quid agam iudices. *Tandem refutatio ſequitur, qua negat ullam operam Verris fuiſſe in prouincia tuenda,ibi:* Quid dices? *an bello,&c,*

bello,&c. Rationes affert, quia nullum bellum fuerit, quia Sicilia conſilijs Craſsi, natura loci, inſtitutis edictiſq; prætorum, à contagione bellorum tuta fuerit, ac ſeueritatem diſciplinæ exemplo Domitij prætoris confirmat. Econtra oſtendit Verrem cauſas motuum aluiſſe, quia coniuratos comprehenſos pecunia diuiſit, ibi: In Tricalino, &c. ubi eſt longa ſuſtentatio.

Quot ſunt partes Narrationis?

Duæ. I. De re bellica flagitioſè adminiſtrata, ubi. 1. Itinera luxurioſi Imp in obeunda prouincia commemorat, ibi: Itinerum primum, &c. per tria tempora, Hyemis, Veris, Aeſtatis. Deinde eſt apoſtropha ad Hortenſium, ibi: Hunc tu igitur, &c. item Vita anteacta Verris, ibi: Dij faciant, &c. tandem comparatio diſsimilis inter Ciceronem & Verrem, cuius πρότασις *eſt, ibi: Ita mihi meam uoluntatem, &c.* Ἀνταπόδοσις*, ibi: Tu cùm eſſes Prætor, &c. 2. Auaritiam in bello prædonum propter pecuniam ex claſſe quæſitam recitat, ibi: At uerò contra bellum, &c. 3. Quòd prædonibus pepercerit accepta pecunia, ibi: Cum propter iſtius hanc, &c. 4. Quod claſsis amiſſa ſit ob libidinem Verris, ibi: Hac tanta præda auctus, &c.*

II. De ſupplicijs & immani crudelitate. 1. in Nauarchos, ibi: Hæc autem iſtius uituperatio. 2. in Rom. ciues, ibi: Reliqua eſt ea cauſa, &c. quos partim uirgis cecidit, ibi: Virgis quàm multos, &c. partim in latumijs necauit, ibi: Nam quid ego de cæteris, &c. partim in crucem ſuſtulit, ibi: Nam quid ego de P. Gauio, &c.

Quid agit in Peroratione?

1. Commendat totam cauſam iudicibus, ibi: Omnes hoc loco. 2. Comminatur Hortenſio ibi: Quamobrem te quoq;

Digitized by Google

Hortenſi &c. 3. Nobiles qui Verrem defendebant, in inuidiam adducit, ibi: Quæret aliquis fortaſſe, &c. 4. Renouat crimina Verris, per inuocationem Deorum, ibi: Nunc te Iupiter.

ANALYSIS ORATIONIS PRO M. FONTEIO.

Quæ'nam eſt Quæſtio huius orationis?

Oratio hæc ἀκέφαλος eſt: Sola cõfutatio apparet, & peroratio Confutationis tres partes ſunt. 1. Quòd Fõteio prætore Gallia ære alieno nõ fuerit oppreſſa. Altera quòd Fonteius nullum quæſtum ex uiarum munitione fecerit. Tertia quòd nouum uini portorium non inſtituerit.

Quibus argumentis refutat priorem partem?

Tribus. 1. diſtributione. 2. effectis. 3. teſtimonijs.

Quomodo ex diſtributione?

Si Fonteio Prætore Gallia ære alieno fuit oppreſſa, neceſſe eſt uerſuras eſſe factas aut à Gallis, aut à Rom. Propoſitio eſt in principio.

At nec à Gallis, nec à Roman. ciuibus uerſuræ factæ ſunt, ibi: à Gallis: &c. Approbatio ſequitur, quia eius rei nulli teſtes, nullæ tabulæ proferuntur.

Ergo non fuit oppreſſa ære alieno.

Quomodo ex effectis?

Fonteius rẽ benè in prouincia geſſit, ibi: Proh Dij immortales, &c. ubi prouincia Gallica deſcribitur effectis, adiũctis, partib. ſcilicet Narbone et Maſſilia.

Ergo

Digitized by Google

Ergo non credibile eſt eum uerſuras feciſſe.

Quomodo ex teſtimonijs?

Amicis potius, quàm inimicis credendum eſt.

Qui defendũt et laudãt Fonteiũ, amici ſunt, ut Maſſilienſes & Narbonenſes: qui oppugnãt, inimici ſunt.

Ergo his qui defendunt potius credendum, quàm ijs qui oppugnant.

Aſſumptio prima eſt, ibi: Dicunt contra, &c. Complexio ſecunda, ibi: Statuite nunc, &c. Propoſitio eſt ultima, ibi: utrum colonis, &c. Sequitur alius ſyllogiſmus ex teſtimonijs, isq́ connexus:

Si maiorem teſtium copiam affero, eorum autoritas plus ualere debet, quàm conſenſio Gallorum, ibi: Quid ſi maiorem, &c.

At illud, ibi: Cum Galliæ Fonteius, &c.

Ergo & hoc, ibi: Dubitabitis, &c. ubi conſilium Gallorum premitur à fine.

Quomodo refutat ſecundam partem?

Duobus argumentis. 1. à contradictione. Si coacti ſunt munire omnes, & multorum opera improbata ſunt, falſum eſt nullos muniſſe, & nulla improbata eſſe. Verum autem primum: uerum igitur & extremum, ibi: Obiectum *eſt, &c. 2. à diuerſis: ſyllogiſmus eſt connexus:*

Si alij huic munitioni & quidem diligenter præfuerunt, hoc crimen nihil ad Fonteium pertinet, ibi: Quid ſi hoc crimen, &c.

At illud, ibi: Cum maioribus Reip. &c. ubi eſt approbatio à teſtimonio literarum.

Ergo in hoc, ibi: Satis opinor, &c.

Digitized by Google

Quomodo refutat tertiam partem?

Eius quoq; partis refutatio mutila eſt: primò Pletorij crimen Fonteio obiectum recitat, ibi: Cognoſcite, &c. *Deinde refutat ſyllogiſmo truncato:*

Quo maius crimen eſt, hoc maior iniuria eſt, ſi falſò imponitur Fonteio.

Sed uinarium illud crimen maximum eſt, quòd ſcilicet in ſingulas amphoras quaternos denarios portorij nomine exegerit. Von 24 maſs 16. blap. De uictoriato Glar. cap. ult. de aſſe: uidetur dimidium denarij fuiſſe. 2. blap.

Maxima ergo iniuria eſt ſi falſò imponitur Fonteio.

Quid deinde ſequitur?

Gallorum teſtimonia Fonteium urgere uidebantur: illa ergo eleuat, ubi inſignis locus cõmunis eſt de Teſtibus. Tota res ſyllogiſmo longo ex adiunctis teſtium diſceptatur.

Teſtibus cupidis, iratis, coniuratis, à religione remotis non ſolum non poſſunt, ſed nec debent credere iudices.

At Galli tales ſunt.

His ergo iudices credere nec poſſunt, nec debent.

Propoſitio eſt, ibi: Igitur teſtibus iudices, &c. approbata à fine ſeu officio iudicio, quia ideo ſapiens iudex adhibetur, ut omnia explorentur, per ſyllogiſ. connexum:

Si ideò iudex ſapiens adhibetur ut unaquæq; res æſtimetur, momentoq; ſuo ponderetur, magnæ partes ſunt iudicis, ibi: etenim ſi quia &c.

At ideò iudex adhibetur ſapiens, ibi: Sin autem in rebus, &c.

Ergo

Digitized by Google

Ergo magnæ partes ſunt iudicis. Complexio eſt, ibi: næ multò ueſtræ,&c illuſtrata. 1. comparatis maioribus, cuius προέκθεσις*, ibi: Mihi enim, &c.* ἀπόδοσις*, ibi: Vos & ſæpius &c. 2. diſtributione, ibi: Quid eſt igitur, &c. 3. Exemplis teſtium eorum quibus creditum non eſt, ibi: An uerò uos id, &c. ut ſunt Cepiones, Metelli, Scaurus, Craſſus. Laudatq́; illos iudices, qui his teſtibus non crediderũt, ibi: Fuit, fuit, &c.*

Aſſumptio ſecunda eſt approbata per enumerationem, Galli enim iſti teſtes. 1. ſunt inimici Fonteio, ibi: Si inimico teſti, &c. 2. ſunt cupidi, ibi: ſi qui ob aliquod, &c. 3. ſunt à religione remoti. ibi: An uerò iſtas, &c. ubi eſt locus à diſsimili & effectis Gallorum:

Qui Deos ſpoliant, eosq́; humanis hoſtijs placari exiſtimant, hi nulla fide, nulla pietate ſunt.
At Galli tales ſunt.
Nulla ergo religione ſunt.

Complexio tertia eſt, ibi: Cum his uos teſtibus, &c. Amplificata adiunctis, quia Galli nec dignitate præſtent Ro. (ubi eſt comparatio) nec benè illis uelint, imò apertè minentur: quas minas duobus longis ſyllogiſmis amplificat, quorum prior eſt:

Si Fonteium omnia deficerent in hac cauſa, tamen nõ deberetis minis commoueri, Propoſitio ibi eſt, ſi M. Fonteium: conſtans diſtributione.
At nihil eum deficit, ibi: nunc uerò.
Non ergo debetis cõmoueri, ibi: Dubitabitis, &c. quæ augetur à metu maculæ ac ignominiæ: & prolepſi, non ſcilicet metuendum ne bellum faciant.

Alter hic eſt: Si turpis reus Fonteius eſſet, non patiendum

Digitized by Google

dum eſſet ut iſti minis ſe profeciſſe quicquàm arbitrarentur, ibi: Quod ſi in turpi, &c.

At Fonteius non eſt turpis, ibi: de quo homine, &c. Aſſumptio amplificatur exemplis diſsimilibus. Cuius diſsimilitudinis πρότασις *eſt, ibi: Ecquis unquam, &c. quæ conſtat exemplis Scauri, Aquilij, Cottæ, Rutilij, Piſonis.* ἀπόδοσις *eſt, ibi: M. Fonteius ita, &c.*

Minæ ergo illorum non debent proficere, ibi: Quod ſi aut quantam, &c.

Quid agit in Peroratione?

Commendat Fonteium fidei iudicum, ibi: Frugi igitur hominem, &c. argumentum eſt ab adiunctis: iudicio enthymematico concluſum, hoc modo:

Vir frugi, moderatus, temperans, plenus pudoris, officij, religionis, fortis, innocens, pro cuius ſalute multæ res ſupplicant, in ciuitate retinẽdus eſt potius & amicis reddendus, quàm inimicis hoſtibus dedendus. Propoſitio deeſt.

At Fonteius uir frugi eſt. &c. & pro eius ſalute multæ res ſupplicant, ut generis antiquitas, prætura, parentes, dubia Reip. tempora, prouincia Macedonia, & Hiſpania, Maſsilia, Narbonenſis colonia, ciues Rom. mater & ſoror. Diſtributio incipit, ibi: primum generis, &c.

Ergo in ciuitate retinẽdus eſt potius & amicis reddendus: quã inimicis hoſtibus dedendus, ibi: A quo periculo defendite, &c. Complexio illuſtratur comparatis.

ANA-

ANALYSIS ORATIONIS PRO CECINNA.

Quæ'nam eſt quæſtio huius Orationis?

AN Cecinna ab Ebutio ex interdicto Vnde ui ſit reſtituendus.

Quo'nam utitur argumento?

Teſtimonio interdicti, Vnde ui tu eum eiecisti, eò reſtituas. Sed quoniam hæc oratio inſigne exemplum iudiciarij proceſſus, etiam hodie uſitati, continet, breuiter ſummam eius hîc ſubducemus, quæ conſtat 8 ſyllogiſmis.

Actio Cecinnæ.

Qui de fundo ui eſt deiectus, is debet reſtitui ex interdicto.

Cecinna de fundo ui eſt per Ebutium deiectus.

Cecinna igitur p Ebutiũ debet reſtitui ex interdicto.

Defenſio Ebutij.

Si Cecinna deiectus eſſet, tum interdicto Ebutius teneretur.

At Cecinna nõ eſt deiectus, ſed prohibitus ne accederet.

Ergo Ebutius interdicto non tenetur.

Replicatio Cecinnæ.

Aut nulla eſt actio, aut ex interdicto actio dabitur Cecinnæ.

Sed non eſt nulla actio.

Dabitur igitur Cecinnæ actio ex interdicto.

Duplicatio Ebutij.

Interdicto locus eſt cum uis facta eſt.

At

At Cecinnæ non eſt uis facta: quia nemo occiſus aut ſauciatus eſt: & quia Cecinna non deiectus eſt, ſed prohibitus.

Ergo interdicto locus non eſt.

Triplicatio Cecinnæ & Concluſio?

Vbi arma & pericula ſunt, ibi uis eſt: Nec refert an ſauciatus occiſusúe ſit, nec'ne.

At hîc arma & pericula fuerunt.

Vis igitur fuit: & ideo pertinet ad interdictum. Item:

Qui prohibitus eſt accedere, is etiam rectè dicetur deiectus, nam id & uoluntas prætoris & ſcriptum ipſum indicat.

At Cecinna eſt prohibitus.

Rectè ergo etiam dicetur eiectus, ideoq; interdicto locus erit.

Noua defenſio ſeu Nouatio Ebutij?

Neuwerung.

Deijcitur is qui poſsidet.

Cecinna non poſſedit.

Ergo Cecinna deijci non potuit.

Reſponſio Cecinnæ ad Nouationem?

Etſi non poſſediſſet Cecinna, tamen diceretur eſſe deiectus.

At poſſedit: neq; enim quicquam obſtitit lex Cornelia.

Multò igitur magis dicetur eſſe deiectus.

Quot ſunt partes huius orationis?

Quinque. *Exordium, Narratio, Propoſitio, Contentio, Peroratio.*

Digitized by Google

DE EXORDIO.

Quid agit in Exordio?

Duo. 1. Cur in iudicium ueniat Cecinna. 2. Cur Recuperatores non debeant eſſe tardi ad iudicandum. Prior pars conſtat ſyllogiſmo connexo:

Si idem in iudicio poſſet impudentia, quod in agro audacia: non contenderet iudicio Cecinna.

Sed non idem in iudicio poteſt improbitas quòd in ui confidentia.

Contendit ergo iudicio Cecinna. Complexio illuſtratur diſsimili, quòd aliter nunc agat atq; initio propoſuerit, ex aduerſarij confeſsione & teſtibus, ibi: Itaq; longè, &c.

Secunda pars hoc ſyllogiſmo iudicari poteſt:

Si recuperatores tardi ſunt, aut iuris dubitatione, aut periculo exiſtimationis mouentur.

Sed non debent iuris dubitatione aut periculo exiſtimationis moueri, ibi: ueruntamen, &c.

Non ergo debent tardi eſſe ad iudicandum.

Aſſumptio ſuos proſyllogiſmos habet: Non debent dubitatione iuris moueri, qui Cicero eam tollet: etſi id illi difficile eſt. Nam:

Si unius Cecinnæ cauſa eſt agenda, facilis eſſet eius demonſtratio, ibi: Qua in re &c.

Sed non unius cauſa eſt agenda, ibi: Sed cum, &c.

Non ergo eſt facilis eius demonſtratio, ibi: Video ſummi, &c.

Nec debent periculo exiſtimationis moueri, ibi: Quanquã

ego.

ego. His ſubijcitur Prolepſis, quod Cicero alia actione leuiore debeat confligere, ibi: At ſi quis, &c. Soluitq; primò à minori, ibi: etenim ſi prætor, &c. Deinde ſyllogiſmo connexo:

Si alia ratione ius noſtrum recuperare poſſemus, relinqueremus hanc actionem, ibi: Veruntamen, &c.
Sed non poſſumus alia ratione.
Non ergo relinquemus hanc actionem.

DE NARRATIONE.

Quot ſunt partes Narrationis?

Septem. 1. Deſcriptio Fulcinij & Cæſenniæ, ibi: M. Fulcinius. 2. Fraudes Ebutij, quibus in familiam Ceſenniæ irrepſit, ibi: Cum eſſet hæc, &c. 3. Emptio fundi Fulciniani per Ebutium nomine Ceſenniæ, ibi: Cum eſſet ut dicere, &c. 4. Cecinnæ matrimonium cum Ceſennia & Ceſenniæ mors ac teſtamentum, ibi: Cum omnia ita facta, &c. 5. Dolus Ebutij in hæreditate & retinendo fundo Fulciniano, ibi: Iam principio. 6. Occaſio deiecti ab agro Cecinnæ, ibi: Cum hoc nouæ, &c. 7. Sponſionis origo, de qua iudicandum fuerat, ibi: His rebus ita geſtis, &c.

DE PROPOSITIONE.

Quænam eſt tertia pars huius orationis?

Propoſitio eſt, ibi: Hac de ſponſione vobis iudicandum eſt, &c. quam amplificat optatione & comparatione parium primò breui, deinde explicata.

DE

DE CONTENTIONE.

Quæ'nam eſt quarta pars?

Eſt Contentio ſeu Confirmatio & Confutatio: ſed ſyllogiſmus hic primus eſt Actionis, quam intendit Cecinna:

Qui ui aliquem de fundo deijcit, is reſtituere debet ex interdicto.

At Ebutius Cecinnam ui deiecit: quod confeſſione Ebutij ipſius & teſtimonijs Vetilij, Terentij, Celij, Memmij, Attiliorum, Rutilij, Falculæ patet, ibi: itaque mihi certum eſt, &c. Falculam ſatis acerbè tractat.

Ebutius igitur Cecinnã reſtituere ex interdicto debet.

Defenſio ſeu Reſponſio Ebutij.

Is reſtituere debet qui deiecit.

At Ebutius Cecinnam non deiecit: ſed armatis hominibus obſtitit ne in fundum ingrederetur, ibi: an uerò illa defenſio, &c.

Ergo Cecinnam reſtituere non debet.

Replicatio Cecinnæ.

Hic primò repetitur ſyllogiſmus actionis:

Qui ui deiectus eſt, actionem ex interdicto habet.

At ui eſt deiectus: id quòd poſitum eſt, id eſt, cõſtat, ibi: Eſt hæc res poſita, &c.

Ergo Cecinna actionem ex interdicto habet, ibi: Cum hoc conſtet, &c.

Deinde argumento à contrarijs concludit locum eſſe interdicto:

Aut nulla eſt actio, aut aliqua. Propoſitio cõſtat com-

 municatione,

municatione, amplificatione uiolentiæ & iteratione communicationis, ibi: Fac in hoc errare, &c.

At non eſt nulla actio, ibi: Nullam eſſe dices? Aſſumptionis proſyllogiſmus eſt per proſopopœiam, ibi: audire cupio, &c. quam proſopopœiam eludit argumento à maioribus, Noſtri maiores etiam tenuiſsimarum rerum iura ſtatuerunt, multò ergo magis tantarum rerum, ibi: Ita'ne uerò, &c. Alter proſyllogiſmus eſt per cōmunicationem, ibi: Quæro ſi te hodie, &c. ubi diſsimilitudo adijcitur actionis ex interdicto, & actionis iniuriarum.

Eſt ergo aliqua actio.

Si aliqua eſt actio, aut ea eſt quam Cecinna ex interdicta inſtituit, aut aliam Ebutius oſtendet, ibi: Alia ſi qua forte eſt, &c.

At Ebutius aliam oſtendere non poteſt.

Ergo hæc eſt qua Cecinna uſus eſt, ibi: Hæc ſi eſt, &c. Complexionis proſyllogiſmus ex prolepſi eſt, ibi: non enim uereor, &c. ubi in odium aduerſarius uocatur, qui ſententia interdicti diminuta in una litera & uerbo latere conatur: & iudices ad ius reuocantur à ſimili.

Tandē replicatio Cecinnæ cōcluditur ab adiūcto abſurdo.

Si actio ex interdicto Cecinnæ non competit, noſtri maiores ſtulti fuerunt, qui tantæ rei actionem prætermiſerunt, ibi: Huiuſce generis, &c.

At maiores noſtri tam ſtulti non fuerunt, ut actionem de ui prætermiſerint, ibi: Periculoſum eſt, &c. ubi proſyllogiſmus aſſumptionis eſt à maioribus.

Ergo Cecinnæ actio competit.

Dupli-

Digitized by Google

Duplicatio Ebutij.

Ebutij reſponſio breui obiectione conſtat, qua dicit ſe interdicto non teneri, ibi: Queramur, &c. cuius ratio eſt, Quia uis non ſit facta, quòd nemo ſit occiſus neq; ſaucius, id ſyllogiſ. connexo iudicatur:

Si Cecinnæ uis facta eſſet, tum Ebutius hoc interdicto teneretur.

At Cecinnæ uis non eſt facta. Aſſumptio eſt, ibi: Quid ita? approbata definitione, qua dicitur uis fieri cum aliquis occiſus eſt aut ſauctus.

Ergo Ebutius hoc interdicto non tenetur.

Triplicatio Cecinnæ.

In ſua triplicatione Cecinna Ebutij definitioni aliam definitionem opponit, ibi: Quid ais, &c. quæ hoc ſyllogiſmo indicatur:

Vbi arma & pericula ſunt, ibi uis eſt.

At hic arma & pericula fuerunt.

Vis igitur ibi fuit.

Propoſitio longa approbatione conſtat ſyllogiſ. connexi argumento à maioribus:

Si ui pulſi dicuntur exercitus, qui metu periculi fugerunt, multò magis priuati homines metu periculi fugientes ui pulſi dicentur, ibi: Quòd ſi ui pulſos &c. Propoſitio ſecunda eſt.

At illud, ibi: ego exercitus maximos, &c. aſſumptio prima eſt approbata maioribus & diſsimili, cuius πρότασις, ibi: itaque ſaucij, ἀνταπόδοσις, ibi: At alij, &c.

Ergò & hoc.

Aſſumptio triplicationis approbatur teſtimonio, ibi: Tuus

enim teſtis,&c. Complexio eſt,ibi: Quid metuebant,&c. cuius proſyllogiſmus conſtat axiomate logicæ concluſionis, poteſtis igitur principia negare, cùm extrema conceditis,id eſt,poteſtis concluſionem negare cum antecedens conceditis. ibiq; repetitur antecedens cum conſequente: & additur argumentum à maioribus:ad uim probandam ſatis eſt ſcire armatos eſſe,multò ergo maius eſt incidere in armatos. πρότασις eſt,ibi: at uerò hoc quidem,&c. redditio,ibi: ita'ne uerò, &c. Sequitur & alius ſyllogiſmus:

Cum de iure agitur pertenuis uis intelligi debet.
At hîc de iure agitur.
Pertenuis ergo uis intelligatur.

Et hunc ſequitur alius, per apoſtrophem & communicationem cum Ebutio:

Aut noluit Cecinna in fundum,aut non potuit accedere,ibi: Age uerò de ui,&c.
At non noluit, imò uoluit accedere, ibi: cum te obſtitiſſe,&c.
Non potuit ergo,ibi potes igitur,&c.

Atq; hactenus prima pars triplicationis quòd uis ſit facta, ibi: iam uim factã. Altera ſequitur quòd prohibitus rectè etiã dicatur deiectus. Ebutius enim id negarat hoc ſyllogiſ.

Eum qui deijcitur, dimoueri & depelli de loco neceſſe eſt.
At Cecinna dimoueri nõ potuit,quia in eo loco nõ fuit.
Cecinna ergo non eſt deiectus.

Cecinna huic ſyllogiſmo per alium ſyllogiſmũ reſpondet:

Etſi interdicti uerba nõ ſufficerent, tamẽ ſententia eſſet ſequenda.
Sed uerba ſufficiunt.

Multò

Multò ergo magis ſententia ſequenda eſt.

Propoſitionis longus eſt proſyllogiſmus de uoluntate interdicti, cui præmittit argumentum à pari, detruſus dicitur, qui non attingitur, ergo & deiectus, qui non de ſuperiore loco motus eſt, ibi: an tu qui tam, &c. Deinde uoluntatem prætoris ſequens, docet eum qui repulſus ſit, deiectum dici & communem locum ſubijcit, in conſilio ſcilicet & mente ſcriptoris, non in uerbis ac literis uim legis poſitam eſſe, ibi: an non eum, &c. Cauſas etiã rei neq; poſitæ, neq; exceptæ ponit, ſcilicet inopiã uerborum, ibi: an hoc dubium eſt, &c. Item adiuncta incommoda recenſet ſi à mente ad uerba deflectamus, ibi: quæ lex, &c. Exemplis quoq; diſputationem illuſtrat. 1. Craſſi, ibi: Exemplis, &c. ubi ſyllogiſmus connexus adijcitur:

Si uoluntas noſtra tacentibus nobis intelligi poſſet, nõ opus eſſet uerbis.
At non poteſt.
Verbis igitur opus eſt.

2. In fundo. 3. De uia. 4. De formula actionis. 5. De pupillo. Tandem teſtimonio edicti utitur, ibi: Verum ne nimium &c. ubi uerba familiæ, procuratoris, cogere, armatorum. explicat & Arma duplicia facit, alia ad tegendum, Græcis σκεπαστήρια, alia ad nocendum ἀμυντήρια. Admiſcetur & ſyllogiſmus:

Quibus rebus plerunq; uis fit, eiuſmodi res appellãtur interdicto.
At per armatos coactosq; homines plerunq; uis fit.
Illi ergo interdicto appellantur. Quod ſi per alias res facta eſt uis, ea tametſi uerbis non continetur, ſententia tamen retinetur.

Itaq; hactenus proſyllogiſmus propoſitionis. Aſſumptio

ſequitur, quod interdicti uerba ſufficiant, ibi: Venio nunc ad illud, &c. Vbi primo à comparatis maioribus oſtendit facilius armatos non dici, qui ſine ſcutis & ferro fuerunt, quàm eum non eſſe deiectum, qui pulſus fugatusq́ ſit. Deinde defenſionem Piſonis premit, qua dicebat iureconſultis obtemperari non debere, ibi: Atq; illud, &c. Totus locus ſyllogiſmo hoc concluditur ex diſsimilibus:

Is debet accuſare iureconſultos, qui bonum & æquum defendit, non qui in uerborum tendiculis latet, ibi: nam cæteri, &c.

Ebutius bonum & æquum non defendit, ſed in uerborum tendiculis latet, ibi: in iſta uerò cauſa, &c. amplificata per proſopopœiam.

Ebutius ergo iureconſultos accuſare non debet, ibi: in iſta defenſione, &c. Complexio proſyllogiſmũ ſuũ habet ex refutatione exempli Scæuolæ, quòd tanquam alienum ſit adductum, & reprehenſione uulgaris dicti, quòd ius ciuile non ſemper in cauſis ualere debeat: ubi inſignem locum communem de iure & legibus ciuilibus in Rep. retinendis ſubijcit.

Tandem poſt hanc reprehenſionem Piſonianæ defenſionis, teſtimonio Aquilij probat interdicti uerba ſufficere: quem primò laudat, ibi: Hoc loco percommodè, &c. Deinde diſſerit quomodo Aquilius oſtenderit uerbo, Vnde comprehendi non ſolùm locum in quem uenire uoluit Ebutius, uerum & eum unde fugerit, ibi: qui cùm iſtam diſputationem, &c.

Noua defenſio Ebutij.

Is deijcitur q̃ poſſidet. ibi, Vt uerò iã Recuperatores, &c.

Cecinna non poſſedit.

Non ergo deiectus eſt.

Reſponſio

Reſponſio ad nouationem?

Etſi Cecinna non poſſediſſet, tamen ad interdictũ haec res pertineret, ibi: Num ra quam multa, &c. Propoſitio diſsimilitudine conſtat duorũ interdictorũ de ui priuata & publica.

At Cecinna poſſedit, ibi: Atq; ego in hoc, &c. proſyllogiſmus eſt à factis Cecinnæ & teſtimonijs: item prolepſis eſt quòd non obſtiterit lex Cornelia, ubi ad longum diſputat ciuitatem nemini adimi potuiſſe, ibi: At enim Sylla, &c.

DE PERORATIONE.

Quid agit in peroratione?

Commendat Cecinnam recuperatoribus, ibi: Qui quoniam recuperatores, &c. Concludit autem ſyllogiſmo:

Si iudices hominum rationem habent, uirtutem Cecinnæ commendatam habebunt: ſin de cauſa quærunt, tempora Reip. conſiderabunt.

Sed hoc aut illud.

Ergo aut uirtutem commendatam habebunt, aut Reipub. tempora.

ANALYSIS ORATIONIS PRO L. MANILIA.

Quæ'nam eſt quæſtio huius orationis?

An Pompeius bello Aſiatico ſit præficiendus.

Quibus utitur argumentis?

Cicero cauſas belli omnes diligenter excuſsit. Primò finem, gloriam Pop. Rom. ſalutem ſociorum, uectigalia publica.

Deinde facultates efficientium cauſarum primum ex Mithridate, quantum bellũ ſit quod coniungant duo potentiſsimi reges Mithridates & Tigranes: renouent agitatæ nationes: deinde ex Pompeio uires Pomp. opponit, quòd in hoc Imp. ſit ſciẽntia rei militaris, uirtus, autoritas, felicitas.

Quæ'nam ſunt partes huius orationis?

Sunt quinque. Exordium, Narratiõ, Partitio, Contentio, Peroratio.

DE EXORDIO.

Quid agit in Exordio?

Rationem reddit cur concionem ad populum habeat, idq; ex diſsimilibus. Antea conciones ad populum non habui, quia nihil autoritatis, nihil facultatis ad agendum habui: nunc uerò habeo autoritatem & facultatem. Itaq; in concionem prodeo. Protaſis in principio eſt, quæ conſtat prolepſi: quanquam locus ampliſsimus eſt, tamen metus me deterret; ratio ſubijcitur ab adiuncta ætate: cui epiphonema additur. Antapodoſis eſt, ibi: nunc cum & autoritatis, &c. quæ reponit & autoritatem & facultatem ex paribus. His ſubijcitur Attentio, ibi: atque illud, &c. & docilitas ſeu propoſitio, ibi: dicendum eſt, &c.

DE NARRATIONE.

Quid agit in Narratione?

Ait bellum Rom inferri à Mithridate & Tigrane, & ad id depoſci Pompeium.

DE

DE PARTITIONE.

Quid agit in Partitione?

Tranſitione utitur, primò: deinde diuidit cauſam, ibi: cauſa quæ ſit, &c.

DE CONFIRMATIONE.

Quot ſunt partes Confirmationis?

Tres, 1. de genere belli. 2. de magnitudine belli. 3. de Imp. deligendo. Melior fuiſſet Διχοτομία *in bellum & Imperatorem.*

Quomodo tractat primam partem?

Per locum cauſarum finalium quatuor, ſyllogiſ. talis eſt:

Bellum in quo agitur gloria, ſalus, uectigalia, bona ciuium, eſt ſuſcipiendum.

In hoc bello Aſiatico agitur gloria, &c. ibi: *Genus eſt enim, &c.*

Ergo eſt ſuſcipiendum.

Aſſumptio quatuor proſyllogiſmos habet: quorum primus eſt de gloria:

Bellum in quo agitur gloria, eſt ſuſcipiendum.

In hoc bello agitur gloria.

Eſt ergo ſuſcipiendum.

Aſſumptio præcedit, ibi: Et quoniam ſemper, &c. approbata effectis Mithridatis, qui ciues Rom. trucidauit, in Aſia uerſatur, in Hiſpaniam legatos miſit: item effectis Syllæ, Murenæ, Luculli.

Propoſitio ſecunda eſt, ibi: Sed pro ueſtri imperij, &c. *approbata 4 comparatis maioribus, ibi: Maiores ueſtri, &c.*

Complexio tertia eſt, ibi: Videte ne, &c. illuſtrata contrarijs ſimiliter tractatis.

Quis'nam eſt ſecundus proſyllogiſmus?

Eſt de ſalute ſociorum.

Bellum in quo agitur ſalus ſociorum, eſt ſuſcipiendũ.
In hoc bello agitur ſalus ſociorum.
Eſt ergo ſuſcipiendum.

Aſſumptio præcedit rurſus, ibi: Quid quod. *&c. eius approbatio eſt per diſtributionem Ariobarzanis & ciuitatum Aſiæ: quorum mimeſis ſubijcitur, etſi enim apertè & liberè loqui non audent, tamen tacitè pro Pompeio rogant: ubi eſt diſſimilitudo quoq;, cuius* πρότασις *eſt, ibi: atq; hoc etiam magis &c.* ἀνταπόδοσις, *ibi: hunc audiebant, &c.*

Complexio ultimo loco eſt, ibi: Quare ſi propter, *&c. approbata exemplo maiorum per diſtributionem & maiora tractata.*

Qui'nam eſt tertius proſyllogiſmus?

In quo bello aguntur uectigalia, id ſuſcipiendum eſt.
In hoc bello aguntur uectigalia.
Suſcipiendum igitur.

Aſſumptio prima eſt, ibi: præſertim cum, &c. approbata comparatione diſsimili: cuius πρότασις *eſt, ibi: nam cæterarum, &c.* ἀνταπόδοσις, *Aſia uerò, &c. quæ continet adiuncta uectigalium tria: ex agris, ex paſtione, ex rebus quæ exportantur.*

Cõplexio ſecunda eſt, ibi: Itaq; hæc uobis, &c. amplificata maioribus, Aſia non ſolũ à calamitate, ſed etiã à metu calamitatis eſt defendenda: idq; tractatũ eſt per iudiciũ ſyllogiſticũ.

Vecti-

Vectigales licet tantũ metuant defendẽdi ſunt: propoſitio illuſtratur comparatis diſsimilibus, πρότασις eſt, ibi: nam cæteris, &c. ἀνταπόδοσις, ibi: at in uectigalibus, &c. quæ conſtat maioribus & adiunctis belli, per diſtributionem & epiphonema.

At Aſiatici uectigales ſibi metuunt, ibi: quo tandem animo, &c. approbata cauſis efficientibus timoris, qui ſunt duo reges.

Ergo defendendi ſunt, ibi: Putatis'ne. Complexio approbatur coniugatis: Vultis frui prouincia: conſeruate igitur fructuoſos.

Quis'nam eſt quartus proſyllogiſmus?

Eſt de bonis ciuium.

Bellum in quo aguntur bona ciuium, eſt ſuſcipiendũ.
In hoc bello aguntur bona ciuium.
Eſt ergo ſuſcipiendum.

Aſſumptio præcedit, ibi: Ac ne illud, &c. approbatio eſt per diſtributionem, cuius prima pars eſt de publicanis, qui uectigalia Aſiæ habent conducta, ibi: nam & publicani, &c. altera eſt de cæteris ordinibus, qui partim in Aſia negotia & mercaturam exercent, partim pecunias collocatas habent.

Complexio ſequitur, ibi: Erit igitur humanitatis, &c. approbata adiunctis humanitatis & ſapientiæ: item illuſtrata prolepſi, ibi etenim illud, &c. quæ ſoluitur adiuncta difficultate, ibi neq; enim ijſdem, &c. item exemplo, ibi: deinde quòd nos, &c. Tandem concluſionem generalem primæ partis cum iteratione argumenti ſubijcit, ibi: Quare uidete, &c.

Quomodo tractat ſecundam partem?

Primò eſt tranſitio, ibi: Quoniam de genere, &c. Secundò

eſt

eſt prolepſis quòd ſcilicet bellum hoc non uideatur eſſe pertimeſcendum, ibi: Poteſt enim, &c. Syllogiſmus hoc loco talis eſſe poteſt:

Vbi inſignis dux eſt, ibi non facilè reliquum eſt magnum bellum. Deeſt.

In hoc bello contra Mithridatem fuit inſignis dux Lucullus.

Non ergo poteſt reliquum eſſe magnum bellum.

Aſſumptio ibi eſt: Atq; ut omnes, &c. approbata effectis Luculli, qui copias Mithridatis deleuit, Cyzicum obſidione liberauit, claſſem depreſsit: Pontum patefecit, Sinopem & Amiſum cepit, Mithridatem è regno fugauit. Complexio eſt, ibi: *Requiretur fortaſſe, &c. Tertio reſpondet huic prolepſi primò comparatione ſimilium, cuius* πρότασις *eſt, ibi:* primum ex *ſuo, &c. quam præcedit attentio.* Ἀπόδοσις *eſt, ibi: ſic Mithridates, &c. illuſtrata epiphonemate. Deinde reſpondet ex cauſis efficientibus, quibus belli magnitudinem arguit:* iudicio *ſyllogiſmi:*

Bellum quod coniungunt reges potentiſsimi, renouāt agitatæ nationes, ſuſcipiunt integræ gentes, nouus Imp. accipit: id magnum & periculoſum eſt.

Hoc bellum Aſiaticum tale eſt.

Magnum ergo & periculoſum eſt.

Aſſumptio prima eſt, cuius partes tres ſunt, prima de regibus qui ſe coniungunt, ibi: hunc in illo, &c. ſecunda de gentibus concitatis, ibi: plures etiam, &c. ubi cauſæ illius tumultus ſunt metus & opinio ſacrilegij tertia de nouo Imp. ibi: hic in ipſo, &c. Complexio ſecunda eſt, illuſtrata apophaſi, ibi: multa prætereo, &c. Propoſitio ultima eſt, ibi: quod coniungunt, &c.

Quo-

Quomodo tractat tertiam partem?

Primò eſt tranſitio, ibi: Satis mihi multa, &c. Deinde proponit Vnum eſſe eligendum Pompeium, idq́ duobus ſyllogiſ. quorum prior breuis eſt:

Si unus idoneus eſt, facilis eſt deliberatio.
Sed unus Pompeius eſt.
Facilis ergo eſt deliberatio.

Propoſitio prima eſt, ibi: Vtinam Quirites, *&c. illuſtrata aduerſis per optationem: Vtinam multi uiri fortes eſſent, ut difficilis eſſet deliberatio. Aſſumptio ſecunda eſt, ibi: Nunc uerò, &c. illuſtrata comparatis maioribus.* Complexio tertia *eſt, ibi:* Quæ *res eſt, &c.*

Poſterior ſyllogiſ. eſt prolixus & uarijs proſyllogiſmis exornatus. Argumentum eſt ex adiunctis boni Imp.

In quo Imp. ſunt 4. hæc adiuncta, ſcientia rei militaris, uirtus, autoritas, felicitas, is eſt eligendus.
In Pompeio hæc inſunt.
Eſt ergo eligendus.

Hic quoq́, ut in propoſitione, dichotomia melior fuiſſet in uirtutem (cuius ſpecies eſt militaris uirtus) & felicitatem, cuius adiunctum eſt autoritas. Sed tamen propoſitio ſyllogiſ. prima eſt, ibi: Ego enim ſic, &c. Aſſumptionis prima pars de ſcientia rei militaris eſt ibi: Quis *igitur hoc homine, &c. illuſtrata comparatis & effectis per gradus ætatis, pueritiam, extremã pueritiam, adoleſcentiã, item ſpecies belli. Secunda pars aſſumptionis eſt de Virtutibus, ibi: Iam uerò uirtuti, &c. quas diuidit in Imperatorias & illarum adminiſtras comitesq́, ex quibus duos ſyllogiſmos conficit. Prior eſt:*

Qui *uirtutes militares habet, laborem, fortitudinem, induſtriam,*

induſtriam, celeritatem, conſilium, is uerus eſt Imp. Propoſitio eſt, ibi: non enim illæ, &c. illuſtrata comparatione maiorum, cuius apodoſis per longum hyperbaton traiecta eſt: item diſtributione uirtutũ imperatoriarũ ex ſubiectis. Xenophon eaſdẽ habet, τὸ πονῆσαι, τὸ ἀγρυπνῆσαι, τὸ σπεῦσαι, τὸ μὴ εἶξαι.

At Pompeius has uirtutes habet, eſt ergo uerus Imp. Aſſumptio eſt, ibi: quæ tanta ſunt, &c. illuſtrata diſsimilibus, & factis Pompeij per diſtributionem, cum teſtimonijs, Italiæ, Siciliæ, Africæ, Galliæ, Hiſpaniæ, quæ omnia amplificat ab adiũcta belli antiquitate & celeritate, idq́ue iudicio ſyllogiſtico: Qui bellum uetus & latè diſperſum conficit, eius uirtus eſt incredibilis, ibi: Hoc tantũ bellum, &c. Bellum uetus Pompeius confecit, ibi: Quam prouinciam, &c. ubi eſt etiã amplificatio à comparatis maioribus. Eius ergo uirtus eſt incredibilis, ibi: Prô Dij immortales. Addit & alterũ ſyllogiſmũ de celeritate:

Qui bellum citò conficit, eius eſt incredibilis uirtus.
At Pompeius bellum citò confecit.
Eius igitur, &c.

Aſſumptio eſt, ibi: Atq; hæc qua celeritate, &c. illuſtrata comparatis minoribus: diſtributione, & epiphonemate Complexio eſt, ibi: eſt hæc diuina, &c. Sequuntur deinde uirtutes, militarium uirtutum comites & adminiſtræ: de quibus alter ſyllogiſmus eſt:

Qui innocentiam temperantiam, facilitatem, eloquentiam, fidem, humanitatem habet, eſt uerus Imp. ibi: Quòd cætera, &c. ubi eſt epanalepſis poſt longum illud hyperbaton.

At

At Pompeius has habet.
Eſt ergo uerus Imp.

Aſſumptio conſtat diſtributione. 1. De innocentia, ibi: quem enim poſſumus, &c. ubi diſsimilitudo eſt, cuius πρότασις cõſtat factis aliorũ Impp. auaris & iniuſtis. quæ interrumpitur admurmuratione populi, in qua ſignificatio eſt de euentu orationis; per apoſtrophen, digreſsionem, communicationem, teſtimonium comparata minora. Ἀνταπόδοσις conſtat factis Pompeij, ibi: hic miramur, &c. ubi ſunt comparata ſimilia & minora, teſtimonium, item epiphonema à fine. 2. De temperantia, ibi: age uerò &c. ubi eſt tranſitio. Temperantia autem hac cauſa ſuperioris celeritatis ſtatuitur per diſsimilitudinem, cuius πρότασις conſtat remotione trium cauſarum: ἀνταπόδοσις uerò remotione quinq; cauſarũ impedientium celeritatem, quæ ſubiectis ſuis exornantur, & amplificatio additur ex adiuncta admiratione, cum ſimili & diuerſis. 3. De facilitate, ibi: iam uerò, &c. quæ conſtat ſubiectis, maioribus & paribus. 4. De eloquentia, ibi: iam quantum &c. quæ probatur teſtimonio. 5. De fide, ibi: fidem uerò &c. quæ conſtat maioribus. 6. De humanitate, ibi: humanitate, &c. quæ conſtat paribus.

Complexio eſt, ibi: & quiſquam dubitabit, &c. quæ conſtat cauſis efficientibus diuinis.

Tertia pars aſſumptionis eſt de autoritate, ibi: Et quoniam autoritas, &c. quæ conſtat ſyllogiſmo hoc:

Qui in rebus belli adminiſtrandis plurimum autoritatis habet, is eſt Imp. eligendus.
Pompeius plurimum habet autoritatis.
Eligendus igitur.

Propoſitio prima eſt, Vehementer, &c. Aſſumptio ſecunda

eſt,

induſtriam, celeritatem, conſilium, is uerus eſt Imp
Propoſitio eſt, ibi: non enim illæ, &c. illuſtrata com
paratione maiorum, cuius apodoſis per longum h
perbaton traiecta eſt: item diſtributione uirtutũ im
peratoriarũ ex ſubiectis. Xenophon eaſdẽ habet, τ
πονῆσαι, τὸ ἀγρυπνῆσαι, τὸ σπεῦσαι, τὸ μὴ εἴξ ε

At Pompeius has uirtutes habet, eſt ergo uerus Imp
Aſſumptio eſt, ibi: quæ tanta ſunt, &c illuſtrat
diſſimilibus, & factis Pompeij per diſtributionem
cum teſtimonijs, Italiæ, Siciliæ, Africæ, Galliæ, Hi
ſpaniæ, quæ omnia amplificat ab adiũcta belli an
tiquitate & celeritate, idq́ iudicio ſyllogiſtico: Qu
bellum uetus & latè diſperſum conficit, eius uirtu
eſt incredibilis, ibi: Hoc tantũ bellum, &c. Bellum
uetus Pompeius confecit, ibi: Quam prouinciam
&c. ubi eſt etiã amplificatio à comparatis maiori
bus. Eius ergo uirtus eſt incredibilis, ibi: Prô Dij im
mortales. Addit & alterũ ſyllogiſmũ de celeritate

Qui bellum citò conficit, eius eſt incredibilis uirtus.
At Pompeius bellum citò confecit.
Eius igitur, &c.

Aſſumptio eſt, ibi: Atq; hæc qua celeritate, &c. illuſtrat comparatis minoribus: diſtributione, & epiphonemate Complexio eſt, ibi: eſt hæc diuina, &c. Sequuntur deinde uirtutes militarium uirtutum comites & adminiſtræ: de quibus alte ſyllogiſmus eſt:

Qui innocentiam temperantiam, facilitatem, eloque
tiam, fidem, humanitatem habet, eſt uerus Imp. ib
Quòd cætera, &c. ubi eſt epanalepſis poſt longum
illud hyperbaton.

At Pompeius has habet.
Eſt ergo uerus Imp.

Aſſumptio conſtat diſtributione. 1. De innocentia, ibi: quem enim poſſumus, &c. ubi diſsimilitudo eſt, cuius πρότασις cōſtat factis aliorū Impp. auaris & iniuſtis quæ interrumpitur admurmuratione populi, in qua ſignificatio eſt de euentu orationis; per apoſtrophen, digreſsionem, communicationem, teſtimonium comparata minora. Ἀνταπόδοσις conſtat factis Pompeij, ibi: hic miramur, &c. ubi ſunt comparata ſimilia & minora, teſtimonium, item epiphonema à fine. 2. De temperantia, ibi: age uerò, &c. ubi eſt tranſitio. Temperantia autem hæc cauſa ſuperioris celeritatis ſtatuitur per diſsimilitudinem, cuius πρότασις conſtat remotione trium cauſarum: ἀνταπόδοσις uerò remotione quinq; cauſarū impedientium celeritatem, quæ ſubiectis ſuis exornantur, & amplificatio additur ex adiuncta admiratione, cum ſimili & diuerſis. 3. De facilitate, ibi: iam uerò, &c. quæ conſtat ſubiectis, maioribus & paribus. 4. De eloquentia, ibi: iam quantum &c. quæ probatur teſtimonio. 5. De fide, ibi: fidem uerò &c. quæ conſtat maioribus. 6. De humanitate, ibi: humanitate, &c. quæ conſtat paribus.

Complexio eſt, ibi: & quiſquam dubitabit, &c. quæ conſtat cauſis efficientibus diuinis.

Tertia pars aſſumptionis eſt de autoritate, ibi: Et quoniam autoritas, &c. quæ conſtat ſyllogiſmo hoc:

Qui in rebus belli adminiſtrandis plurimum autoritatis habet, is eſt Imp. eligendus.
Pompeius plurimum habet autoritatis.
Eligendus igitur.

Propoſitio prima eſt, Vehementer, &c. Aſſumptio ſecunda

eſt,

eſt,ibi:Quod igitur nomẽ, &c. illuſtrata minoribus & exẽplis tribus,primo belli maritimi,ſecundo Mithridatici,tertio deditionis hoſtiũ.Complexio tertia eſt,ibi:Poteſtis igitur iam.&c.

Quarta pars aſſumptionis eſt de felicitate,ibi : Reliquum eſt,&c.cuius hic ſyllogiſmus eſſe poteſt:

Qui felicitatem habet is eligendus eſt Imp. omittitur: ſed eius loco eſt approbatio à ſententia generali.

Pompeius felicitatem habet : cuius proſyllogiſmus eſt ẽ diſsimilibus, Alij felicitatem diuinitùs habent, Pompeius uerò eam in ſua quaſi poteſtate habet. πρότασις eſt,ibi:ego enim,&c.ἀνταπόδοσις eſt, ibi : de huius autem, &c. quæ conſtat apophaſi & præmollitione.

Pompeius igitur eligendus eſt, ibi : Quod ut illi, *&c. ubi eſt optatio & εὐφημία loco complexionis, & hanc ſequitur generalis concluſio ſeu epilogus confirmationis cum ἀνακεφαλαιώσει partiũ: eamq́; expolit adiuncta opportunitate loci & exercitus ſyllogiſmo connexo:*

Si *Romæ priuatus eſſet Pompeius,tum is eſſet eligendus,ibi:quod ſi Romæ.*

At non eſt Romæ priuatus, ſed in Aſia cum exercitu, ibi: Nunc cum.

Multò ergo facilius eſt eligendus,ibi : Quid *expectamus,&c.approbata teſtimonio diuino.*

DE CONFVTATIONE.

Quid agit in Confutatione?

Duorum hominum Catuli & Hortenſij contrarias ſententias refellit, ſed per ὕστερον πρότερον. Prius enim Catulum proponit,

proponit, ibi: At enim, &c. ſed eũ poſteriore loco refutat. Antequàm aũt ad reprehenſionẽ accedat, ſolicitè ſe excuſat & ueniam præfatur ex Logico axiomate, ut hîc quoq; in Ro. populi theatro perſpiciamus, quàm nihil iſti miſeri homines abſque Logica ualeant. Eſt autem Ciceronianæ excuſationis axioma, quòd omiſsis autoritatibus, ipſa re & ratione exquiri debeat ueritas. Hoc fundamento refutationis poſito, utrunque aduerſarium declinat.

Quid igitur ait Hortenſius?

Syllogiſmum connexum Ciceroni in collum coniecerat:

Si uni omnia tribuẽda ſunt, unus eſt digniſsimus Pompeius.

Sed non ſunt uni omnia tribuenda.

Non ergo unus eſt digniſsimus.

Et ſanè ſyllogiſmi huius aſſumptio ualdè eſt acuta: ſed quid ad hæc Cicero?

Exemplo ſimili refutat, quo Hortenſius cum contra Gabinium contenderet non eſſe unum eligendum, uictus eſt. Tota refutatio longo ſyllogiſmo conſtat:

Si ualuiſſet ſententia Hortenſij, imperiũ amiſiſſemus.

Sed non ualuit.

Imperium ergo retinemus.

Propoſitio eſt, ibi: quid tum per Deos, &c. illuſtrata adiunctis, ibi: an tibi tum, &c. & diſsimilitudine, cuius πρόταſις eſt, ibi: quæ ciuitas, &c. ἀνταπόδοσις, ibi: at hercle aliquot, &c.

Aſſumptio eſt ibi: Bono te animo, &c. ubi eſt prolepſis, & eius ſolutio per maiora.

Complexio eſt, ibi: Itaq; una, &c. illuſtrata digreſsione in querelam de Gabinio.

M Quid

Quid ait Catulus?

Duos hic ſyllogiſmos habuiſſe uidetur: primus ibi eſt, Reliquum eſt, &c.

In quo tota ſpes eſt is ad bellum mitti non debet.
In Pompeio uobis Ciceronianis tota ſpes eſt.
Pompeius ergo ad bellum mitti non debet.

In hoc ſyllogiſmo neſcio qui aculeus latet, ſed hunc aculeũ ſimili ironia Cicero eludit, ibi: cepit magnum, &c.

In quo ſpem eſſe fatentur aduerſarij, is ſuæ uirtutis & dignitatis fructum magnum capit.
In Pompeio ſpem eſſe aduerſarij fatentur,
Is ergo ſuæ uirtutis fructum capit.

Huic ironiæ, ſerium ſyllogiſmũ ſubijcit, ibi: ſed in hoc, &c.

Summi hominis uita dum licet frui debemus.
Pompeius ſummus homo eſt.
Vita ergo eius frui debemus dum licet.

Qui'nam eſt alter Catuli ſyllogiſmus?

Quæ contra exempla atq; inſtituta maiorum fiunt, toleranda non ſunt, ibi: At enim nihil, &c.
Vt ad Pompeium omnia deferantur, contra exempla atq; inſtituta maiorum eſt.
Id ergo tolerandum minimè eſt.

Quid ad hæc Cicero?

Illud ſtultum ſtultorum hominum argumentum, in quo magni antiquitatis fumi excitantur, uentilat & diſijcit pulcherrimo ſyllogiſmo:

Ad nouos caſus temporum, nouæ conſiliorum rationes ſunt accommodandæ, ibi: nõ dico hoc loco, &c.
Propoſitio approbatur exemplis multis per apophaſin, &

ſin, & exemplo Pompeij quoque per enumeratio-nem, ubi copia inſignis uerborum obſeruanda eſt & anaphora, quid tam nouum, quid tam præter conſuetudinem, quid tam inauditum, quid tam inuſitatum, quid tam ſingulare, quid tam incredibile.

At nunc noui caſus temporum inciderunt. Deeſt.

Ergo nunc ad Pompeium nouæ conſiliorum rationes ſunt accommodandæ. Complexio eſt ibi: Quare uideant, &c. illuſtrata primo paribus aduerſis, Vos ſenatorum ſententiam de Pompeio comprobaſtis: illi ergo & ueſtram de eodem ſententiam comprobare debent. 2. Autoritate Pop.Rom. qui antea Pompeium ſenatu reclamante elegerat, per ſyllogiſmum connexum:

Si temerè feciſtis, rectè ſenatus ueſtram autoritatem reijcit.

Sed non temerè feciſtis, ibi: ſin autem, &c.

Non ergo rectè ſenatus ueſtrum autoritatem reijcit, ibi: aliquando iſti, &c.

3. Adiunctis Pompeij uirtutibus, cuius ſyllogiſmus eſt:

Qui uirtutibus & continentia præditus eſt, is eſt eligendus, ibi: Atq; in hoc bello, quæ conſtat comparatis maioribus, & lõnga approbatione difficultatis & odij.

At Pompeius uirtutibus & continentia eſt præditus, & propterea expetitus, ibi: Ora maritima.

Pompeius ergo eſt eligendus, ibi: Quare nolite, &c. approbata teſtimonijs 4. Seruilij, Curionis, Lentuli, Caſsij.

DE PERORATIONE.

Quid agit in Peroratione?

Primò laudat Manilij ſententiam, ibi: Quæ cùm ita ſint &c. 2. Hortatur ut in ea maneat. 3. Pollicetur operam ſuam, ibi: Ego autem. 4. Remouet à ſe ſuſpicionem per diuerſa. Non feci ob priuatum commodum, ſed ob publicum, protaſis eſt ibi: teſtorq; omnes deos, &c. ubi etiam teſtimoniū & remotio cauſarum eſt: apodoſis eſt, ibi: Quamobrem quicquid, &c. Atq; hæc eſt Analyſis Logica huius orationis.

ANALYSIS ETHICA.

Quæ'nam eſt Analyſis Ethica huius orationis?

PRincipio tota ferè oratio Ethica eſt, & ex Academiæ ſpacijs extitit: neq; enim ſolum Virtutes ipſas diſtribuit in Imperatorias, & harum comites ac adminiſtras, ſed pleraſq; etiam ſuis ſubiectis & exemplis, alijsq; locis explicauit. Hinc illud: labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo. Item innocentia, temperantia, facilitas, eloquentia, fides, humanitas. Deinde ſunt & alij multi ſpeciales loci, qui ex philoſophia ethica effloruerunt. Vt:

1. In publicum nihil afferri oportet, niſi perfectum ingenio, elaboratumq; induſtria.

2. Labor oratoris & omnium qui priuatas cauſas defendunt, debet caſtè & integrè uerſari in rebus eorum quos defendunt.

3. Non

3. *Non poteſt exercitum is continere Imp. qui ſeipſum non continet, neq; ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non uult.*

4. *Scimus homines in magnis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament: opinione non minus famæ quàm aliqua certa ratione commoueri.*

5. *De felicitate, quam præſtare de ſeipſo nemo poteſt.*

6. *Fuit quibuſdam ſummis uiris quædam ad amplitudinem, & gloriam diuinitus adiuncta fortuna.*

7. *Axioma Logicum. Omiſsis autoritatibus, ipſa re & ratione exquirere debemus ueritatem.*

8. *Quò minus certa eſt hominum uita: hoc magis Reſp. frui debet ſummi hominis uirtute.*

9. *Semper ad nouos caſus temporum, nouorum conſiliorum rationes accommodandæ ſunt.*

Quæ'nam eſt Politica Analyſis?

1. *Humanitatis eſt magiſtratuum, magnum ciuium numerum calamitate prohibere: Sapientiæ, uidere multorum ciuium calamitatem à Rep. ſeiunctam eſſe non poſſe.*

2. *Vectigal ex portu, ex decumis, ex ſcriptura, ex ſalinis eſt.*

3. *Regũ afflictæ fortunæ facilè multorũ opes alliciũt ad miſericordiã, maximè eorũ &c. qui reges ſunt, aut uiuunt in regno: quòd regale ijs nomen magnũ & ſanctũ eſſe uideatur.*

Quæ'nam eſt Geneſis huius orationis?

Si quis uelit conſilium dare de eligendo Rhetore, philoſopho, Mathematico, Iureconſulto, Medico, Theologo, is eleganter poterit noſtram Analyſin Logicam imitari, & dicere primo de genere profeſsionis, deinde de magnitudine: tum de profeſſore deligendo.

ANALYSIS ORATIONIS PRO ARCHIA POETA.

Quæ'nam eſt quæſtio huius orationis?

AN Archias ſit à ciuibus Rom. ſegregandus: quod Cicero negat.

Quibus utitur argumentis?

A' coniugatis: quia ſit ciuis & ciuitate dignus.

Quo iudicio concludit?

Enthymematico: Deeſt enim propoſitio ſyllogiſmi, qui integer ſic eſt:

Qui ciuis eſt & ciuitate dignus eſt, non eſt à ciuibus ſegregandus. Deeſt.
At Archias eſt ciuis & ciuitate dignus.
Non ergo eſt à ciuibus ſegregandus.

Qua methodo utitur?

Oratoria. Habet enim exordium, propoſitionem, narrationem, confirmationem & perorationem.

DE EXORDIO.

Quæ'nam eſt quæſtio Exordij?

An eloquentia Ciceronis debeat Archiæ prodeſſe.

Quo'nam utitur argumento?

A' relatis. Nam Archias fuit Ciceronis præceptor.

Quo iudicio concludit?

Syllogiſmo connexo integro, hoc modo:

Si

Si Ciceronis eloquentia hortatu Archiæ alijs profuit, debet & ipſi Archiæ prodeſſe.
Sed primum.
Ergo & poſtremum.

Complexio eſt in principio exordij: eloquentia mea debet Archiæ prodeſſe, ubi eſt diſtributio eloquentiæ ex tribus cauſis efficientibus, ingenio, exercitatione, doctrina quam periphraſi circumſcribit, quia eſt ratio ab optimarum artium ſtudijs & diſciplina profecta.

Aſſumptio eſt, ibi: Nam quoad, &c. Propoſitio eſt ultima, ibi: Quod ſi hæc, &c. ubi eſt ſynecdoche in uerbo, uox, pars eloquentiæ pro tota eloquentia. Hunc ſyllogiſmum ſequitur duplex prolepſis. Prior eſt, ibi: Ac ne quis, &c. de facultatis oratoriæ & poëticæ diſsimilitudine, quæ ſoluitur à genere. Nam omnes artes habent commune uinculum. Ergo & oratoria & poëtica. Altera eſt, ibi: Sed ne cui, &c de inuſitata hac in foro cauſa: quam ſoluit coniugatis cum obteſtatione:

De inſolito & nouo reo, nouū & inuſitatum genus dicendi eſt inſtituendum.
Archias inſolitus & nouus reus eſt.
Nouum ergo & inuſitatum genus inſtituo: & oro, ut id patienter audiatis, & me liberius loqui permittatis.

DE PROPOSITIONE.

Quid agit in propoſitione?

Ait Archiam non modò ciuem eſſe, ſed etiam ſi ciuis non ſit, aſciſcendum eſſe.

Digitized by Google

DE NARRATIONE.

Quid agit in Narratione?

Vitam Archiæ deſcribit per partes primò ſtudia, ibi: Nam ut primum, &c. 2. Patriam, ibi: nam ibi natus, &c. 3. Famam, quæ citò peruolauit Aſiam, Græciam, Italiam, ibi: poſt in cæteris, &c. 4. Aduentum in urbem, & ibi eius familiaritates, ibi: hac tanta celebritate. 5. Ius ciuitatis Heracli enſis, quæ ſocia Romanorum fuit, ibi: Interim ſatis, &c. ubi continetur propoſitio ſyllogiſmi proximè ſequentis.

DE CONFIRMATIONE.

Quot ſunt partes Confirmationis?

Licet Cicero apertè illas non ponat: duæ tamen reuera ſunt, ſicut ſupra in propoſitione diximus.

Quæ'nam eſt prima pars Confirmationis?

Archiam eſſe ciuem, ibi: Si nihil aliud, &c.

Quo iudicio eam concludit?

Syllogiſtico, hoc modo:

Qui ciuitati ſociæ ſeu fœderatæ aſſcriptus eſt, & habuit tempore legis latæ in Italia domum: & ſexaginta diebus apud prætorem profeſſus eſt, is ciuis Rom. eſt. Propoſitio ex lege Syllani & Carbonis conceſſa, & in extrema parte narrationis poſita eſt.

At Archias hæc habet omnia. Nam 1. Heracleæ aſſcriptus, ibi: Heracleæ'ne, &c. quod probat teſtimonijs

Luculli

Luculli & Heracliensium: poſt quæ ſequitur refutatio tabularum per comparationem fidei & tabularum. 2. Habuit in Italia domum, ibi: At domicilium. 3. Profeſſus eſt, ibi: At non, &c.

Eſt ergo ciuis, ibi: Quæ cum ita ſint, &c. Complexio approbatur per maiora, ibi: etenim cum, &c. & per minora, ibi: Quid cum cæteri, &c. Amplificatur etiam per prolepſin de cenſu.

Quæ'nam eſt altera pars Confirmationis?

Archiam eſſe ciuitate dignum, & ideo ornandum ac conſeruandum.

Quo argumento utitur?

Ab adiunctis ingenij & uenuſtatis.

Quo iudicio concludit?

Syllogiſtico hoc modo:

Omnes poëtæ ſunt ornandi & conſeruandi.
Archias eſt poëta.
Ornandus ergo & conſeruandus.

Propoſitionē ſyllogiſmi latiſsimè diſſerit, & ad eam tranſit per prolepſin & apoſtrophen ad Gracchum, ibi: Quæres &c. ſoluit autem prolepſin ab effectis poëſeos, quia affert non ſolum fructum ad eloquentiam & mores: ſed & delectationem liberaliſsimam, ibi: quia ſuppeditat, &c. ſed quia hoc ſtudium tanquã otioſum & iners repræhenditur, Cicero id præoccupat ſyllogiſmo: Illi repræhendendi ſunt, qui ex poëtica nullum communem fructum faciunt, ibi: ego uerò, &c. At Cicero communem fructum ſemper ſpectauit, ibi: me autem, &c.

Non ergo eſt repræhendendus, ibi: Quare quis, &c. Hoc poſito, ediſſerit primum effectum ſcilicet fructum poëticæ ad eloquentiam, ibi: *Atque hoc adeo* &c. item ad mores, ibi: *Nam niſi*, &c. ubi finem bonorum politicum in honore ponit per ſyllogiſmum: *Si nulla præcepta & exempla honoris mihi propoſuiſſem, nõ obieciſſem me unquam periculis*, ibi: *nam niſi*, &c. *At multa ſunt præcepta & exempla* ibi: *Sed pleni*, &c. *Ergo me obieci periculis* ibi: *Quas ego* &c. *Sed hîc per prolepſin ſeu digreſsionem tractat pulchram quæſtionem, An ad res præclaras gerendas natura doctrinæ præſtet, an econtra.* Concludit autem utranque debere coniungi, idq; probat exemplis, ibi: *Ex hoc eſſe*, &c. *Hac quæſtione abſoluta, uenit ad alterum effectum poëticæ, ſcilicet delectationem per tranſitionem*, ibi: *Quòd ſi non*, &c. *Delectationem arguit ex ſubiectis & maioribus. Primum argumentum ſyllogiſmo concluditur:*

> *Communiſsima delectatio & remiſsio eſt humaniſsima & liberaliſsima Deeſt.*
>
> *At poëtices delectatio eſt communiſsima: Aſſumptio conſtat diſsimili, cuius protaſis eſt, ibi: nam cæteræ &c. antapodoſis, ibi: Hæc ſtudia, &c. ubi ſunt ſubiecta & partim effecta.*
>
> *Eſt ergo humaniſsima & liberaliſsima.* Cõplexio fuit primo loco, ibi: *tamen ut opinor*, &c.

Denique hanc delectationem arguit à maiori, *Corporis motui amorem conciliat, ergo multò magis animi motus*: Protaſis eſt, ibi: Quis noſtrum, &c. Adopoſis. ibi: *Ergo ille*, &c. *Atque hæc de propoſitione illa, Poëtæ ſunt ornandi & conſeruandi, quia fructum ad eloquentiam & mores afferunt, & quia delectationem liberaliſsimam afferunt.*

Quomodo

Quomodo tractat Aſſumptionem, Archias eſt Poëta?

Ab effectis approbat dupliciter: quia ex tempore benè dicit, ibi: Quoties ego, &c. quia præmeditatus optimè ſcribit: ibi: Quæ uerò, &c.

Quomodo tractat Complexionem, Ornandus igitur & conſeruandus?

Complexio ibi eſt: Hunc ego non, &c. quæ illuſtratur ex cauſis efficientibus per comparationem diſsimilium & teſtimonium Ennij, quod concluditur coniugatis, minoribus & maioribus: Poëtæ ſunt ſancti, illorũ ergo nomẽ debet eſſe ſanctum iudicibus. Item nulla barbaria uiolauit unquam poëtas, ergo multò minus iudices humaniſsimi eos uiolare debent: item, beſtiæ curant poëſin, multò ergo magis homines docti curare debent. item, alij Homerum mortuum & alienum expetiuerunt, nos ergo multò magis Archiam uiuum & noſtrum expetere debemus. Hoc ultimum amplificat Archiæ effectis & concludit iudicio ſyllogiſmi:

> *Qui illuſtrat nomen Populi Romani, is eſt ciuitate dignus.*
> *Archias illuſtrat gloriam laudemq́ Pop. Rom.*
> *Eſt ergo ciuitate dignus.*

Aſſumptio ibi eſt, præſertim cum omne, &c. quæ approbatur diſtributione effectorum. Nam Cimbricum bellum attigit, ibi: Nam & Cimbricas, &c. & Mithridaticum totum expreſsit, ibi: Mithridaticum uerò, &c. ubi uidetur epitome ſeu ἐκλογὴ eſſe poëmatis Archiani de bello Mithridatico.

Propoſitio ſyllogiſmi eſt ſecundo loco, ibi: Quare quo-

rum

rum ingenijs, &c. quæ exemplis uarijs illuſtratur, primum poëtarum qui amati fuerunt & in urbem recepti, ut eſt Ennius & Rudius. Deinde eorum qui poëtas amarunt: ut ſunt partim toti populi: ut P. R. ibi: Quare ſi res eæ, &c. partim ſinguli ut Imperatores & Cicero. Imperatores diſtribuit in externos, ut eſt Alexāder M. ibi: Quàm multos, &c. & domeſticos, ut ſunt Pompeius, qui Theophanem: ut Sylla qui malum poëtam: ut Metelius, qui Cordubenſes: ut Brutus, qui Accium coluit: ut Fuluius, qui manubias Muſis conſecrauit. Quod ad exempla Imperatorum Rom. attinet, Cicero illa iudicio ſyllogiſmi concluſit:

In qua urbe Impp. armati poëtarum nomen & muſas coluerunt: in ea non debent togati iudices à muſarum honore & poëtarum ſalute abhorrere.

At Romæ Impp. poëtas coluerunt.

Romæ igitur iudices debent poëtas colere.

Aſſumptio hactenus tractata eſt multis exemplis Impp. nunc ponitur propoſitio, ibi: Quare in qua urbe, &c. Et poſtquam de domeſtico exemplo Impp. dixit: nunc ſuum etiam exemplum Cicero affert: nam & ipſe amat poëtas propter gloriam ſuam, quia Archias ſuum conſulatum deſcripſit, ibi: atque ut id libentius, &c. Suum autem gloriæ ſtudium ſyllogiſmo connexo indicat:

Si non eſſet ſtudium gloriæ immortalis, nemo res magnas gereret, ibi: nullam enim, &c. ubi primò interrogatio eſt loco propoſitionis, quæ deinde per ſubiectionem iteratur, ſed alijs uerbis, ibi: certè ſi nihil, &c.

At eſt ſtudium gloriæ in optimo quoq;, ibi: nunc inſidet, &c. aſſumptio approbatur per communicationem,

nem, ibi: an uerò, &c. per comparationem maiorum, ibi: an cum ſtatuas, &c. denique ſuo exemplo, ibi: ego uerò omnia, &c.

DE PERORATIONE.

Quid agit in Peroratione?

Petit ut iudices conſeruent, & in fidem ſuam accipiant Archiam & repetit breuiter argumenta confirmationis, ut pudorem, dignitatem & ingenium Archiæ: qualitatem cauſæ: effecta Archiæ, quia nomen P. R. illuſtrauit, & quia poëta eſt. Deniq; petit ut in bonam partem accipiant nouum dicendi genus, & in foro inſolitum, quo uſus eſt.

ANALYSIS ETHICA.

I. GRatitudo *Ciceronis in magiſtrum Archiam, cui accepta fert ſua ſtudia, & in eum gratus eſſe uult. Sic ego quicquid ſcio, libenter P. Ramo acceptum fero: atq; utinam gratiam illi quoq; referre poſſem. Cum enim alij me docuerint tantum: hic duplici labore in nobis uſus eſt, dedocendi & docendi. Difficilius autem eſſe dedocere quam docere, oſtendit Timotheus Tibicen, qui ab eo, quem antea aliquis inſtituiſſet, duplo plus mercedis accipere ſolebat, quàm ab eo qui rudis in diſciplinam ipſius ſe tradidiſſet.*

II. Omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune uinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur.

III. Eſt ridiculum ad ea quæ habemus, nihil dicere: quærere quæ habere non poſſumus.

IIII. Laus

Digitized by Google

IIII. *Laus poetices obſeruanda.*

V. *Pudeat eos qui ita ſe literis abdiderunt, ut nihil poſſint ex his, neq; ad communem afferre fructum, neq; in aſpectum lucem'q; proferre.*

VI. *Sæpius ad laudem atque uirtutem natura ſine doctrina, quam ſine natura doctrina ualuit. Sed cùm ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam conformatio'q; doctrinæ: tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere.*

VII. *Non eſt quiſquam tam auerſus à muſis, qui non mandari uerſibus æternum ſuorum laborum præconium facilè patiatur: Sic Themiſtocles interrogatus, quod acroama, aut cuius uocem libentiſsimè audiret, Eius, dixit, à quo ſua uirtus optimè prædicaretur.*

VIII. *De gloria. Trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloria ducitur. Item: Nullam aliam uirtus mercedem laborum periculorum'q; deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ.*

ANALYSIS POLITICA.

I. *De iure ciuitatis.*

II. *Lex Syllani & Carbonis.*

III. *Lex Papia.*

IIII. *Cenſus non confirmat ius ciuitatis, ſed tantummodo indicat, eum qui ſit cenſus, ſe iam tum geſsiſſe pro ciue.*

ANA-

Digitized by Google

ANALYSIS ORATIONIS PRO MILONE.

Quæ'nam eſt quæſtio huius orationis?

AN Clodius iure à Milone cæſus ſit, quod Cicero ait.

Quibus utitur argumentis?

Effectis & adiunctis Clodij.

Quo iudicio concludit?

Syllogiſtico hoc modo:

Inſidiatorem & ſceleratum licet interficere.
At P. Clodius fuit inſidiator & ſceleratus.
Clodius igitur iure cæſus eſt.

Qua methodo utitur?

Oratoria. Habet enim exordium, propoſitionem, confutationem, narrationem, confirmationem, & perorationem: Sed hîc ordo eſt confuſior.

DE EXORDIO.

Quot ſunt partes Exòrdij?

Duæ. Prior pertinet ad Ciceronem, qua ſimul & timorem ſuum excuſat & fiduciam proponit. Altera ſpectat ad iudices.

Quomodo excuſat ſuum timorem?

Principio prolepſis eſt: turpe eſt ſi is timet, qui pro forti uiro dicit. Huic prolepſi reſpondet ex cauſis timoris, per ſyllogiſmum:

Noui

Noui iudicij noua forma meritò terret.

At hic eſt noui iudicij noua forma, ibi tamē hæc, &c. cuius approbatio eſt ibi: non enim corona, &c.

Terret igitur meritò, ibi: nam præſidia, &c.

Fiduciam tamen præ ſe fert Cicero, hoc ſyllogiſmo confirmatus:

Si præſidia Miloni oppoſita putarem, foro cederem, ibi: Quæ ſi oppoſita, &c.

Sed non puto oppoſita Miloni.

Non ergo cedam.

Complexio confirmatur cauſis fiduciæ. Nam Pompeius aliud ſpectauit: milites quoq; & ciues pro nobis ſunt, aduerſariorum uerò clamores Milo ſemper neglexit.

Quæ'nam eſt altera pars Exordij?

Hortatur iudices ut timorē deponant, & ſui officij meminerint, ibi: Quāobrē adeſte, &c. idq; iudicio ſyllogiſmo cōcludit:

Boni uiri & fortes & benè meriti uexati ſunt recreandi, ibi: nam ſi unquam, &c.

Tales ſunt Cicero & Milo: aſſumptio illuſtratur primò cōparatis minoribus, ibi: quid enim nobis, &c. Deinde diſſimilitudine, cuius protaſis per allegoriam eſt, ibi: & quidem cæteras, &c. antapodoſis, ibi: in iudicio uero, &c.

Sunt ergo recreandi.

DE PROPOSITIONE.

Quid agit in Propoſitione?

Ait ſe non deprecaturum pro Milone, ſed probaturum inſidias ipſi eſſe factas.

DE

DE CONFVTATIONE.

Quid agit in Confutatione?

Refutat tres obiectiones, quarum prima eſt, Non licere hominem occidere. 2. de præiudicio ſenatus. 3. de rogatione Pompeij.

Quomodo refutat primam obiectionem?

Dupliciter. 1. Generaliter. Hominem occidere licet, quod probat autoritate Pop. Rom. iudiciorum, legis duodecim tabularum. 2. Specialiter. Licet inſidiatorem occidere, ibi: Atq; tempus, &c. idq; probat exemplo militis: ab adiunctis, ibi: quid comitatus, &c. à teſtimonio legis naturalis, ibi: eſt enim hæc, &c.

Quid ait de decreto ſeu præiudicio ſenatus?

Ait ſenatum hanc cædem comprobaſſe, ibi: Sequitur illud, &c. nec nouam quæſtionem conſtituiſſe, ibi: hanc uerò quæſtionem, &c. ſed uim contra Remp. factam eſſe decreuiſſe, ibi: Cur igitur, &c.

Quid ait de rogatione Pompeij?

Ait Pompeium non facti, ſed iuris diſceptationem eſſe uoluiſſe, ibi: At enim Cn. Pompeius, &c. & id quidem non ideo quod Clodij mors tam atrox ſit (cum nec in Druſi, nec in Africani, nec in Papirij nece, nec in Pompeij & Ciceronis periculo quæſtio decreta eſt) ſed aliæ cauſæ fuerunt quæſtionis à Pompeio conſtituendæ, ibi: Sed homo ſapiens & alta, &c.

Digitized by Google

DE NARRATIONE.

Quot ſunt partes Narrationis?

Tres. 1. Tranſitio à refutatione ad narrationem, ibi: Quamobrem iudices, &c. in cuius altera parte eſt propoſitio narrationis ad docilitatem & attentionem, ibi: reliquum eſt &c. 2. Narratio. 3. Concluſio narrationis per epiphonema.

Quot ſunt membra Narrationis?

Varia ſunt. 1. Conſilia Clodij occidendi Milonis, ibi: P. Clodius, &c quæ uocibus Clodij intellecta ſunt, ibi: Vbi uidit &c. 2. Occaſio occidendi Milonis, ibi: Interim cum ſciret, &c. 3. Apparatus Clodij, ibi: Obuiam fit &c. 4. Pugna inter Clodium & Milonem, ibi: Fit obuiam &c. 5. Cædes Clodij, ibi: Ex quibus qui, &c. Vltimo loco eſt clauſula ἐπιφωνηματικὴ, ibi: hæc ſicut expoſui.

DE CONFIRMATIONE.

Quid agit in Confirmatione?

Ait Clodium iure cæſum: idq; probat ſyllogiſmo quem in principio propoſuimus:

Inſidiatorem & nefarium licet interficere, ibi: nihil dico, &c. approbat à teſtimonio legis naturalis & humanæ.

At Clodius Miloni fuit inſidiatus & homo ſceleratus.

Iure ergo cæſus eſt.

Aſſumptionis utraq; pars ſuos quoq; proſyllogiſmos habet:

Quæ'nam eſt proſyllogiſmus? prioris partis?

Priorē partē approbat cauſis ꝑpetua cōparatione tractatis:

Qui

Qui habuit cauſam & facultatem inſidiandi, is inſidiatus eſt.

At Clodius habuit & cauſam & facultatem inſidiandi, non Milo.

Clodius ergo inſidias fecit, non Milo.

Quomodo probat Clodium habuiſſe cauſam?

Probat ex utilitate, odio, improbis moribus, ſpe impunitatis, &c. ibi: Quo'nam igitur pacto &c.

Nam 1. magna ſpes Clodio fuit poſita in Milonis cæde, unde ſyllogiſmus ille:

Cui bono fuit, is inſidiatus eſt, ibi: atq; illud, &c.

Clodio mors Milonis bono fuit, ibi: atqui Milone, &c.

Clodius ergo inſidiatus eſt.

Hinc digreditur in Sex. Clodium, ibi: & aſpexit me, &c. redit autem ibi: non modò igitur, &c.

2. *De odio:*

Qui odit, ille inſidias fecit, ibi: At ualuit, &c.

At Clodius Milonem odit, non Milo Clodium.

Clodius igitur fecit inſidias.

3. *De moribus & uita anteacta:*

Qui improbus eſt, is inſidiatus fuit, ibi: reliquum eſt, &c.

At Clodius improbis moribus ſemper fuit, ibi: Quid ergo iudices, &c. Milo ſemper probus fuit, imò etiam occaſiones cædis ſemper neglexit, ut ius, gratiam, tempus, locum, ibi: Quid ſimile Milonis, &c. & tempus comitiorum metuebat, ibi: præſertim iudices, &c.

Clodius igitur inſidias fecit, non Milo.

4. *De ſpe impunitatis.*

Qui ſpem impunitatis habuit, is inſidiatus eſt, ibi: quid, quod caput, &c.

At Clodius eam ſpem habuit, non Milo.

Clodius igitur inſidiatus eſt.

5. *Ex dictis Clodij, ibi: Sed quid ego, &c.*

6. *Ex adiunctio tẽpore & eius occaſione: Præſciuit iter Milonis. Clodius, ibi: quemadmodum igitur, &c Milo autem Clodij iter neſciuit, ibi: quid ſi ut ille, &c. Refutat etiam illud quod Clodius ob Cyri mortem dicebatur rediſſe.*

Tandem concludit Approbationem cauſarum, per inſignem comparationem diſsimilium repetitarum, ibi: Video adhuc. &c.

Quomodo probat Clodium habuiſſe facultatem inſidiandi?

Probat primum ex ſubiecto loco, ibi: Videamus nunc id &c. deinde ex adiunctis, apparatu, ſcilicet, ibi: ſi hæc non geſta, &c. & comitatu, ibi: age nunc iter, &c. Cauſis & facultatibus inſidiandi, ſic demonſtratis: ſequuntur aliquot prolepſes, quibus occurrit Cicero. 1. cur Clodius uictus ſit, cum fuerit paratus, ubi cauſas multas affert, ibi: cur igitur uictus. 2. cur Milo ſeruos ſuos manumiſerit, ibi: cur igitur eos manumiſit &c. 3. de quæſtionibus quæ de ſeruis Clodij habitæ fuerunt, ibi: ſed quæſtiones: quo loco cum parum integrè aduerſarios uerſatos eſſe probaſſet, è contra ad innocentiam Milonis argumentum affert à conſcientia eius:

Si Milo malam conſcientiam habuiſſet, non rediſſet Romam.

At redijt Romam.

Non ergo habuit malam conſcientiam.

Aſſumptio

Digitized by Google

Aſſumptio primo loco eſt, ibi: quòd ſi nondum, ubi primò eſt tranſitio: deinde adiuncta ponuntur celeritas, magnitudo animi. &c item argumento maiorum amplificatur reditus, ibi: neq; uerò ſe populo, &c.

Propoſitio ſecundo loco eſt, ibi: cui ſe nunquam, &c quæ approbatur loco communi de ui conſcientiæ, ibi: magna uis &c. & approbatione ſenatus, ibi: neq; uerò, &c. 4. quibuſdam rumoribus & ſuſpicionibus contra Milonem excitatis reſiſtit. Dicebatur enim Milonem non uenturum in urbem. ibi: An uerò obliti, &c. 2. Occupaturũ eſſe urbem, ibi: multi etiam, &c. 3. Arma eum ob tyrannidem coëgiſſe, ibi: quid quæ poſtea. 4. De teſtimonio contra Pompeium, ibi: Laudabam, &c. 5. De oppugnatione domus Cæſaris, ibi: Oppugnata, &c. 6. De ſenatore, qui Milonem armatum dicebat, ibi: frequentiſsimo, &c. 7. De præſidijs & ſuſpicionibus Pompeij, ibi: cum tamen ſi metuitur, &c. Atq; hæc de priore parte principalis ſyllogiſmi, quòd ſcilicet Clodius Miloni inſidiatus ſit.

Qui'nam eſt proſyllogiſmus poſterioris partis?

Ad eum tranſit primò, ibi: Nec uerò me iudices, &c. Deinde longum ſyllogiſmum inſtituit:

Qui ciuem nefarium occidit, nõ eſt puniendus. Deeſt.
At Milo occidit Clodium nefarium ciuem.
Non ergo eſt puniendus.

Aſſumptio ibi eſt, occidi, occidi, &c. ubi eſt longa mimeſis & diſtributio ſcelerum Clodianorum, tum præteritorum, ibi: ſed eum, &c. tum earum quæ iam ſecum meditabatur, ibi: quanquam hæc quidem &c.

Complexio ibi eſt: Quamobrem ſi cruentum, &c. ubi quæſtionem tractat, an mortem Clodij iudices ulciſci debeant:

quod negat primò è diſſentaneis. Omnes probant & laudant cædem Clodij. quomodo igitur aut cur ulciſcentur? ibi: nunc enim quis eſt &c. antecedens amplificatur à comparatis minoribus, ibi: neque ec uetera, &c. 2. è minoribus. Si uitam Clodio reſtituere poſſetis, nolletis, multò igitur minus mortem eius ulciſci debetis, ibi: Quin ſic attendite. 3. ab exemplo Græcorum per minora. Græci tyrannicidis diuinos honores tribuunt: multò ergo minus Rom. debent Milonem punire, ibi: Græci homines, &c. 3. à cauſis efficientibus, quod non caſu ſed diuinitùs illa cædes ſit facta, ibi: ſed huius beneficij, &c. quòd ſyllogiſmo connexo indicat:

Si cædes illa non eſt diuinitùs facta, nulla uis diuina eſt, ibi: Nec uerò quiſquam, &c.

Sed eſt uis diuina, ibi: Eſt, eſt profectò: ubi notabis enunciatum copulatum negatum, non & ineſt in corpore noſtro aliquid diuinum, & non ineſt in uniuerſo: quod uim connexionis affirmatæ obtinet: perinde ac ſi dicat. ſi in microcoſmo aliquid diuinū eſt, eſt etiam in toto mundo.

Diuinitus igitur illa cædes facta eſt, ibi: ea uis, ea eſt, &c. cóplexionem amplificat, primò per modū, ibi: cui primum, &c. 2. diſtributione: ubi aras & Iouē cómemorat, cum apoſtropha duplici. 3. à ſubiecto loco, ibi. niſi forte hoc, &c. 4 ab adiunctis mortis, ibi nec uero non, &c. ubi effecta Clodij reiterat.

DE PERORATIONE.

Quid agit in Peroratione?

Omnes affectuum & miſericordiæ motus concitat, à perſona

ona tũ Milonis,tum ſua,tum iudicũ,ibi:Quid reſtat,niſi. A perſona Milonis cõmiſerationem mouet,quia uir fortis ſit:

Viri fortes ſunt adiuuandi, quod approbat cõparatis maioribus ibi: Etenim ſi in, &c.

At Milo eſt uir fortis.

Ergo adiuuandus.

Aſſumptio illuſtratur proſopopœia in qua Milo magnificè de ſe loquitur,ibi: Me quidẽ iudices,ubi primò eſt, Permiſsio, ibi:Valeãt inqt,&c.deinde exclamatio,ô fruſtra,&c.3. Quaſi ſe reuocare fingitur,ibi: Addit hæc, &c. ubi eſt ſyllogiſmus:

Viri fortes ſunt contenti conſcientia rectè factorum, ibi: Fortes,&c.

At Milo eſt uir fortis,ibi: Se nihil,&c.

Contentus ergo eſt conſcientia rectè factorum.

Vice complexionis eſt correctio, ibi: Sed tamen ex omnibus,&c.ubi alius ſyllogiſmus eſt:

Gloria eſt ampliſsimum præmium: ubi etiam definitio gloriæ eſt.

At Milo habet gloriam,ibi: De me inquit,&c.

Ampliſsimum igitur præmium habet, ibi: Quamobrem,&c.

Hæc de pſona & proſopopœia Milonis. Deinceps affectũ mouet Cicero ex ſua perſona,ibi: Te quidẽ quòd iſto,&c. Deniq; ex iudicũ pſona affectũ mouet,ibi: Quid uos iudices,etc.

ANALYSIS ETHICA ET POLITICA.

I. *Vim illatam ui defendere licet. Eſt enim non ſcripta, ſed nata lex,&c.*

II Nocturnum furem quoquomodo: diurnum, ſi ſe telo defenderit, interficere impunè licet.

III. Principum munus eſt, reſiſtere leuitati multitudinis & perditorum temeritati.

IIII. Boni nullo emolumento impelluntur in fraudem: improbi ſæpè paruo.

V. Tumida eſt ambitio & ſolicita cupiditas honorum: nihil enim eſt tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile quàm uoluntas erga nos, ſenſusq́; ciuium, &c.

VI. Incerti ſunt exitus pugnarum, Marsq́; communis, qui ſæpè ſpoliantem iam & exultantem euertit & perculit ab abiecto.

VII. Magna uis eſt conſcientiæ in utranq; partem: ut neq; timeant qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos uerſari putent, qui peccarint.

VIII. Miſeri ſunt interdum ciues optimè de Rep. meriti, in quibus homines non modò res præclariſsimas obliuiſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur.

IX. Nimis multa audire coguntur, quibus commiſſa eſt Reſpub.

X. Tota Rep. ſuſcepta, nulla diligentia nimia eſt.

XI. Varia uitæ commutabilisq́; eſt ratio, uaga uolubilisq́; fortuna, magna infidelitas in amicis, multæ ad tempus aptæ ſimulationes, multæ in periculis fugæ proximorum & timiditates.

XII. Liberæ ſunt cogitationes noſtræ, Gedancken ſeind zollfrey.

XIII. Propoſita inuidia, morte, pœna, qui nihil ſegnius Remp. defendit, is uir uerè putandus eſt.

XIIII. Populi grati eſt, præmijs afficere benè meritos de Rep.

Digitized by Google

Rep. ciues: uiri fortis, ne ſupplicijs quidem moueri, ut fortiter feciſſe pœniteat.

XV. *Supremi diei celebritas Romanis fuit, in imaginibus, cantu, ludis, exequijs, lamentis, laudationibus, funere.*

XVI. *Nihil præſtabilius uiro, quàm periculis patriam liberare: beati ſunt quibus ea res honori fuit à ſuis ciuibus: nec tamen miſeri, qui beneficio ciues ſuos uicerunt.*

XVII. *Ex Omnibus præmijs uirtutis (ſi habenda eſt ratio præmiorum) ampliſſimum eſt præmium gloria: hæc enim una eſt, quæ, &c.*

Has modò de tumidis, ô CHRISTE *æterne, Sophiſtis*
Attulit exuuias Freigius ille tibi.
Nunc ſibi contra hoſtes grauiores arma mouenti,
A' te ſuppetias auxiliumq́; rogat.

Digitized by Google

ALTERVM VOLVMEN CONTINENS,

ΤΑ' ΔΕΙΛΙΝΑ, HOC EST, VEſpertinas Quæſtiones, ſeu Doctrinam de Moribus: diſtributam in duas partes: quarum

Prior Complectitur τὰ ἀκροαματικὰ ex Ariſtotelis Ethicis ſumpta.

Altera continet τὰ ἐξωτερικά, ſeu Aurea carmina ueterum Poëtarum de Virtutibus.

Quibus ſubiunguntur.

Officia Ciceronis & Dialogi duo, Lælius & Cato.

Digitized by Google

MOSES:

Ad te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei.

ARISTOT. LIB. X. ETHIC.

Ὁ κατὰ νοῦν ἐνεργῶν καὶ τοῦτον θεραπεύων καὶ διακείμενος ἄριστα, θεοφιλέστατος ἔοικεν εἶναι.

CICERO:

RATIO PRAESIT,
APPETITVS OBTEMPERET.

Digitized by Google

ETHICORVM LIBER PRIMVS.

QVID EST ETHICA.

EST *ars benè beateq́ uiuendi: qui Finis eſt huius doctrinæ: imò ipſius hominis. Et hic finis in uſu ipſo maximè elucefcit, cùm homo in ſocietate uel Oeconomica uel Politica, ſecundùm hanc regulam & normam ſanctæ beneq́ moratæ uitæ, ſua officia exequitur.*

Vſus ergo ad quem hæc communia præcepta traduntur, eſt'ne magnus?

Multiplex eſt & latiſsimè patens. Nam in genere docet nos hominis naturam perſpicere, & uidere quid ſit in ea optimum, & quò nos ipſa uocet, aut ratio noſtra ducat. Hinc Plato in Alcibiade ad hanc doctrinam accommodat uetus dictum Γνῶθι σεαυτόν, NOSCE TEIPSVM. *Noſcendus enim eſt homo totus, intus & foris. Intus quidem in Animo affectus & mens ſunt: quæ omnia copioſè in Phyſicis tractantur, & ad hanc artem cognita afferenda ſunt. Non enim fruſtra dicitur, Bona Phyſica facit bonam Ethicam. Illic ergo dicitur quibus rebus affectus incitentur, quibus econtrà cohibeantur: hîc uerò oſtenditur quomodo animi illæ affectiones conſilio rationis ſubijciantur, ab eaq́ regantur. Nec dubitandum eſt, quin ea ordinatio in homine fuerit, cùm ille recens è manibus artificis Dei Opt. Max. exiret. Opus enim quodcunque ita eſt pleniſsimum ac perfectiſsimum, ut eſt eius opifex peritiſsimus*

MOSES:

Ad te erit appetitus tuus, & tu dominaberis ei.

ARISTOT. LIB. X. ETHIC.

Ο κατὰ νοῦν ἐνεργῶν καὶ τοῦτον θεραπεύων καὶ διακείμενος ἄριστα, θεοφιλέστατος ἔοικεν εἶναι.

CICERO:

RATIO PRAESIT,
APPETITVS OBTEMPERET.

Digitized by Google

ETHICORVM LIBER PRIMVS.

QVID EST ETHICA.

EST *ars benè beateq́ uiuendi : qui Finis eſt huius doctrinæ : imò ipſius hominis. Et hic finis in uſu ipſo maximè eluceſcit, cùm homo in ſocietate uel Oeconomica uel Politica, ſecundùm hanc regulam & normam ſanctæ beneq́ moratæ uitæ, ſua officia exequitur.*

Vſus ergo ad quem hæc communia præcepta traduntur, eſt'ne magnus?

Multiplex eſt & latiſſimè patens. Nam in genere docet nos hominis naturam perſpicere, & uidere quid ſit in ea optimum, & quò nos ipſa uocet, aut ratio noſtra ducat. Hinc Plato in Alcibiade ad hanc doctrinam accommodat uetus dictum Γνῶθι σεαυτὸν, *NOSCE TEIPSVM. Noſcendus enim eſt homo totus, intus & foris. Intus quidem in Animo affectus & mens ſunt: quæ omnia copioſè in Phyſicis tractantur, & ad hanc artem cognita afferenda ſunt. Non enim fruſtra dicitur, Bona Phyſica facit bonam Ethicam. Illic ergo dicitur quibus rebus affectus incitentur, quibus econtrà cohibeantur: hîc uerò oſtenditur quomodo animi illæ affectiones conſilio rationis ſubijciantur, ab eaq́ regantur. Nec dubitandum eſt, quin ea ordinatio in homine fuerit, cùm ille recens è manibus artificis Dei Opt. Max. exiret. Opus enim quodcunq́ ita eſt pleniſſimum ac perfectiſſimum, ut eſt eius opifex peri-*

tiſſimus atq; optimus. Verùm enimuerò omnia nunc in homine per ἀταξίαν *ita inuerſa ſunt, ut inferior pars imperium ſibi depoſcat: ut affectiones pro ratione audiri contendant: ut Ratio uicta & oppreſſa obmuteſcat: & affectuum temeritati ſeruiat: contra legem Naturæ & primam & ſummam: RATIO PRAESIT, APPETITVS OBTEMPERET. Hæc eſt perpetua in homine militia, ſeu pugna uerius & bellum* ἄσπονδον: *&* νόμος, *ut D. Paulus inquit,* ἀντιστρατευόμενος καὶ αἰχμαλωτίζων. *Vnde efficitur ut in eo perpetuò laborandum & connitendum ſit, ne ancilla dominam ſuperet: quod ſi fieret, tyrannidem acerbiſſimam in eam exerceret, prorſuſq; ex homine in beluam degenerare cogeret. Ad ſuppetias ergo rationi ferendum, cuncta Moralis philoſophiæ præcepta ſunt comparata: quæ deinde uel priuatim uel publicè proſunt.*

Quomodo priuatim?

Quia animos diſcentium à barbarie ad humanitatem, id eſt, ad ciuilia officia & ad communem ſocietatem colendam traducunt. Vnde Ariſtot. lib. X. Ethic. ait generoſas naturas hac doctrina commoueri, ut quaſi quodam diuino afflatu ad uirtutem rapiantur: φαίνονται προτρέψαι καὶ παρορμῆσαι τῶν νέων τοὺς ἐλευθερίους ἰσχύειν, ἦθός τε εὐγενὲς καὶ ὡς ἀληθῶς φιλόκαλον ποιῆσαι ἂν κατακώχιμον ἐκ τῆς ἀρετῆς. *Cùm enim ſtudia in mores abeant, ut dici ſolet: certè qui hanc uirtutum deſcriptionem Ethicam norunt, illi tanquam explicatam uim uirtutum ac earum pulchritudinem propius intuentur quàm indocti. Magis ergo commouentur ad omnia uirtutis officia præſtanda. Ita ad priuatos mores formandos hæc doctrina prodeſt.*

Quomodo publicè prodeſt?

Quia prodeſt ad iudicanda ciuilia negotia & publicarum legum intellectum. Hæc enim ipſa doctrina peperit leges & omnem rationem gubernandarum ciuitatum: & res ipſa loquitur, Iureconſultos ueteres hac doctrina inſtitutos fuiſſe, & publici iuris elementa ac ſemina in his philoſophorum diſputationibus contineri.

Finis ergo huius doctrinæ eſt, ut uideo bene morata uita: quot nam ſunt eius partes?

Hæc doctrina generalis eſt & communis, quæ ſub ſe continet ſpeciales duas doctrinas, Oeconomicam & Politicam. Quanquam Ariſtoteles hanc generalem doctrinam ſæpè nomine ſpeciei Politicam appellat: & ſanè olim hoc nomen Politices, proprium fuit pro Ethica, ſicut ex Platone probari poteſt. Sed ad Ariſtotelem ueniamus.

Quot ſunt partes Ethicorum Ariſtotelis?

Tres: Procœmium: Ἀπόδειξις & Epilogus.

Quid agit in Procœmio?

In Procœmio (quod tria priora cap. occupat) agit duo: Primò de Finibus, Deinde de Methodo.

Quid de Finibus dicit? Cap. 1.

I. Omnium rerum, artium & actionum aliquem eſſe finem & unicuiq; rei ſuum finem tanquam bonum quoddam eſſe: ut militi uictoriam, mercatori lucrum.

II. Inter diuerſos fines eſſe aliquem ultimum. Nam cum natura expetat finem aliquem, fruſtra expeteret niſi ultimum aliquem attingeret: Et hic ultimus finis, dicitur Finis bonorum, ſeu ſummum bonum τὸ ἀγαθὸν, ὃ πάντα ἐφίεται. Huius Cap. 2.

finis

finis cognitio magnam utilitatem affert ad uitam. Oſtendit enim tanquam ſcopus uerè bona, maximeq́ expetenda. Eius autem inquiſitio pertinet ad Politicam, hoc eſt, Ethicam, quæ non modò uitam priuatam rectè inſtituere docet, ſed etiam quomodo leges ferendæ & Reſpub. conſtituendæ regendæq́ ſint, præſcribit: quia idem bonum eſt ſingulorum & uniuerſæ ciuitatis: Beatitudo ſcilicet.

Cap. 3.

Quid dicit de Methodo?

Dicit præcepta pro ſubiecta materia debere eſſe generalia: quia diſputatio de Moribus exactam accurationem non ferat. Ea ratione etiam iuuenem ad audiendum hanc doctrinam admittit, cum generalia & ea quæ plerunq́ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ accidunt, τύπῳ καὶ παχυλῶς rudi Minerua proponuntur. Eundem uerò reijcit, ſi ſingula exactè ἀκριβῶς explicantur. Poſtulat tamen, ut qui hæc præcepta generalia diſcunt, experiantur ea in uiuendo & adhibeant uſum, ut (ſicuti Cicero ait) boni ratiocinatores officiorum ſint.

Cap. 4.

APODIXIS.

Quid agit in ſecunda parte Ariſtoteles?

Oſtendit quodnam ſit Summum illud bonum, circa quod Politica uerſatur, τὶ τὸ πάντων ἀκρότατον τῶν πρακτῶν ἀγαθόν. Idq́ nominat Beatitudinem εὐδαιμονίαν.

Sunt'ne conſentientes hac de re opiniones?

De nomine ipſo inter omnes conuenit, ut dicitur cap. 4. ὀνόματι μὲν σχεδὸν ὑπὸ τῶν πλείστων ὁμολογεῖται. τὴν γὰρ εὐδαιμονίαν καὶ οἱ πολλοὶ καὶ χαρίεντες λέγουσι: τὸ

δὲ

Digitized by Google

δὲ εὐζῆν (id eſt εὐζωΐαν) καὶ τὸ εὐπράττειν (εὐπραξίαν) ταυτὸν ὑπολαμβάνουσι τῷ εὐδαιμονεῖν. Omnes enim finem hunc Beatitudinem uocant: ſed de re controuerſia eſt. Nam ut Cicero ait, genus hominum ad honeſtatem natum, malo cultu, prauisq́ opinionibus eſt corruptum. Vnde in tot erroribus humanis, aliis aliud optimum uidetur. Magna enim pars hominum decipitur, nec præuidet quò nos Natura ducat: ſed Affectibus, peſsimis (ut inquit Plato) cōſultoribus obtemperat, qui plerunq; à Ratione (quæ nos ſimpliciter ad Honeſtatem uocat) diſſentiunt.

Quæ'nam ergo ſunt opiniones de Fine hominis ſeu uitæ beatæ?

Cap. 5.

Illæ ex generibus uitæ humanæ diſtinguuntur cap. 5. Hominum enim duo genera ſunt, ut Cicero in Partitionibus tradit. Alterum indoctum & agreſte, alterum expolitum: οἱ πολλοὶ ἢ φορτικοί καὶ χαρίεντες. Illud genus, Summum bonum in quæſtu, emolumento fructuq́ poſitum cenſet, atq; etiam in uoluptate, quæ maximè eſt inimica uirtuti, Boniq́ naturam, fallaciter imitando, adulterat: quam immaniſsimus quiſque acerrimè ſequitur, neque ſolùm honeſtis rebus, ſed etiam neceſſariis anteponit.

Quid autem ſentiunt homines benè inſtituti οἱ χαρίεντες, de ſummo bono?

Illorum quoq; duo genera ſunt. Alii enim Politici, id eſt, ciuiles ſunt, quibus Honor & Virtus finis propoſitus eſt: Alii Theoretici, qui in cōtemplatione & inquiſitione naturæ Summum bonum cenſent ſitum eſſe.

O Quid-

Quid'nam de Beatitudine ſentit Ariſtoteles?

Has quidem opiniones in eodem capite refutat. Verùm in 10. lib. duplicem facit Beatitudinem, Theoricam & Practicam, ex actione uirtutis duplici Theorica & Practica. Vtranque autem rebus proſperis ornari & augeri dicit, aduerſis uerò obſcurari, diminui'q; interdum etiam tolli. Ita Ariſtoteles in hac uita quærit beatitudinem, alteri nihil relinquit. Sanctius uerò Plato docet, qui non uno loco ſuas diſputationes eò deducit, ut oſtendat non eſſe in hac uita expectandam Beatitudinem hominis, ſed in altera. Hoc agit in Philebo, hoc in conuiuio: idem & Socrates moriens in Phædone. Quin & in lib. 6. de Rep. ſummum bonum ſtatuit in primi Boni, ſiue in Ideæ boni (quam Ariſtot. cap. 6. aut iniuſtè aut ſophiſticè conuellit) contemplatione: negat'q; ullam in rebus humanis Beatitudinem poni debere, ſed ueram Beatitudinem cenſet, primo illi Bono ac Menti quàm ſimillimum hominem reddi: ὁμοιῶσθαι τῷ θεῷ εἰς ὅσον δυνατόν.

Ariſtotelis'ne igitur opinio reprobanda eſt?

Hanc eius opinionem maximis argumentis Stoici exagitarunt, & quòd bona nominaret, quæ non eſſent talia, & quòd externa momenti aliquid afferrent ad Beatitudinem, præſertim cum ipſe perfectionem illius in animo collocaſſet. Quod ſic illic eſt perfecta, res externæ eam mutare non poterunt, quia ad animum non pertingent. Quæ inconſtantia notata eſt etiam in eius diſcipulo Theophraſto. Sed pietas non in hac uita breui & imbecillo corpore caſibus & calamitatibus obnoxio, ponit Beatitudinem, ſed in illa immortali, omnis iniuriæ experti.

Aiunt

Digitized by Google

Aiunt autem eum locutum de Beatitudine æui huius, ſeu Politica?

Sed nec ad eam formã quiſquã eſt beatus: non illi quos uulgus pro beatis habuit, Metellus, Auguſtus, Alexander: nõ quos pronunciarũt Dij beatos, Phedius & Aglaus: nõ quos philoſophi exactiori iudicio beatos dixerũt, Regulus, Cato, Socrates.

Quæ nam ergo uera eſt noſtra Beatitudo?

Ea eſt uerisſima Beatitudo noſtra, quæ inchoat illam ſempiternam, de qua Regius Propheta in ſuo Ethico proœmio dicit, dum inquit eum beatum, cuius uoluptas ſit in lege Domini & qui in ea meditetur diè ac nocte Dominus quoq; noſter, unicus ſanctæ beneq; moratæ & cæleſtis uitæ magiſter de hac Beatitudine propriam peculiaremq; doctrinam 5. Matthæi habet, quam nemo Philoſophorum unquam efficaciter tradidit. Sed ad Ariſtotelem redeamus.

Quot conſiderat Ariſtoteles in deſcriptione Beatitudinis?

Quatuor. Definitionem, Cauſas, Subiectum, Adiuncta.

I. DEFINITIO. Cap. 7.

Quomodo definit Beatitudinem?

Beatitudo eſt actio animi, cum ratione aut non ſine ratione, idq; in uita perfecta. Εὐδαιμονία ἐστὶ ἐνέργεια ψυχῆς κατὰ λόγον, ἢ μὴ ἄνευ λόγου, ἐν βίῳ τελείῳ. Cap. 7. *etiam nomen* αὐταρκείας *eidem congruere dicit, quia utrunq; ſit* τέλειον ἀγαθόν.

Cur actio requiritur in Beatitudine?

Quia ut capite 8. dicitur ſummum bonum non tantum in ἐν κτήσει ἢ ἕξει, *poſſeſſione aut habitu eſt: ſed etiam & multò magis in* χρήσει καὶ ἐνεργείᾳ *uſu & actu. Tota enim Ethica ſeu doctrina de Moribus, non eſt* θεωρητικὴ ἐπιστήμη, *cuius finis in cognitione ſola acquieſcat: ſed eſt* πρακτικὴ, *quæ in quotidianis exercitijs & in omnibus uitæ conſilijs & actionibus ad uſum transferenda eſt.* ὥσπερ γὰρ ὀλυμπιάσιν οὐχ οἱ κάλλιστοι καὶ ἰσχυρότατοι στεφανοῦνται, ἀλλ' οἱ ἀγωνιζόμενοι· οὕτω καὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ καλῶν κἀγαθῶν, οἱ πράττοντες ὀρθῶς ἐπήβολοι γίνονται.

II. CAVSAE.

Cap. 9.

Quænam ſunt Cauſæ Beatitudinis?

I. *Deus.* *Deus Opt. Max. ſicut ipſe Ariſtot. cap. 9. fatetur: dum inquit:* εἰ μὲν οὖν καὶ ἄλλο τι θεῶν ἐστὶ δώρημα ἀνθρώποις, εὔλογον καὶ τὴν εὐδαιμονίαν θεόσδοτον εἶναι, καὶ μάλιστα τῶν ἀνθρωπίνων ὅσῳ βέλτιστον. *hoc eſt. Si ullum aliud donum à Deo ad homines proficiſcitur, certè hoc ſummum & præſtantiſſimum donum, Beatitudinem uidelicet, proficiſci à Deo, rationi conſentaneum eſt. Itaq; modò* θεόσδοτον, *modò* θεόπεμπτον *uocat. Quod etſi ita ſit, concurrere tamen no-*
II. *Virtus.* *ſtram quoq; induſtriam oportet: ideoq́; Ariſtoteles Beatitudinem* τῆς ἀρετῆς ἆθλον, *uirtutis præmium uocat: ut intelligamus, etſi hæc omnia diuinæ beneficẽtiæ erga nos dona ſunt: Deum tamen ſua munera in nobis per æternam Beatitudinem coronaturũ: eadem ratio ualet in pueris, quos etſi Ariſtoteles*

negat

negat uerè beatos dici, niſi ſpe quadam futurarum actionum tamen diuino munere & hi beati ſunt: εὐδαιμονία γὰρ δῶρημα θεόσδοτον. Cauſa itaq; principalis eſt Deus Opt. Max. Secundaria uerò Virtus, diuinitùs adiuta. Ariſtoteles inſtrumentarias quoque cauſas recenſet, bona externa, quæ uocat, σύνεργα καὶ χρήσιμα ὀργανικά. Verùm beatitudinis finis & perfectio non pendet à rebus externis, & extrinſecus poſitis. Ethicus igitur, qui benè uiuendi artem aſſecutus eſt, ſi adiungat externa: homo quidem perfectior erit, Ethicus perfectior non erit. Sic Orator, ſi benè dixit, artis finem aſſecutus eſt, etiamſi non perſuaſerit: quia id in euentu fortuito ſitum eſt, quem ars ſua ui præſtare non poteſt. Gubernator bonus, tempeſtate abreptus, nauem, ad portum non perduxerit: dicet tamen notum illud, Dummodo clauum rectum teneam. III. Inſtrumenta.

III. SVBIECTVM.

Quod'nam eſt Subiectum Beatitudinis? Cap. 10.

Non beluæ, ut dicit Ariſtot. in dicto cap. 9. Sed homines, ut ait in 10. capite, tam mortui, quàm uiui. Mortui quidem ideò beati ſunt, quia jam malis miſerijsq; omnib. liberati ſummi boni uſura integrè fruuntur· τανικαῦτα γὰρ ἄν τις ἀσφαλῶς μακαρίσειεν ἄνθρωπον, ὡς ἐκτὸς ἤδη τῶν κακῶν ὄντα καὶ δυστυχημάτων. Ideóq; ſecundùm Solonem oportet finem uitæ uidere. τέλος ὁρᾶν, καὶ οὐδένα ἄνθρωπον εὐδαιμονιστέον ἕως ἂν ζῇ: hoc eſt, ut Ouidius ait:

—— Vltima ſemper
Expectanda dies homini diciq; Beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

Quoniam enim beatitudo ſtabile quid & immutabile eſſe debet: fortuna aũt inconſtans eſt & uaria: ſequeretur, ut ſi beatitudinem fortunæ proſperitate metiremur ſæpius eundẽ nunc beatum, nunc miſerum diceremus, & è beato Chamæleontem quendam faceremus. Διὰ τὸ μόνιμόν τι τὴν εὐδαιμονίαν εἶναι καὶ μηδαμῶς εὐμετάβολον, τὰς δὲ τύχας πολλάκις ἀνακυκλεῖσθαι περὶ τοὺς αὐτούς· δῆλον ὡς εἰ συνακολουθείημεν ταῖς τύχαις, τὸν εὐδαίμονα καὶ πάλιν ἄθλιον ἐροῦμεν πολλάκις, χαμαιλέοντά τινα τὸν εὐδαίμονα ἀποφαίνοντες καὶ σαθρῶς ἱδρυμένον. Mortui itaq; uerè beati dici poſſunt: quia omni miſeria liberati ſunt, & quia ſtabili beatitudine fruuntur. Viui etiam eaſdem ob cauſas beati dici poſſunt: illi ſcilicet qui cõtemplantur & agunt omnia quæ uirtuti congruunt, & quemcunq; fortuna caſum inuexerit, hunc maximè decorè & aptè ferunt. Tales enim uerè boni ſunt & quadrati & omni reprehenſione carentes. Εὐδαίμων, διὰ βίου ἔσται τοιοῦτος. ἀεὶ γὰρ ἢ μάλιστα πάντων πράξει καὶ θεωρήσει τὰ κατ' ἀρετήν, καὶ τὰς τύχας οἴσει κάλλιστα καὶ πάντῃ πάντως ἐμμελῶς, ὅ γ' ὡς ἀγαθὸς ἀληθῶς καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου. Etſi enim res aduerſæ beatitudinẽ uideantur aliquo modo uellicare, multas enim actiones præclaras impediunt: in his tamen honeſtum & uirtutis uigor etiam apparet. Ἀτυχήματα μὲν θλίβει καὶ λυμαίνεται τὸ μακάριον· λύπας τε γὰρ ἐπιφέρει, καὶ ἐμποδίζει πολλαῖς ἐνεργείαις. ὅμως δὲ καὶ ἐν τούτοις διαλάμπει τὸ καλόν· ὡς ἐπειδὰν φέρῃ τις εὐκόλως πολλὰς καὶ μεγάλας ἀτυχίας, μὴ δι' ἀναλγησίαν, ἀλλὰ γεννάδας ὢν καὶ μεγαλόψυχος. Viui itaq; beati ſunt: & quia miſeri non ſunt, (nunquã enim improbas res gerent & odio dignas, τὰ μισητὰ καὶ φαῦλα.) & quia ſtabili beatitudine fruũtur. ὁ γὰρ εὐδαίμων οὐδὲ ποικίλος, οὐδὲ εὐμετάβολος.

IIII. ADIVNCTVM.

Quod'nam eſt Adiunctum Beatitudinis?

Honor, τιμή. Nam cùm principium ſit reliquorum bonorum, & cauſa, cur cætera bona habeantur meritò ceu res diuina & plurimum honoranda æſtimari debet. τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ αἴτιον τῶν ἀγαθῶν, τίμιόν τι καὶ θεῖον τίθεμεν. *Capite 12.*

LIBER SECVNDVS.

DE VIRTVTE.

Supra inter cauſas beatæ uitæ, numeraſti uirtutem: quot igitur in ea conſiderat Ariſtoteles?

QVINQVE conſiderat hoc ordine. Cauſas, Subiecta, Definitionem, Species, Adiuncta.

I. CAVSAE VIRTVTIS.

Quæ'nam ſunt cauſæ uirtutis efficientes?

Sicut reliquarum rerum, ità & uirtutis cauſæ efficientes ſunt Natura, Doctrina & Exercitatio: Natura propenſionẽ: doctrina conſilium & confirmationem, exercitatio perfectionem tribuit. Id quod Ariſtoteles primo cap. innuere uidetur

cùm ait: οὔτ' ἄρα φύσει, οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρε-ται; ἀλλὰ πεφυκόσι ἡμῖν δέξασθαι αὐτὰς, τελειουμένοις δὲ

Natura. διὰ ἔθους. Quemadmodum itaq; in pratis herbæ naſcuntur ſua ſponte, in alijs tamen aliæ fœcundiores & uberiores: ita hominum mentibus uirtutum quadam ſemina ingenerantur, ſed in

Doctrina. alijs alia abundantius. Hæc itaq; ipſa, deinde doctrina tanquam cultura ſuſcitari & elici oportet, ne ſopita intercidant,

Exercitatio. aut prauo cultu corrumpantur & degenerent. Accedat deniq; plenior & robuſtior exercitatio neceſſe eſt: non modò ut uirtutis dignitatem cognoſcamus, ſed etiam ut eam in quotidiana uita, in omnibus factis & dictis experiantur: & in actũ, uſumq; deducamus. Plurimum enim momenti in exercitatione & aſſuefactione ſitum eſt: adeò ut crebris actionibus uirtutũ comparari Ariſtot. dicat: ὅτι ἐκ τῶν ὁμοίων ἐνεργειῶν αἱ ἕξεις. Quod non ſolùm autoritate legislatorum probat (qui hoc unicum agunt, ut ciues ſuos ad uirtutẽ aſſuefaciant) ſed etiam comparatione ſimili artium: hac ratiocinatione:

Quemadmodum in nobis gignuntur artes, ita & uirtutes.

Artes autem ab experimentis, id eſt, actionibus oriuntur: id quod oſtendit inductio artium mechanicarum, ut eorum qui cithara ludunt, qui ædificant: item ſi non acquirerentur exercitio, non opus eſſet doctore, ſed omnes naſcerentur boni aut mali.

Ergo & uirtus ex actionibus naſcitur quod probatur per ſpecies, Iuſtitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, Clementiæ.

Itaq; cùm res ſic ſe habeat, adhibenda eſt exercitatio diligens, δεῖ τὰς ἐνεργείας ποιὰς ἀποδιδόναι. κατὰ γὰρ τὰς τούτων διαφορὰς, ἀκολουθοῦσιν αἱ ἕξεις. οὐ μικρὸν οὖν δια-

Digitized by Google

φέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ: μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν. Atque hæc in primo cap. de cauſis uirtutum efficientibus. Verùm humanæ induſtriæ, aſſuefactioni, diſciplinæ & naturæ, diuinum quoq; auxilium adiungi neceſſe eſt: ſicut & Pindarus ait: πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον, οἵ τε πόνων ἐγεύσαντο, σὺν δὲ θεῶ τύχᾳ.

Quæ'nam eſt Virtutis cauſa Formalis? Cap. 2.

Hæc doctrina non eſt Theorica ſaltem ſcientia, ut in principio cap. 2. dicit: Non enim ut ſciamus quid ſit uirtus, hanc artē diſcimus: ſed ut boni fiamus: οὐ γὰρ ἵν' εἰδῶμεν τί ἐστιν ἀρετὴ σκεπτόμεθα, ἀλλ' ἵν' ἀγαθοὶ γενώμεθα, ἐπεὶ οὐδὲν ἂν ἦν ὄφελος αὐτῆς. Et ſupra lib. 1. cap. 3. dixit: quod huius doctrinæ finis ſit, nō cognitio, ſed actio, τὸ τέλος ἐστὶν οὐ γνῶσις, ἀλλὰ πρᾶξις. Quod cum ita ſit, uidendum eſt quomodo actiones ſint perficiendæ, id eſt, quæ ſit forma actionum: hæ enim cauſæ ſunt habituum. Forma autem in genere eſt Recta ratio, ſecundùm quam actiones gubernandæ ſunt: τὸ κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον πράττειν, κοινόν. In ſpecie uerò forma actionum, eſt Mediocritas inter duo extrema, defectum in exceſſum: ὅτι τὰ τοιαῦτα πέφυκεν ὑπὸ ἐνδείας καὶ ὑπερβολῆς φθείρεσθαι. Sicuti enim robur & ſanitas, exceſſu & defectu corrumpūtur, mediocritate uerò generantur, augentur & conſeruantur: Sic etiam ſe res habet in omnibus uirtutibus, exemplo fortitudinis & temperantiæ. Δεῖ γὰρ ὑπὲρ τῶν ἀφανῶν τοῖς φανεροῖς μαρτυρίοις χρῆσθαι, ὥσπερ ἐπὶ τῆς ἰσχύος καὶ τῆς ὑγιείας ὁρῶμεν. τά τε γὰρ ὑπερβάλλοντα γυμνάσια καὶ τὰ ἐλλείποντα διαφθείρει τὴν ἰσχύν. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ποτὰ καὶ τὰ σιτία πλείω καὶ ἐλάττονα γινόμενα, φθείρει τὴν ὑγίειαν: τὰ δὲ σύμμετρα καὶ ποιεῖ

καὶ αὔξει καὶ σώζει. οὕτως οὖν καὶ ἐπὶ σωφροσύνης καὶ ἀνδρείας.

Cap. 3.

II. SVBIECTVM VIRtutis.

Quod'nam eſt Subiectum uirtutis?

Circa uoluptatem & dolorem uirtus uerſatur: ut eſt in cap. 3. quod hîc generaliter propoſitum: infrà in ſingulis uirtutibus ſpecialiter demonſtrabitur. Cùm itaq; per uoluptatem, ad ea quæ praua ſunt, impellamur, & per dolorem à rectè factis deducamur (διὰ μὲν γὰρ τὴν ἡδονὴν, τὰ φαῦλα πράττομεν, διὰ δὲ τὴν λύπην, τῶν καλῶν ἀπεχόμεθα) *Platonis ſententia, inſtitutos eſſe omnes oportet iam inde à puero, ut lætemur honeſtis rebus, doleamusq; contrarijs:* δεῖ ἦχθαί πως εὐθὺς ἐκ νέων, ὥστε χαίρειν τε καὶ λυπεῖσθαι οἷς δεῖ. ἡ γὰρ ὀρθὴ παιδεία αὕτη ἐστίν. *Præſertim cùm uoluptas ipſa nobis à pueris coalita ſit, difficileq; ſit illam eijcere, ut quæ in medullis hæreat.* ἐκ νηπίου πᾶσιν ἡμῖν συντέθραπται. διὸ καὶ χαλεπὸν ἀποτρίψασθαι τοῦτο τὸ πάθος, ἐγκεχρωσμένον τῷ βίῳ. *Itaq; non immeritò diximus uirtutem circa uoluptatẽ uerſari, ut aſſueſcamus ſtatim à teneris honeſtarũ actionũ uoluptate affici, inhoneſtarũ dolere,* οὐ γὰρ μικρὸν εἰς τὰς πράξεις εὖ ἢ κακῶς χαίρειν ἢ λυπεῖσθαι.

Cap. 6.

III. DEFINITIO VIRtutis.

Quomodo definit Ariſtoteles uirtutem?

Virtus eſt habitus cum electione, in mediocritate ſecundùm

dùm nos conſiſtens, certa ratione definitus, quemadmodũ uir prudens iudicabit. Ἔστιν ἄρα ἡ ἀρετὴ ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα τῇ πρὸς ἡμᾶς, ὡρισμένη λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. Cap. 6.

Cur dicit eſt habitus?

Quia eam uſu & conſuetudine diuturna acquiri ait.

Cur, cum electione?

Quia talem eſſe oportet, quæ ad agendum inclinet cum iudicio, & ſequatur rectam rationem: & alias aliter pro uarietate circumſtantiarum agat? Nam προαιρεῖσθαι ſignificat certa deliberatione aliquid agere: de quo uerbo lib. 3. prolixè diſputabit.

Vnde conſumpſit commentum de mediocritate?

Ex communi quadam ſententia prudentum hominum. Extant enim in poëtis & alijs ſcriptoribus multæ mediocritatis laudes. Sic enim ſemper homines eruditi & prudentes iudicarunt, Virtutem mediocritatem quandam eſſe in dictis & factis quæ motus animi, quæ cupiditates, quæ omnia conſilia, quæ denique uniuerſam hanc uitæ conſuetudinem gubernet. Ideò laudatur illud in Comœdia, Ne quid nimis, & placet Horatij uerſiculus:

> Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
> Vltra quos citraq; nequit conſiſtere rectum.

Cur dicit, ſecundum nos?

Quia mediocritas duplex, Vna quoad rem, Altera quoad nos, τὸ ἴσον ἢ κατ᾽ αὐτὸ τὸ πρᾶγμα, ἢ πρὸς ἡμᾶς. Medium ſecundum rem eſt, quod undique iuxta diſtat ab extremis Arithmetica proportione, ut 10.6.2. Medium uerò quoad nos eſt, quod interdum propius accedit ad alterum extremum,

Digitized by Google

tremum, quod aliâs aliter ſumendum eſt, ſecundum proportionem Geometricam, ut 2.4 8. Non enim idem ſemper eſt medium omnium actionum ſed ἐν πλάτει, ut Iureconſulti loquuntur Hoc medium πρὸς ἡμᾶς, quærunt omnes artifices, ut Muſica uitat nimis altas & nimis ſubmiſſas uoces: quærit idē & natura in omnibus motibus & appetitionibus: quærit denique uirtus moralis in actionibus & effectibus, τὸ γὰρ ὅτε δεῖ, καὶ ἐφ᾽ οἷς, καὶ πρὸς οὕς, καὶ ὃ ἕνεκα καὶ ὡς δεῖ, μέσον τε καὶ ἄριστον. Cap. 6.

Cur dicit, certa ratione?

Hîc cauſa uirtutis efficiens ponitur, ſed ratio ipſa à lege naturæ ſumitur. Nam leges naturæ, fontes ſunt omnium deliberationum de Moribus ſuntq́ perpetuæ.

Cur dicit, quemadmodum uir prudens iudicabit?

Quia prudens uir & rerum uſu præditus pro uarietate circumſtantiarum melius uidet, ubi mediocritatem conſtituere debeat, quàm imprudens aut imperitus. Normam enim uult eſſe Ariſtoteles, non cuiuslibet imaginationem, ſed iudicium artificis intelligentis fontes rerum de quibus iudicat.

Cap. 7.

IIII. SPECIES VIRtutis.

Quæ'nam ſunt Species Virtutis?

Virtus alia perfecta eſt, in qua abſq́ ulla repugnantia ratio dominatur: alia imperfecta, quæ ab imperfecto habitu ethico, id eſt, diſpoſitione, διαθέσει, prouenit, & in hac ratio uincit præcedente pugna cum appetitu: atque de hac imperfecta uirtute

Digitized by Google

uirtute in 7. lib. dicitur. Perfecta uerò rurſus duplex eſt, Ethica ſeu Moralis: & Logica ſeu Dianoëtica, Intellectualis, ut ſuprà lib. 1. cap. ult. dictum eſt.

Quot ſunt conſid. in Ethica uirtute?

Tria. 1. Species eius. 2. Oppoſitio uirtutis & uitiorum. 3. Difficultas acquirendi uirtutem.

Quot ſunt Species uirtutis Ethicæ?

Ethica uirtus uel ad habentem refertur, uel ad alios. Quæ ad alios refertur, Iuſtitia eſt, de qua lib. 5. Quæ ad habentem refertur eſt in mediocritate uel actionum, uel affectuum.

Quot ſunt in mediocritate actionum?

Illæ enumeratione rerum, circa quas uerſantur humanæ actiones, colliguntur: quales ſunt, Timor ſeu pericula, Voluptas, Pecunia, Honor, Ira, Conuerſatio, Dicta, Facta.

Enumera eas ordine cum contrariis uitiis?

1. *Eſt Fortitudo* ἀνδρεῖα, *circa confidentiam & timorem.* περὶ φόβους καὶ θάῤῥη. *Eius extrema, Timiditas* δειλία, *& Audacia* θρασύτης.

2. *Temperantia* σωφροσύνη, *circa uoluptates & dolores,* ἡδονὰς καὶ λύπας. *Extrema, Intemperantia, & defectus* ἀνώνυμος: *quia nõ ſæpè in eam partem peccatur, dici poteſt Temperantia nimia.*

3. *Liberalitas circa pecuniam in paruis:* ἐλευθεριότης περὶ δόσιν χρημάτων καὶ λῆψιν, περὶ μικρά. *Eius extrema Auaritia* ἀνελευθερία *& Prodigalitas,* ἀσωτία.

4. *Magnificentia circa pecuniam in magnis,* μεγαλοπρέπεια

πεια περὶ τὰ χρήματα ἐν μεγάλοις. *Eius extrema Luxus,* ἀπειροκαλία καὶ βαναυσία, & Sordes μικροπρέπεια.

5. *Magnanimitas circa honores in magnis,* μεγαλοψυχία περὶ τιμὴν καὶ ἀτιμίαν. *Eius extrema Faſtus.* χαυνότης, & *Puſillanimitas* μικροψυχία.

6. *Studium honoris in paruis,* ἀνώνυμος *Græcis, dicitur tamen aliquando* φιλοτιμία, περὶ τιμὴν μικρὸν. *Eius extrema Ambitio* φιλοτιμία, & *contemptus honoris* ἀφιλοτιμία.

7. *Manſuetudo, Clemẽtia, Placabilitas, circa iram,* Πρᾳότης περὶ ὀργήν. *Eius extrema iracundia* ὀργιλότης & *Indulgentia ſeu Lenitas, ſeu nimia patientia,* ἀοργησία.

8. *Veritas, circa uerum,* ἀλήθεια, περὶ τὸ ἀληθές. *Eius extrema, Vanitas ſeu iactantia ſeu ſimulatio,* ἀλαζονεία: & *Diſsimulatio* εἰρωνεία.

9. *Vrbanitas circa iucunditatem ludicram,* Εὐτραπελία περὶ τὸ ἡδὺ ἐν παιδιᾷ. *Eius extrema Scurrilitas* βωμολοχία: *Ruſticitas & inſulſitas,* ἀγροικία.

10. *Amicitia, humanitas, popularitas, affabilitas, facilitas, circa iucunditatem ſeriam,* φιλία, περὶ τὸ ἡδὺ ἐν πᾶσι τοῖς κατὰ τὸν βίον. *Eius extrema, Morſitas ſeu inhumanitas,* δυσκολία, & *Blanditia ſeu Aſſentatio,* ἀρέσκεια ἢ κολακεία.

Quot ſunt in mediocritate perturbationum ſeu affectuum?

Duæ. 1. *Verecundia ſeu Pudor,* αἰδώς: *cuius extrema Stupor,* καταπληγία: & *Impudentia* ἀναισχυντία.

2. *Indignatio* νέμεσις: *cuius extrema, Inuidia* φθόνος, & *Maleuolentia, ſeu Gaudium ex aliorum malis:* ἐπιχαιρεκακία. *Sic in uniuerſum X. ſunt Ethicæ uirtutes & duæ perturbationes.*

Quomo-

Quomodo hæc cum Cicerone conſentiunt, qui quatuor ſpecies uirtutis ponit?

Is ſub Iuſtitia comprehendit Veritatem, Amicitiam, Liberalitatem & Magnificentiam. Sub Fortitudine, Magnanimitatem & Studium honoris. Sub Temperantia, Manſuetudinem, Vrbanitatem & Verecundiam.

Quæ'nam eſt uirtutis & uitiorum oppoſitio? Cap. 8.

Duplex eſt hîc oppoſitio, ut cap. 8. dicitur. Vna medij ſeu uirtutis cum extremis ſeu uitijs. Altera extremorum, primum inter ſe, deinde cum medijs. Τριῶν διαθέσεων οὐσῶν, δύο μὲν κακιῶν, μιᾶς δὲ ἀρετῆς: πᾶσαι πάσαις ἀντίκεινταί πως: αἱ μὲν γὰρ ἄκραι καὶ τῇ μέσῃ, καὶ ἀλλήλαις ἐναντίαι εἰσίν: ἡ δὲ μέση ταῖς ἄκραις.

Quæ'nam eſt maxima contrarietas ex his?

Eſt extremorum inter ſe. Nam longius à ſe inuicem abſunt quàm à medio: & maxima inter ea diſsimilitudo eſt. Πλείστη ἐναντιότης ἐστὶ τοῖς ἄκροις πρὸς ἄλληλα, ἢ πρὸς τὸ μέσον. πορρωτέρω γὰρ ταῦτα ἀφέστηκεν ἀλλήλων ἢ τοῦ μέσου: καὶ πλείστη αὐτοῖς πρὸς ἄλληλα ἀνομοιότης.

Facile'ne eſt uirtutem acquirere? Cap. 9.

Difficile eſt & operoſum. Non in unaquaque remedium conſequi difficillimum eſt: & difficilia quæ pulchra. Διὸ καὶ ἔργον ἐστὶ, σπουδαῖον εἶναι. ἐν ἑκάστῳ γὰρ τὸ μέσον λαβεῖν, ἔργον, οἷον κύκλου τὸ μέσον οὐ παντὸς, ἀλλὰ τοῦ εἰδότος. Διόπερ ἐστὶ τὸ εὖ καὶ σπάνιον καὶ ἐπαινετὸν, ὃ καὶ καλόν. Cap. 9.

Digitized by Google

Quid igitur faciendum eſt, ut ad mediocritatem perueniamus?

Tria præcepta tenenda ſunt. I. Cùm difficile ſit attingere medium, opera danda eſt, ut non procul à medio diſcedamus: & cum non poſſumus optima conſequi, ea tamen teneamus quæ minimum habent uitij. Δεῖ στοχαζόμενον τοῦ μέσου πρῶτον μὲν ἀποχωρεῖν τοῦ μᾶλλον ἐναντίου. τῶν γὰρ ἄκρων, τὸ μέν ἐστιν ἁμαρτωλότερον, τὸ δὲ ἧττον. ἐπεὶ οὖν τοῦ μέσου τυχεῖν ἄκρως χαλεπὸν, κατὰ τὸν δεύτερον φασὶ πλοῦν τὰ ἐλάχιστα ληπτέον τῶν κακῶν. *Sic ſapientiſsimus uir Iſocrates ait ſatius eſſe in eam partem delinquere, ut minùs audeamus quàm opus eſt, quàm in alteram in qua plus eſt audaciæ.* κράτιστον μὲν, *inquit Iſocrates,* τῆς ἀκμῆς τῶν καιρῶν τυγχάνειν. ἐπειδὴ δὲ δυσκαταμαθήτως ἔχουσιν, ἐλλείπειν αἱροῦ καὶ μὴ πλεονάζειν. αἱ γὰρ μετριότητες μᾶλλον ἐν ταῖς ἐνδείαις ἢ ταῖς ὑπερβολαῖς ἰσχύουσιν. *Et natura nos ipſa docet, magis defectum congruere mediocritati, quam exceſſum. Nam in proportione Geometrica (iuxta quam uirtus mediocritas eſt) medius numerus propior eſt minimo quam maximo, quod attinet ad multitudinem: ut 2.4.8. Quis enim non uidet quaternarium longius abeſſe ab octonario, quàm à binario?*

II. Videndum eſt ad quæ uitia ſimus proniores. Oportet enim nos in contrariam partem abſtrahere, ut cum nos longiſsimè à peccato remouerimus, ad medium perueniamus.

Cap. 9. Σκοπεῖν δεῖ πρὸς ἃ καὶ αὐτοὶ εὐκατάφοροί ἐσμεν· ἄλλοι γὰρ πρὸς ἄλλα πεφύκαμεν. εἰς τοὐναντίον δ᾽ ἑαυτοὺς ἀφέλκειν δεῖ. πολὺ γὰρ ἀπαγαγόντες τοῦ ἁμαρτάνειν, εἰς τὸ μέσον ἥξομεν.

III. In

III. *In omni negotio uoluptatem ſummo ſtudio fugere oportet. Eius enim non incorrupti iudices ſumus.* Ἐν παντὶ μάλιστα φυλακτέον τὸ ἡδὺ καὶ τὴν ἡδονήν. οὐ γὰρ ἀδέκαστοι κρίνομεν αὐτήν.

LIBER TERTIVS.

CVM DIXERIS SVPRA IN DEfinitione Virtutis, eſſe eam habitum cum electione; uelim mihi explicari hoc uocabulum, Electio?

CVM Iudicium (ſeu cognitio) & Voluntas, ſint præcipuæ ac propriæ hominis uires: neceſſe eſt eas ad actionem uirtutis cõcurrere. Vocat igitur Ariſtoteles Electionem, cum aliquid iuditio uel conſultò & ſpontè eligimus & ſuſcipimus. Et cum electio partim à uoluntate proficiſcatur (eſt enim uoluntas domina Electionis) ſponte eam fieri neceſſe eſt: uoluntas enim libera potentia eſt. Quare in rectè & ſecus factis oportet legumlatores, magiſtratus & philoſophos de uoluntario & inuoluntario quærere. Eſt autem Electionis genus Voluntarium τὸ ἑκούσιον.

Quid eſt Voluntarium?

Ariſtoteles orditur à negatiuis deſcriptionibus. Oſtendit enim quid ſit Inuoluntarium, τὸ ἀκούσιον *& quot dicatur modis Inuoluntarium.* Cap. 1.

Quid eſt Inuoluntarium?

Eſt cuius principium extra eſt, nihil adiuuante eo cui uis

 infertur.

Digitized by Google

inſertur. οὗ ἡ ἀρχὴ ἔξωθεν τοιαύτη οὖσα, ἐν ᾗ μηδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων, ἢ ὁ πάσχων.

Quottuplex eſt Inuoluntarium?

Duplex. Inuoluntarium enim eſt, quod aut Violenter fit, aut per Ignorantiam. δοκεῖ δὲ ἀκούσια τὰ βίᾳ ἢ δι' ἄγνοιαν γιγνόμενα. *Cap. 1.*

Quomodo Violenter?

Cum imperium uoluntatis foris impeditur Vi.

Quottupliciter hoc fit?

Dupliciter: Vel ſimpliciter ἁπλῶς: *& per ſe* καθ' αὑτό, *cum non aſſentitur ullo modo uoluntas:* ὁπότ' ἂν ἡ αἰτία ἐν τοῖς ἐκτὸς ᾖ, καὶ ὁ πράττων μηδὲν συμβάλληται. *ut cũ abripimur tempeſtate in naui. Vel ſecundum quid, cum etſi metu cogimur, tamen etiam ipſi deliberamus atq; eligimus.* ἃ καθ' αὑτὰ μὲν ἀκούσιά ἐστι, νῦν δὲ καὶ ἀντὶ τῶνδε αἱρετά, καὶ ἡ ἀρχὴ ἐν τῷ πράττοντι. *Vt ſi quis à prædone coactus, redimit uitam pecunia, aut coactus à tyranno abijcit religionem. Hæc Ariſtoteles pronunciat eſſe uoluntaria. Idq; tradunt etiam Iureconſulti, cum inquiunt, Voluntatem coactam eſſe etiam uoluntatem. Et hæc aliquo modo dici poſſunt Voluntaria, ſeu ut Ariſtoteles ait, mixta* ἐοίκασι μὲν μᾶλλον ἑκουσίοις (αἱρετὰ γάρ εἰσι τότε ὅτε πράττονται) ἁπλῶς δὲ ἀκούσια. οὐδεὶς γὰρ ἂν ἕλοιτο καθ' αὑτὸ τῶν τοιούτων οὐδέν. ποῖα δ' ἀντὶ ποίων αἱρετέον, οὐ ῥᾴδιον ἀποδοῦναι.

Quomodo fit inuoluntarium per Ignorantiam?

Cum aberrat cognitio. Nam cũ aliud obijciat error quàm expetat uoluntas, ipſa uoluntas impeditur.

Quottupliciter hoc fit?

Ignorantia duplex eſt, Facti & Iuris. Hæc ueniam nõ meretur:

Digitized by Google

uetur: illa meretur, cum ſcilicet aliud quis agit, quàm uolebat, cum quidem & rectè agere uoluerit & iuſtam diligentiam ad eam rem contulerit.

Eadem'ne tradit Ariſtoteles?

Propemodum eadem tradit, ſed paulò aliter loquitur. Oſtendit enim quaſi fontes et cauſas præcepti Iureconſultorum. Ignorantiam enim duplicem facit.

Quomodo?

Vna eſt Vniuerſalis ἡ καθόλου, ἐν προαιρέσει, τοῦ συμφέροντος, ἧς αὐτοὶ αἴτιοι, τοῦ τέλους: *uariè enim ab Ariſtotele appellatur, aliàs ignorantia Iuris. Altera Particularis & Facti,* ἡ καθέκαστα, ἐν πράξει, τῶν πρὸς τέλος.

Quid eſt Vniuerſalis.

Cum aliquis ea, quæ maximè oportuit ſcire, negligit. Ibi ignorantia non ſolùm non excuſat; ſed etiam ſuam pœnã meretur. Nam hîc propriè uoluntas eſt delicti cauſa, non ignorantia. Voluntas enim aduocauit ignorantiam. Quare delictum eſt Voluntarium.

Quid eſt Particularis?

Quando adhibita iuſta diligentia, erratur tamen ſine cupiditate in aliqua circumſtantia ſingulari quæ mediocri diligentia non potuit deprehendi, ut ſunt: τίς, τί, περὶ τί, ἐν τίνι, τίνι, ἕνεκα τίνος, πῶς, *hoc eſt cauſa efficiens, materia, forma, finis. In hoc genere nec uoluntas nec cupiditas, ſed ipſa ignorantia delicti cauſa eſt. Quare delictum eſt inuoluntarium: aliud enim uolebat agere: habet ergo excuſationem* τὸ ἀκούσιον βούλεται λέγεσθαι, οὐκ εἴ τις ἀγνοεῖ τὸ συμφέρον (οὐ γὰρ ἡ ἐν τῇ προαιρέσει ἄγνοια αἰτία τοῦ ἀκουσίου, ἀλλὰ τῆς μοχθηρίας) οὐδ᾽ ἡ καθόλου (ψέγονται γὰρ διά γε ταύτην) ἀλλ᾽ ἡ καθ᾽ ἕκαστα, ἐν οἷς καὶ περὶ ἃ ἡ πρᾶξις. ἐν τούτοις γὰρ

Digitized by Google

καὶ ἔλεος καὶ συγγνώμη. τοῦ δὴ κατὰ τὴν τοιαύτην ἄγνοιαν ἀκουσίου λεγομένου, ἔτι δεῖ τὴν πρᾶξιν λυπηρὰν εἶναι καὶ ἐν μεταμελείᾳ.

Voluntariũ. Quid eſt uoluntarium, ἑκούσιον?

Eſt cuius ſe principium continet is qui ſcit res ſingulares, in quibus actio uerſatur, & delectatur facto. Ἑκούσιον ἐστὶ οὗ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδότι τὰ καθέκαστα, ἐν οἷς ἡ πρᾶξις. *Nam ſicut inuoluntarium duplex, cum ſcilicet aut cognitio aberrat, aut imperium uoluntatis foris impeditur ui: ſic uoluntarium eſt in quo & cognitio non fallit & uoluntas imperat actionem, nec impeditur.*

Cap. 2. DE ELECTIONE.

Explicato igitur uoluntario & non uoluntario, quid nunc ſequitur?

Sequitur, Vt de Electione, περὶ προαιρέσεως *dicamus. Nam & uirtuti ualdè cognata eſt, & ab ea magis quàm ab actionibus mores diiudicari uidentur. Sed uoluntarium tamen latius patet. Eſt enim genus Electionis.* οἰκειότατον εἶναι δοκεῖ ἡ προαίρεσις τῇ ἀρετῇ, καὶ μᾶλλον τὰ ἤθη κρίνειν τῶν πράξεων. φαίνεται δὲ ἑκούσιον εἶναι, οὐ ταὐτὸν δὲ, ἀλλ' ἐπιπλέον τὸ ἑκούσιον. *Cap. 2.*

Dixiſti ſupra, Voluntarium τὸ ἑκούσιον eſſe genus προαιρέσεως: quæ'nam eſt eius differentia?

Προαίρεσις *neq; cupiditas eſt, neq; ira, neq; uoluntas, neque opinio: ſed* προβεβουλευμένον, *conſultatio aut deliberatio. Ita fit ut Electio duo contineat: Rectam noticiam ſeu deliberationem,*

Digitized by Google

tionem, βούλευσιν: & Liberam uoluntatem βούλησιν, quæ obtemperat aut refragatur, iudicio poſt deliberationem: de qua utraq; parte quædam dicenda ſunt.

DE CONSVLTATIONE. Cap. 3.

Quod'nam eſt ſubiectum conſultationis ſeu deliberationis?

Earum rerum eſt deliberatio, βούλευσις, quarum cauſa eſt non natura, aut fortuna, aut neceſſitas: ſed ratio: ut dicitur capite 3.

Circa quæ uerò uerſatur ratio?

Verſatur 1. Circa contingentia, ὅσα γίνεται μὴ ὡσαύτως ἀεί, καὶ ἐν τοῖς ὡς ἐπιτοπολὺ, ἀδήλοις δὲ πῶς ἀποβήσεται, καὶ ἐν οἷς τὸ ἀδιόριστον.

2. Circa ea quæ ad nos pertinent, & in noſtra poteſtate ſunt: τὰ ἐφ' ἡμῖν πρακτά, καὶ ὅσα γίνεται διὶ ἡμῶν.

3. Circa poſſibilia. τὰ δυνατά.

4. Circa ea quæ ad finem faciunt, non circa finem, οὐ περὶ τῶν τελῶν, ἀλλὰ περὶ τῶν πρὸς τὰ τέλη.

Quid eſt ergo Electio?

Eſt appetitio eorum quæ in noſtra ſunt poteſtate, cùm antegreſſa eſt deliberatio. προαίρεσις ἐστὶ βουλευτικὴ ὄρεξις τῶν ἐφ' ἡμῖν.

DE VOLVNTATE. Cap. 4.

Quod'nam eſt Subiectum Voluntatis?

Bonum, quod uel reuera tale eſt, uel opinione. Ἁπλῶς μὲν ἡ κατ' ἀλήθειαν βουλητὸν τ' ἀγαθὸν, ἑκάστῳ δὲ τὸ φαινόμενον.

μενον. Ac uiro quidem bono, reuera: improbo autem opinione. Nam & uerè de omnibus uir bonus iudicat, & facilè quid in re quaq; ueri ſit perſpicit. Eſt enim rerum omnium menſura & norma. τῷ σπουδαίῳ τὸ κατ' ἀλήθειαν· τῷ δὲ φαύλῳ τὸ τυχόν. ὁ σπουδαῖος γὰρ ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, καὶ ἐν ἑκάστοις τ' ἀληθὲς αὐτῷ φαίνεται. ὥσπερ κανὼν γὰρ καὶ μέτρον αὐτῶν ἐστι. Cap. 4.

Cum ergo deliberatio ſit eorum quæ ad finem tendunt, ut ſunt actiones uirtutum; eæ ergo uoluntariæ ſunt & in noſtra poteſtate?

Plato uirtutum actiones uoluntarias eſſe uoluit, uitiorum uerò minimè. Negauit enim homines ultrò malos eſſe, ſed inuitos contra naturam rapi. Ariſtoteles contrà multa ſigna colligit cap. 5. quibus oſtendit uoluntatem eſſe liberam, ita ut rectè & ſecus agere poſsit. Nã primò uirtutis principia, id eſt, actiones in noſtra poteſtate ſunt. Ergo & ipſæ quoq; uirtutes. Deinde, fruſtrà ferrentur leges, ſi homines non poſſent eis obtemperare: ipſiq; legiſlatores puniunt delicta uoluntaria, & tum cum principium actionis in poteſtate noſtra fuit. Ignorãtiam quoque puniunt, cũ eius cauſa eſt penes ignorantes, id eſt, cum noluerunt ea diſcere, quæ ſcire de aliqua re oportuit. Neceſſe igitur eſt homines rectè, aut ſecus agere poſſe. Atq; hæc hactenus in genere de Virtutis cauſis, ſubiectis & definitione: nunc ſequitur: ut de eius Speciebus ſigillatim & ordine dicamus.

Cap. 6. DE FORTITVDINE.

Quid eſt Fortitudo?

Eſt uirtus quæ mediocritatem conſeruat inter timorem & audaciam, ἐστι μεσότης περὶ φόβους καὶ θαῤῥαλέα. *Cap. 6.*

Quot

Quot ſunt in ea conſid.

Ariſtoteles hæc ordine explicat, Subiectum, Cauſas, Diſpa‑rata & Species.

I. Quod'nam eſt Subiectum eius?

Quicquid eſt terribile, aut malum. φοβούμεθα δὲ τὰ φο‑βερά, ταῦτα δ' ἐστὶν ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, κακά. *ut ſunt con‑temptus, paupertas, morbus, ſolitudo, mors.*

Sed circa quæ mala propriè uerſatur Fortitudo?

Circa extrema, ut eſt mors. φοβερώτατον δὲ ὁ θάνατος. πέρας γὰρ καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακὸν εἶναι.

II. Quæ'nam ſunt cauſæ Fortitudinis?

Formalis eſt Mediocritas ſecundùm rectam rationem in‑ter timorem & audaciam, Finalis eſt honeſtas, ſeu depulſio turpitudinis, & ne quid turpe aut contra rationem committa‑tur. ὁ ἀνδρεῖος ἀνέκπληκτος ὡς ἄνθρωπος. φοβήσεται μὲν οὖν καὶ τὰ κακά. ὡς δεῖ δὲ καὶ ὡς ὁ λόγος ὑπομενεῖ, τοῦ κα‑λοῦ ἕνεκα, τοῦτο γὰρ τέλος τῆς ἀρετῆς. *Cap. 7. Finis ergo pax eſt, defenſio patriæ, liberorum, coniugum, &c.*

III. Quæ'nam ſunt eius Diſparata?

Duo extrema. In defectu Timiditas: in exceſſu Audacia ſeu Temeritas.

Quomodo' differunt Audacia & Fortitudo?

Audaces præcipites ſunt, & antequam res ad manus perue‑niat, periculum adire uolunt: ſed in ipſo periculo concidunt.

Digitized by Google

Econtra fortes in ipſo negocio acres ſunt, ante negotium tranquilli. οἱ μὲν θρασεῖς προπετεῖς καὶ βουλόμενοι πρὸ τῶν κινδύνων κινδυνεύειν, ἐν αὐτοῖς δ' ἀφίστανται. οἱ δ' ἀνδρεῖοι, ἐν τοῖς ἔργοις ὀξεῖς, πρότερον δ' ἡσύχιοι.

Fortis, ein held, khün, khüner degen, mannlich, ritterlich, weigand.

Audax, verwegen, thum, khün.

Timidus, forchtſam, verzagt, weibiſch, ſtauchenhenſelein, ſtubenritter.

Cap. 8. IIII. Quot ſunt ſpecies Fortitudinis?

Duæ. Vna uera quæ recta ratione & honeſtate nititur. Altera non uera ἡ ἀνδρεία, quæ ſolo impetu nititur.

Quot ſunt huius non ueræ fortitudinis ſpecies?

Quinq. 1. eſt Politica ſeu togata quæ eſt eorũ qui legum impulſu fortes ſunt, & præmijs ac pœnis incitantur. 2. eſt ea quæ ab experientia oritur, qualis eſt militaris & imperatoria ſeu bellica. 3. eſt eorum qui ira uel cupiditate inflammati aliquid agunt. Ira enim adiuuat fortitudinem & eſt Cos fortitudinis. Et in genere affectus conditi ſunt tanquam calaria & ſtimuli, qui excitent homines ad agendum: unde Ariſtoteles ὁ θυμὸς συνεργεῖ αὐτοῖς. 4. eſt eorum qui bona ſpe ſecundi euentus aliquid agũt, memores ſibi aliquoties rem feliciter ſucceſſiſſe. 5. eſt eorũ qui ignorãtia periculi fortes ſunt. Cap. 8.

Cap. 10. DE TEMPERANTIA.

Quid eſt Temperantia?

Eſt uirtus quæ mediocritatem in uoluptatibus retinet. περὶ

μεσότης

Digitized by Google

μεσότης περὶ ἡδονάς. Cap. 10. In ea Ariſtot. tria cóſiderat: Subiectum, Diſparata, Cauſas.

I. Quod'nam eſt Temperantiæ Subiectum?

Voluptas ἡδονή & huic contrarius Dolor, λύπη.

Quottuplex eſt Voluptas?

Duplex. Animi & Corporis. ἡδονὴ ψυχικὴ καὶ σωματικὴ ἢ αἰσθητική.

In quibus uerſatur Voluptas animi?

1. In honoribus, doctrinaq́. 2. in conuerſatione & colloquio. 3. in opum acquiſitione & amicorum proſperitate. Circa has Temperantia non uerſatur: ſed aliæ uirtutes, quæ infra recitantur.

In quibus uerſatur Voluptas corporis?

In ſenſibus quinq́, auditu, uiſu, odoratu, guſtu, tactu. Et circa has uoluptates Temperantia uerſatur: nec tamen omnes. περὶ τὰς σωματικὰς ἡδονὰς εἴη ἂν ἡ σωφροσύνη, οὐ πάσας δὲ οὐδὲ ταύτας.

Circa quas ergo uoluptates moderandas Temperantia potiſſimum uerſatur?

Circa eas quæ nobis cum beluis cómunes ſunt, ut quæ ſunt in tactu & guſtu. περὶ τὰς τοιαύτας ἡδονὰς ἡ σωφροσύνη καὶ ἀκολασία ἐστιν, ὧν καὶ τὰ λοιπὰ ζῶα κοινωνεῖ. ὅθεν ἀνδραποδώδεις καὶ θηριώδεις φαίνονται. αὗται δ' εἰσὶν ἀφὴ καὶ γεῦσις. Quinetiã & guſtus uoluptas propter tactum expetitur: per quem ea excitatur. Vnde Philoxenus paraſitus collum gruis optabat, ut diuturna uoluptate in guſtu afficeretur. Ta-

ctus autem licet per totum corpus fuſus ſit, non tamen omnis cum beluis nobis communis eſt (ſunt enim & liberales uoluptates, ut quæ ex gymnaſtica ad corpus roborandum percipiuntur) ſed ille tantum, qui in lingua, palato & uentre eſt, & illis quæ ſunt ſub uentre.

Cap. 11. Quottuplex eſt uoluptas ex ſenſu tactus orta?

Duplex. Communis & propria: τῶν ἐπιθυμιῶν, αἱ μὲν κοιναὶ δοκοῦσιν εἶναι: αἱ δ' ἴδιοι καὶ ἐπίθετοι. *Cap 11.*

Quæ'nam eſt Communis?

Quam omnes expetunt naturaliter: ut cupiditas alimenti.

Quæ'nam eſt propria?

Qua quiſque priuatim delectatur. Alia enim alijs iucunda ſunt.

Quomodo peccatur circa has uoluptates?

Circa communes pauci peccant & uno modo. Nam qui bibendo aut edendo nimium replentur, naturam excedunt. Naturalis enim cupiditas, eſt defectus repletio, ἀναπλήρωσις τῆς ἐνδείας ἡ φυσικὴ ἐπιθυμία. *Vnde tales Græcis dicuntur* γαστρίμαργοι, *ut qui præter modum uentriculum implent Latinis Lurcones, comedones, heluones, Ventres. Circa proprias autem uoluptates multi peccant & uarijs modis. Delectantur enim aliqui uoluptatibus, uel quibus non decet, uel plus quàm decet, uel aliter quàm decet.*

II. Quæ'nam ſunt diſparata Temperantiæ?

In exceſſu eſt Intemperantia ἀκολασία: *in defectu, Nimia Temperantia,* ἀναισθησία: *quæ rara eſt;* οὐ γὰρ ἀνθρωπική ἐστιν ἡ τοιαύτη ἀναισθησία.

III. Quæ-

III. Quæ nam ſunt cauſæ Temperantiæ?

Formalis eſt Mediocritas ſecundum rectā rationem. Nam Temperans delectatur uoluptatibus quibus oportet, quantum oportet, quomodo & ubi oportet: Hoc eſt cōcupiſcit honeſtas uoluptates, idq́ modeſtè: ne honeſtis uoluptatibus inhoneſtæ impedimento ſint. Nam & honeſtatis & facultatum ſuarum rationem habet. Finalis eſt honeſtas: qui ſcopus eſt utriq; communis, rectæ ſcilicet rationi & temperantiæ ut dicitur. cap. 12. Cap. 12. *σκοπὸς γὰρ ἀμφοῖν τὸ καλὸν καὶ ἐπιθυμεῖ ὁ σώφρων ὧν δεῖ, ὡς δεῖ, καὶ ὅτε. οὕτω δὲ τάττει καὶ ὁ λόγος.*

Ἀκολασίας nomen quid ſignificat Græcis?

Nomen ἀκολασίας propriè dicitur de pueri petulantia, ἀπὸ τοῦ κολάζω punio, cohibeo & priuatiua particula: nobis ſignificanter dicitur: Vngezogen, der ſich nicht ziehen oder züchtigen laſst. *Per ſimilitudinem autem transfertur ad cupiditatem.* Cohiberi enim oportet eam affectionē hominis quæ turpia appetit, & ultra modum effertur. *κεκολάσθαι δεῖ τὸ τῶν αἰσχρῶν ὀρεγόμενον καὶ πολλὴν αὔξησιν ἔχον. Niſi enim coërceatur & rationi ſubijciatur, latius uagabitur. Nam uoluptatis cupiditas eſt inexplebilis, præſertim in inſipiente: A ſi frequens eius actio ſit, tandem in habitū abit, ac ſua uehementia rationem excutit. εἰ μὴ ἔσται εὐπειθὲς καὶ ὑπὸ τὸ ἄρχον, ἐπὶ πολὺ ἥξει. ἄπληστος γὰρ ἡ τοῦ ἡδέος ὄρεξις, καὶ πανταχόθεν τῷ ἀνοήτῳ· καὶ ἡ τῆς ἐπιθυμίας ἐνέργεια, αὔξει τὸ συγγενές. κἂν μεγάλαι καὶ σφοδραὶ ὦσι, καὶ τὸν λογισμὸν ἐκκρούουσι, τὸ δὲ εὐπειθὲς λέγομεν καὶ κεκολασμένον. ὥσπερ γὰρ τὸν παῖδα δεῖ κατὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ παιδαγωγοῦ ζῆν: οὕτω καὶ ἐπιθυμητικὸν κατὰ τὸν λόγον.*

LIBER

LIBER QVARTVS.

DE LIBERALITATE.

Cap. 1.

Quid eſt Liberalitas?

EST uirtus quæ mediocritatem ſeruat circa pecuniam. Ἐϛὶ μεσότης περὶ χρήματα.

Quot conſid. in ea Ariſtoteles?

Quatuor, Subiectum, Cauſas, Adiuncta, Diſparata.

I. Quod'nam eſt Subiectum Liberalitatis?

Pecuniæ: τὰ χρήματα. Pecunia autem eſt omne id cuius æſtimationem numus metitur. l. pecuniæ. De uerb. ſignif. χρήματα λέγομεν πάντα ὅσων ἡ ἀξία νομίσματι μετρεῖται. Liberalitas igitur circa donationem & acceptionem pecuniæ uerſatur: magis tamen in dando. ἐπαινεῖται ἐλευθέριος περὶ δόσιν χρημάτων καὶ λῆψιν: μᾶλλον δ' ἐν τῇ δόσει.

Cur liberalitas magis in dando, quàm accipiendo uerſatur?

Quia cum pecuniæ è numero earum rerum ſint, quarum uſus aliquis eſt: ipſa datio & largitio, uſus pecuniæ uidetur eſſe: acceptio uerò & conſeruatio, magis poſſeſſio. ὁ πλοῦτος ἐϛὶ τῶν χρησίμων, ὧν ἔϛι χρεία τις. χρῆσις δ' εἶναι δοκεῖ χρημάτων, δαπάνη καὶ δόσις: ἡ δὲ λῆψις καὶ ἡ φυλακή, κτῆσις μᾶλλον. Quocirca liberalis potius eſt dare quibus oportet, quam accipere à quibus oportet & non accipere à quibus oportet. Virtutis enim magis eſt benefacere quàm

benè

bene pati. Διὸ μᾶλλόν ἐστι τοῦ ἐλευθερίου τὸ διδόναι οἷς δεῖ, ἢ λαμβάνειν ὅθεν δεῖ καὶ μὴ λαμβάνειν ὅθεν δεῖ, τῆς γὰρ ἀρετῆς μᾶλλον τὸ εὖ ποιεῖν, ἢ εὖ πάσχειν.

Cur autem magis uirtuti conſentaneum eſt dare quam accipere?

Quia danti gratia habetur & laus: non accipienti: & quia difficilius eſt dare quam accipere: adhæc dare liberale dicitur, non autem accipere, potius iuſtum, quàm liberale. Deniq; dando conciliamus homines, δόσις *enim utilitatem habet, quæ in alios redundat.*

II. Quænam ſunt cauſæ Liberalitatis?

1. *Cauſa finalis eſt honeſtas. Actiones enim ſecundum uirtutem honeſtæ ſunt & honeſtatis cauſa fiunt. Itaq; & liberalis dabit honeſtatis gratia.*

2. *Cauſa formalis eſt, Mediocritas in dando & accipiendo. Nam primò liberalis dabit.* ὀρθῶς, οἷς δεῖ καὶ ὅσα καὶ ὅτε, καὶ ταῦτα ἡδέως καὶ ἀλύπως, *id eſt, rectè ſeu ſecundum rectam rationem, quibus oportet, quantum & quando: idq; hilari animo & non difficulter. Deinde non accipiet, unde non oportet, nec erit petax,* αἰτητικός: οὐ γάρ ἐστι τοῦ εὖ ποιοῦντος εὐχερῶς εὐεργετεῖσθαι. *Non enim eſt eius qui alijs benefacit, ut ipſe beneficium facilè accipiat. Vt autem in dando alijs ipſe ſibi perpetuò ſuppeditare poſsit, ſua non omnino negliget: itaq; non quibuslibet dabit, ſed quibus oportet, & quando, & ubi.*

3. *Cauſa materialis, ſunt* τὰ ὑπάρχοντα *facultates, nach dem vermögen. Non enim ex multitudine datorum liberalitas æſtimatur, ſed ex facultatibus & animo dantis.* οὐ γὰρ ἐν πλήθει τῶν διδομένων τὸ ἐλευθέριον, ἀλλ' ἐν τῇ τοῦ διδόντος

δόντος

λόγος ἕξει. αὕτη δὲ κατὰ τὴν οὐσίαν δίδωσι. Vnde nihil prohibet liberaliorem eſſe eum qui parum dat, quám eum qui plura dat: ſi uidelicet ille ex minoribus facultatibus det.

III. Quæ'nam ſunt Adiuncta Liberalitatis?

Duo. Voluptas & Dolor. Liberalis enim dando uoluptatem capit, cum ſcilicet impendit in ea, in quæ oportet, & quantum oportet. Si uerò inutiles ſumptus facit, dolore afficitur, ſed ita ut ne quid nimis. Cur autem ſæpè inutiles ſumptus faciat, in cauſa eſt ipſius facilitas, εὐκοινώνητος γὰρ εἰς χρήματα: er theilt gern mit. Vnde ſæpè dat quibus non oportet, deceptus ab improbis ſpecie quadam uirtutis, qua ſe dignos eſſe in quos beneficia conferantur, ei perſuaſerunt.

IIII. Quæ'nam ſunt diſparata Liberalitatis?

Duo. In exceſſu eſt ἀσωτία, Profuſio: in defectu ἀνελευθερία, Auaritia ſeu Illiberalitas.

Quæ'nam eſt natura Profuſionis ſeu Prodigalitatis?

In dando excedere & in accipiendo deficere. Itaq; non ferè radices agit, nec diu durat, τὰ τῆς ἀσωτίας οὐ πάνυ συναύξεται. Nô enim fieri poteſt, ut is qui nihil accipiat, omnibus largiatur. Prodigus tamen auaro melior eſt, facilè enim curari poteſt & ætate, & egeſtate: ac nullo labore ad mediocritatem reducitur, facit enim ea quæ liberales, niſi quòd non recta ratione, nec ut oportet. Vnde non malus aut improbus, ſed ſtultus potius dici poteſt. Auaro etiam ideò melior eſt, quia multis benè facit: cum hic nemini benè faciat, ac ne quidem ſibiipſi. Multi tamen ex prodigis accipiunt unde non oportet, ideóq; ſunt illiberales. Cùm enim largiendi cupiditate flagrent, id au-

tem

tem facilè præſtare non queant: facultatibus exhauſti, coguntur aliunde rapere: ideoq; plerique ad malas artes & facinora conuertuntur. Cumq; nullam honeſtatis rationem habeant, incircumſpectè & undiq; accipiunt: itaq; illorum beneficia liberalia minimè ſunt: neq; enim honeſtatis gratia fiunt: neque dant quibus oportet, ſed aliquando eos, quos egere dignius erat, ditant ut aſſentatores & uoluptatum miniſtros: uiros autem probos & honeſtos negligunt.

Quæ'nam eſt natura Auaritiæ?

In dando deficere, in accipiendo excedere. Itaque incurabilis eſt, ἀνίατός ἐστι. Nam illiberales & auaros uidetur ſenectus facere, & omnis imbecillitas: magisq; homini cognata eſt, quam prodigalitas: quin etiam diutius durat, διαμένει ἐπιπολύ.

Quot ſunt eius ſpecies?

Variæ, πολυειδής ἐστι. Nam alij dando & accipiendo illiberales ſunt, alij ſeparatim uel dando peccant tantùm, uel accipiendo.

Qui'nam deficiunt dando?

Omnes illi qui appellantur à Græcis φειδωλοί, γλίσχροι, κίμβικες, à nobis parci, tenaces, ſordidi: aridi. Item κυμινοπρίστης, id eſt, cumini ſector, Germanis corrupto uocabulo Kümmich ſectle.

Qui'nam illiberales peccant accipiendo?

Omnes illi qui αἰσχροκερδεῖς dicuntur, qui parui lucri gratia nullam turpitudinem reſpuunt, ut ſunt ij qui artes ſordidas & illiberales exercent, item lenones, meretrices, proditores, & fœnatores, omnesq; qui parua donant ut magna accipiant, quæ nõ beneficentia, ſed beneficij fœneratio dici debet.

Hui

Huc etiam pertinent aleatores, raptores, graſſatores, nam & illi αἰσχροκερδεῖς ſunt: aleatores enim lucrum ex amicis faciunt, quibus potiùs dare debebant: reliqui propter exiguũ lucrum magna pericula ſubeunt.

Vtra Liberalitati magis opponitur, Illiberalitas an profuſio?

Illiberalitas magis opponitur, quia maius malum eſt prodigalitate: plures enim ſpecies habet & difficilius curari poteſt, & in eam ſæpius peccatur quàm in illam.

DE MAGNIFICENTIA.

Cap. 2.

Quid eſt Magnificentia?

Eſt uirtus quæ circa pecunias quoq; uerſatur, ἐστὶ ἀρετή τις καὶ αὐτὴ περὶ χρήματα.

Quot conſid. in ea Ariſtoteles?

Quinq;. Differentiam à liberalitate, Cauſas, Adiuncta, Subiecta & Diſparata.

I. Quomodo differt à Liberalitate?

Differt primò ratione ſubiecti. Nam uerſatur circa pecuniarias quidem actiones, ſicut liberalitas: ſed eas ſumptuoſas. Deinde differt & magnitudine: ſicut & nomen ipſum indicat, οὐχ ὥσπερ ἡ ἐλευθεριότης διατείνει περὶ πάσας τὰς ἐν χρήμασι πράξεις, ἀλλὰ περί τὰς δαπανηρὰς μόνον, ἐν τούτοις δ᾽ ὑπερέχει τῆς ἐλευθεριότητος μεγέθει. καθάπερ γὰρ τοὔνομα αὐτὸ ὑποσημαίνει, ἐν μεγέθει πρέπουσα δαπάνη ἐστί.

II. Quænam ſunt Magnificentiæ cauſæ?

Formalis eſt habitus ipſe magnifici, qui ex actionibus æſtimatur. Quales enim eius actiones ſunt, talis etiam eſt uirtutis habitus.

Digitized by Google

habitus. Itaq; ſcienti ſimilis eſt. ἐπιςήμονι ἔοικεν. *Decorum enim ipſum intelligit & ſumptus magnos decenter facit.* τὸ πρέπον δύναται θεωρῆσαι καὶ δαπανῆσαι μεγάλα ἐμμελῶς. *Decorum autem in perſona ſua conſiderat, in loco, in tempore, in rebus ipſis ſeu operibus.* τὸ πρέπον πρὸς αὐτὸν καὶ ἐν ᾧ καὶ περὶ ἅ. Cap. 6.

Finalis eſt ipſa honeſtas. Eius enim gratia ſumptus faciet: δαπανήσει τοῦ καλοῦ ἕνεκα.

III. Quæ'nam ſunt eius Adiuncta?

Voluptas: quæ omnibus uirtutibus communis eſt. Sumptus itaq; facit libenter & prolixè. δαπανήσει ἡδέως καὶ προετικῶς. *Nam ſubtilius rationes ſubducere & ſumptus exiguè ad calculos reuocare, non eſt magnifici.* ἡ γὰρ ἀκριβολογία μικροπρεπές.

IIII. Quæ'nam ſunt eius Subiecta?

Opera ſumptuoſa, Nam & ſumptus eius præclari ſunt. αἱ τοῦ μεγαλοπρεποῦς δαπάναι μεγάλαι καὶ πρέπουσαι· τοιαῦτα δὴ καὶ τὰ ἔργα.

Quot ſunt ſpecies ſumptuum τῶν δαπανημάτων?

Sumptuum alij ſunt publici, alij priuati.

Qui'nam ſunt publici?

Qui uel in Sacras res impenduntur τὰ τίμια: *ut ſunt donaria ſeu anathemata, cõſtructiones templorum, &c. uel Reipub. tribuuntur honeſtæ laudis ſtudio,* ὅσα πρὸς τὸ κοινὸν εὐφιλοτίμητά ἐστι. *Vt ſunt epulæ, uiſcerationes, ludi publici,* τὸ ἑστιᾶν τὴν πόλιν, χορηγεῖν, &c.

Qui'nam modus in his tenendus?

Decorum obſeruari debet: ut animaduertatur à quo fiant, cuius dignitatis ſit, quarum facultatum. Pauper itaq; magnificus non fuerit: non enim habet unde ſumptus conuenienter faciat: & ſi conetur, ſtultus cenſendus erit. Ille ergo magnificus erit, qui ſumptus decorè facere poteſt: ut is qui uel opibus (quas uel ſua induſtria acquiſiuit, aut à maioribus amicis'ue accepit) uel nobilitate & ſplendore generis excellit.

Qui'nam ſunt priuati ſumptus?

Quatuor generum ſunt: Vel enim ſemel tantum fiunt, ut Nuptiæ. Vel communes ſunt totius ciuitatis, ut qui in dies feſtos fiunt. Vel in hoſpites excipiendos aut demittendos cum xenijs & apophoretis exercentur, Vel denique in ædificando adhibentur.

Quæ'nam in his ratio tenenda eſt?

Sumptus faciendi ſunt maximè in opera ſplendidiora, ut ſunt maximè diuturna. κάλλιϛα γὰρ τὰ πολυχρόνια τῶν ἔργων. *Et ubiq; ratio decori habenda eſt, quod petitur ex circumſtantijs perſonarum, temporis, loci, rerum ſeu operum.*

V. Quæ'nam ſunt Diſparata Magnificentiæ?

Duo. In exceſſu eſt Βαναυσία *ſeu* ἀπειροκαλία, *Luxus: in defectu,* μικροπρέπεια *Sordes.*

Quæ'nam natura eſt Luxus?

In ſumptu faciendo inſolentia eſt, quæ ſumptus maximos facit in res paruas & præter modum ſplendorem affectat: non honeſtatis gratia, ſed ut diuitias ſuas oſtentet, & quòd gloriam ac admirationem hac ratione ſe cõſecuturam putet. Eadem

Digitized by Google

dem etiam cum magnos ſumptus facere oportebat, paruos fa cit, & cum paruos, magnos.

Quæ'nam natura eſt Sordium?

Eſt magnos ſumptus facere in res paruas: aut facere quidem ſumptus, ſed cunctanter, minutatim, & cum querela.

DE MAGNANIMITATE. Cap. 3.

Quid eſt Magnanimitas?

Eſt uirtus qua quis ſe magnis dignũ iudicat, idq; ſuo merito. μεγαλόψυχος ἐστὶν ὁ μεγάλων ἑαυτὸν ἀξιῶν, ἄξιος ὢν.

Quod conſiderat in hac Ariſtoteles?

Quatuor. *Subiecta, Cauſas, Adiuncta ſeu effecta, & Diſparata.*

I. Quod'nam eſt ſubiectum Magnanimitatis?

Magnanimus uerſatur circa res magnas, præcipuè uerò circa maximas.

Quæ'nam ſunt illæ res maximæ?

Sunt Honor & Virtus. Honor ſiquidem cum Dijs tribuatur, cum inter homines præſtantiſſimi quiq; eum expetant, cũq; optimis quibusq; præmij loco conferatur: maximum certè bonis externis fuerit. Hoc ſummo bono cum Magnanimus ſe dignum exiſtimet, neceſſe eſt optimum uirũ eſſe, hoc eſt omnibus uirtutibus præditũ, Honor enim uirtutis præmiũ eſt & tribuitur uiris bonis. τῆς ἀρετῆς γὰρ ἆθλον ἡ τιμὴ καὶ ἀπονέμεται τοῖς ἀγαθοῖς. *Itaq; reuera Magnanimitas eſſe reliquarum uirtutum ornamentum, facit enim eas maiores & ampliores,*

& ſine illis nullo modo ſubſiſtere poteſt. Vnde difficillimum eſt uerè magnanimum reperire. Optimum enim eſſe oportet & in omni uirtute exercitatiſsimum.

Sunt'ne alia eius Subiecta præter hæc?

Verſatur etiam circa diuitias, magiſtratum, omnem deniq; ſecundam & aduerſam fortunam: ſed impropriè.

II. Quæ'nam ſunt cauſæ Magnanimitatis?

Cauſa formalis eſt recta ratio & mediocritas. Verſatur enim circa honorem & ignominiā ea moderatione, qua oportet: περὶ τιμὰς καὶ ἀτιμίας ἐστὶν ὡς δεῖ. Itaq; magnos honores qui deferuntur à uiris bonis læto animo ſuſcipiet, ſiue pares ſuis meritis, ſiue impares. Cùm enim ſummæ uirtuti nullus honor par eſſe poſsit, ſuſcipit eos qui ipſi ab hominibus tribui poſſunt. Delatos uerò ſibi ab improbis, & paruos honores, reijcit: quoniam præſtantius cenſet ſua uirtute niti, quàm ab improbis laudari. Ignominiam quoq; & infamiam ſpernit: quia in ſe immeritò conferri nouit. Idem licet de ſecundarijs bonis, ſeu improprijs ſubiectis dicere. Nam in rebus proſperis & aduerſis moderatum ſe præbet: & nec in ſecundis nimia lætitia exilit, nec in aduerſis animo deijcitur.

III. Quæ'nam ſunt Magnanimi adiuncta ſeu effecta?

Ariſtoteles uaria recenſet. 1. Eſt contemptor aliorum ὑπερόπτης. Bona enim externa ad magnanimitatem conferunt. Gut macht mut. Sed hoc ethnicum eſt, non ethicum.

2. Periculis paruis ſeſe non offert, neq; omnino libenter ſe periculis offert: magnis autem intrepidè ſe obijcit. οὐκ ἔστι μικροκίνδυνος οὐδὲ φιλοκίνδυνος, ἀλλὰ μεγαλοκίνδυνος.

3. Bene,

3 *Beneficia in alios libenter confert, accipit autem non ſine rubore, ſed maiore mēſura reddit.* ἀντευεργετικὸς πλειόνων.

4. *Nulla re eget aut rarò: ipſe uerò alijs libenter operam impendit.* ὑπηρετεῖ προθύμως,

5. *Erga eos qui in dignitate ſunt, magnum ſe præbet: erga mediocres uerò modeſtum.*

6. *Ceſſator eſt & cunctator,* ἀργὸς καὶ μελλητής.

7. *Inimicitias apertas gerit, & apertè etiam amat.* φανερόμισος καὶ φανερόφιλος.

8. *Veritatis potius quàm opinionis curam habet,* παῤῥησιαστικός.

9. *Alterius nutu non uiuit, niſi amici.*

10. *Nihil admiratur,* οὐ θαυμαστικός,

11. *Iniuriarum non meminit.* οὐ μνησίκακος.

12. *De hominibus non loquitur cupidè.* οὐκ ἀνθρωπολόγος.

13. *De rebus paruis, nec conqueritur, nec ſupplicat,* ἥκιστα ὀλοφυρτικὸς καὶ δεητικός.

14. *Poſsidere mauult res pulchras et ſteriles, quàm fructuoſas & utiles.*

15. *Motu utitur tardo, uoce graui, oratione ſedata & ſtabili* κίνησις βραδεῖα, φωνὴ βαρεῖα, λέξις στάσιμος, οὐ γὰρ σπευστικὸς, οὐδὲ σύντονος.

IIII. Quæ'nam ſunt diſparata Magnanimitatis?

Duo ſunt: in defectu, μικροψυχία *puſillanimitas: in exceſſu, Faſtus* χαυνότης.

Quæ'nam natura eſt Puſillanimitatis?

Puſillanimis qui paruo & demiſſo animo honores pro meritis appetit aut proſequitur, ijs bonis ſe priuat quibus dignus

eſt. Ideoq́ uulgo uidetur malus eſſe & piger & iners.

Quæ'nam eſt Superbiæ ſeu Faſtus natura?

Elatus maiores honores quàm mereatur appetit: itaq́ ſtultus & ſeipſum ignorat, & hanc ſuam affectionem actionibus inſolentibus etiam præ ſe fert & prodit. Nam & res amplas honoratasq́ audacter ſuſcipit, in quibus tamen ſtatim ſtultitiam ſuam prodit: & ueſtitu ac toto habitu corporis ornatum affectat: & ſuas diuitias resq́ ſecundas oſtentat: & bona ſua magnificè prædicat.

Cap. 4. DE STVDIO HONORIS.

Quid eſt Studium honoris?

Eſt uirtus quæ mediocritatem ſeruat in honoribus expetendit, ἡ μεσότης περὶ τιμὴν.

Quomodo differt à Magnanimitate?

Sicut Liberalitas à Magnificentia. Nam à magnis honoribus abeſt: ad mediocres aũt et paruos nos afficit ita ut oportet,

Quæ'nam ſunt eius diſparata?

Duo ſunt. In exceſſu Ambitio φιλοτιμία, in defectu Contemptus honoris, ἀφιλοτιμία:

Quid eſt Ambitio?

Eſt expetere honorẽ plùs quàm oportet & unde non oportet. τὸν φιλότιμον ψέγομεν ὡς καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ καὶ ὅθεν οὐ δεῖ, τῆς τιμῆς ἐφιέμενον.

Quid eſt Contemptus honoris?

Eſt negligere honorem etiam in rebus honeſtis. τὸν ἀφιλότιμον

λότιμον ψέγομεν ὡς οὐδ᾽ ἐπὶ τοῖς καλοῖς προαιρούμενον τιμᾶσθαι. Aliquando tamen & φιλότιμον, ut φιλόκαλον, id eſt, uirtutis ſtudioſum (honor enim uirtutis præmium eſt) & ἀφιλότιμον, ut μέτριον καὶ σώφρονα, id eſt, moderatum & modeſtum laudamus.

DE MANSVETVDINE. Cap. 5.

Quid eſt Clementia?

Eſt uirtus quæ mediocritatem ſeruat in ira. ἐστὶ μεσότης περὶ ὀργάς.

Quot conſiderat in hac Ariſtoteles?

Tria. Formam, Diſparata, Actiones particulares.

I. Quæ'nam eſt Manſuetudinis cauſa formalis?

Eſt tranquillitas affectuum (præſertim iræ) iuxta rectam rationem. βούλεται γὰρ ὁ πρᾶος ἀτάραχος εἶναι καὶ μὴ ἄγεσθαι ὑπὸ τοῦ πάθους: ἀλλ᾽ ὡς ἂν λόγος τάξῃ. Itaque iraſcitur ob quas res oportet iraſci, & quibus & quomodo & quando, & quandiu oportet.

II. Quæ'nam ſunt Diſparata?

Duo ſunt. In exceſſu Iracundia ὀργιλότης: in defectu Lentitudo ἀοργησία.

Quæ'nam eſt natura Ἀοργησίας, Lentitudinis?

Eſt non iraſci de quibus oportebat iraſci, & non ita ut oportebat, nec quo tempore, nec quibus oportebat. Videtur enim Lentus non ſentire iniuriam, nec dolere: ideóq; nec excandeſcit, ſéq; non ulciſcitur, μὴ ὀργιζόμενος, οὐκ ἐστι ἀμυντικός.

Degeneris autem animi eſt ad ueram iniuriam conniuere & neceſſarios ſuos deſerere. τὸ προπηλακιζόμενον ἀνέχεσθαι, καὶ τοὺς οἰκείους περιορᾶν, ἀνδραποδῶδες.

Quæ'nam eſt natura Iracundiæ?

Eſt iraſci quibus non oportet, de quibus non oportet, & magis, & celerius, & diutius quàm oportet.

Quot ſunt ſpecies Iracundorum?

Quatuor. Iracundi, Bilioſi, Acerbi, Sæui: Græcis ὀργίλοι, ἀκρόχολοι, πικροί, χαλεποί.

Qui'nam ſunt Iracundi?

Qui citò quidem iraſcuntur, ſed citò etiam placantur, ταχέως ὀργίζονται, ταχέως δὲ καὶ παύονται. Non enim iram conceptam retinent, ſed ſtatim ſe ulciſcuntur, quo facto quieſcunt.

Qui'nam ſunt bilioſi?

Qui ſupra modum celeres ſunt in iraſcendo, & cuilibet & ob quidlibet iraſcuntur, unde Græcis ἀκρόχολοι à ſumma bilis concitatione: denen der dreck nach beim hertzen ligt.

Qui'nam ſunt acerbi?

Qui implacabiles ſunt, δυσδιάλυτοι, & iram conceptam diutiſsimè fouent. Iram enim celant & uindictæ opportunitatem quærunt. Ceſſant autem ab ira, cùm ultionem aſſecuti fuerint. Quod ſi eam non fuerint aſſecuti, dolor ex ira conceptus ita augetur, ut graui onere premi uideantur. Cùm enim dolorem diſsimulent, nemo illos conſolatur: ideóq; neceſſe eſt ut iram apud ſe concoquant, quod longo tempore opus habet. Ergo & ſibiipſis moleſtiſsimi ſunt, & amicis: nã & ſeſe excruciant & amicis importuni ſunt.

Qui-

Digitized by Google

Qui'nam ſunt ſæui?

Qui iraſcuntur ob quæ non decet iraſci, & uehementius ac diutius quàm oportet iraſcuntur: quiq́; non prius placantur quàm ultionem, aut pœnam aſſecuti fuerint.

III. Quid de particularibus actionibus hîc tenendum eſt?

Particulares actiones, quomodo ſcilicet iraſcendum, quibus, ob quæ, quamdiu, quouſq́; : præceptis comprehendi facilè non poſſunt. Aliquando enim lentos laudamus, leneſq́; uocamus: iracundos etiam animoſos, ſeueros (ſtreng) appellamus: ac ſi ob id digni ſint qui imperent. τὺς χαλεπὺς ἀνδρώδεις φαμὲν, ὡς δυναμένυς ἄρχειν. *Sed in his dijudicandis uſum & iudicium oportet accedere.* ἐν γὰρ τοῖς καθ᾽ ἕκαστα καὶ τῇ αἰσθήσει ἡ κρίσις.

DE POPVLARITATE. Cap. 6.

Quid eſt Popularitas ſeu Familiaritas?

Eſt uirtus quæ mediocritatẽ ſeruat in dictis & factis, quæ jucunditatem in congreſsibus & conuerſatione efficiunt. ἐστι μεσότης λόγων καὶ πραγμάτων ἐν ταῖς ὁμιλίαις καὶ τῷ συζῆν. *Germanis Leutſeligkeit, Holdſeligkeit, Freundtlichkeit.*

Quot conſid. hîc Ariſtoteles?

Q*uatuor. Differentiam ab amicitia, Subiectum, Cauſas, Diſparata.*

I. Quomodo differt ab amicitia?

Ita differt, quia ſine amore eſt humanitas, amicitia uerò cum amore.

II. Quod'nam eſt ſubiectum?

Iocunditas in conuerſatione, ἡδονὴ ἐν ταῖς ὁμιλίαις.

III. Quæ'nam ſunt eius cauſæ?

Finalis eſt honeſtas & utilitas. ἀναφέρει πρὸς τὸ καλὸν καὶ συμφέρον. Finis enim eſt ne eos cum quibus conuerſatur, moleſtia afficiat, uel potius oblectet: ita tamen ut etiam moleſtus eſſe non grauetur, ubi ex obſequio inhoneſtas aut damnum ſequeretur: Sæpè enim illi cum quibus uiuimus, aliquid facere inſtituunt quod uel inhoneſtum uel damnoſum illis futurum ſit. Hîc itaq; non obſecundabit, ſed moleſtus erit.

Formalis eſt, quòd cõuerſabitur ſicut decet, ὡς δεῖ ὁμιλήσει probabit enim quæ decet probare, & eo modo quo decet, ἀποδέξεται ἃ δεῖ καὶ ὡς δεῖ. Aliterq; cum uiris illuſtribus, aliter cum plebeijs, aliter cum notis, aliter cum ignotis conuerſatur: ac ſuum cuiq; prout decet, tribuit.

IIII. Quæ'nam ſunt eius Diſparata?

Duo ſunt. In exceſſu Blanditia & Aſſentatio, Ἀρέσκεια καὶ κολακεία: in defectu Moroſitas ſeu inhumanitas, δυσκολία.

Quæ'nam eſt natura exceſſus?

Eſt omnia ad aliorum uoluntatem facere & in nulla re refragari: tantùm ut nulla moleſtia unà conuerſantes afficiantur. Et qui ſic iucundi ſunt, ut nihil aliud quærant, ἄρεσκοι blandi dicuntur, liebkoſer. Qui autem obſequitur utilitatis gratia, ut pecuniam nanciſcatur, aut aliud aliquid rerum ad uitam neceſſariarum, is adulator eſt ſeu aſſentator, κόλαξ, ſchmeichler, dellerſchlecker.

Quæ'nam eſt natura inhumanitatis?

Inhumanus eſt qui nemini obſecundat, omnibus contradicit,

cit, neq; ullum penſum habet ſi alijs ſit moleſtus. Itaq; uocatur δύσκολος, δύσερις, moroſus, contumax, pugnax: zanckeiſen, Rauffzenglin.

DE STVDIO VERITATIS. Cap. 7.

Quid eſt Veracitas?

Eſt uirtus quæ & dictis & factis ueritatem propoſitam habet. ἐστι μεσότης περὶ τὴν ἀλήθειαν ἐν λόγοις καὶ πράξεσι.

Quot conſiderat in ea Ariſtoteles?

Quatuor. Cauſas, Subiectum, Adiuncta, Diſparata.

I. Quæ'nam ſunt Veracitatis cauſæ?

Formalis eſt, quod uerax ſui iuris & arbitrij eſt, αὐθέκαστός τις ὤν, *id eſt, ex ſe ipſo & ſua ratione pendet, & ueritatē in omnibus dictis & factis obſeruans, ea quæ ſunt eſſe dicit, neq; maiora aut minora, facit.*

Finis eſt duplex. Veritatem enim dicũt alij propter ſe, quia honeſtum eſt: alij propter aliud, ut propter præmium. Verax autem propter ipſam honeſtatem talis eſt.

II. Quod'nam eſt ſubiectum Veracis?

Verax quem hîc intelligimus non eſt ille qui in pactis & conuentis, & alijs ad iuſtitiam pertinentibus fidem ſeruat: ſed is qui circa ueritatem in dictis & factis uerſatur, quæ in uita quotidiana & conuerſatione ſpectantur.

III. Quæ'nam ſunt eius Adiuncta?

Verax primò uir bonus & iuſtus uidetur. δοκεῖ ἐπιει-

κὴς

κὸς εἶναι. Nam qui uerax eſt in rebus in quibus nullum illius commodum agitur, talis multò magis erit in illis, ubi aliquid lucri ſentire poterat, ut in pactis, conuentionibus, iudicijs. Si enim mendaciũ per ſe oderit, multò magis odio habebit, quod cum turpi lucro coniunctum eſt. Deinde meritò etiam laude dignus eſt, ἐπαινετός.

IIII. Quæ'nam ſunt eius Diſparata?

Duo. In exceſſu Arrogantia ἀλαζόνεια: in defectu Diſſimulatio, εἰρωνεία. Vtriuſque eſt genus mendacium, ψεῦδος.

Quæ'nam eſt natura Vanitatis ſeu arrogantiæ?

Arrogans maiora ſibi adeſſe ſimulat quam reuera ſint, idq́ nullius rei gratia, ſed ſola mentiendi libidine ductus: quanquam mendacium ſæpè gloriæ aut lucri cauſa fiat.

Quæ'nam eſt natura Diſsimulationis?

Diſsimulator eſt qui non lucri uel gloriæ cauſa ſua extenuat: ſed ſolo arrogantiæ uitandæ ſtudio, quoniam animi elationem & iactantiam fugit. Et hic duplex eſt, aliquando enim εἴρων, aliquando βαυνοπανοῦργος.

Qui'nam dicitur εἴρων?

Qui diſſimulat ea ſibi adeſſe bona quæ ſunt glorioſa & magna. Hic modeſtus quidam homo uidetur eſſe, minimeq́ ambitioſus: qualis fuit Socrates.

Qui'nam dicitur βαυνοπανοῦργος?

Qui diſſimulat ea bona ſibi adeſſe, quæ ſunt parua & omnibus nota. Hic contemptus & abiectus homo.

DE VRBANITATE.

Quid eſt Vrbanitas?

Eſt uirtus quæ mediocritatem in ludo & ioco ſeruat. Höfflichkeit.

Quot conſid. in ea Ariſtoteles?

Tria. Subiectum, Cauſas, Diſparata.

I. Quod'nam eſt ſubiectum Vrbanitatis?

Ludus & iocus. Nam cûm in uita ſit locus ocio, atque in ocio ludus uerſetur, certè in eo quoq; uirtus quædam uerſabitur, quæ mediocritatem obſeruet.

II. Quæ'nam ſunt eius Cauſæ?

Formalis cauſa eſt Ratio ipſa, quæ conſtat concinnitate & dexteritate quadam, quarum illam Græci εὐτραπελίαν, hanc ἐπιδεξιότητα uocant.

Quid uocas concinnitatem?

Voco motum quendam morum concinnum & lepidum, unde εὐτράπελοι quaſi εὔτροποι à morum concinnitate dicuntur. Sicut enim corpora, ita & animi mores ex motu agnoſcuntur.

Quid uocas dexteritatem?

Voco eam, quæ nouit loqui & audire ea quæ uiro bono & libero conueniant. Sunt enim quædam ſcommata & quidam ioci liberales, quos & in alium torquere & honeſtè etiam audire poteſt.

Quottuplex ergo eſt Iocus?

Duplex. Alius enim eſt liberalis, ἐλευθέριος παιδιά. Alius ſeruilis & illiberalis. ἀνδραποδώδης. Ein grober zott oder boſſ,

boſs darauſs einer wol ein par ſtiffel macht. Non ergo quolibet ioco Vrbanus utetur, Scomma enim maledicti quoddam genus eſt. σκῶμμα, λοιδώρημα τί ἐστιν. Et legislatores maledictorum leges poſuerunt, & maledicendi licentiam coërcuerunt. Vrbanus ergo ijs tantum iocis utetur qui hominem ingenuum decent, quibusq́ audientem uel delectet, uel ad minus non offendat.

III. Quæ'nam ſunt Vrbanitatis Diſparata?

Duo ſunt: In exceſſu eſt Scurrilitas βωμολοχία: in defectu Ruſticitas ἀγροικία.

Quæ'nam eſt natura Scurrilitatis?

Qui id unicè affectant ut riſum moueant: nulla uel honeſtatis, uel etiam iucunditatis eius in quem dicunt, habita ratione, βωμολόχοι & φορτικοὶ, ſcurræ & importuni homines ſunt. Lotterbuben, Holhipper, Schalcksnarren.

Quæ'nam natura eſt Ruſticitas?

Qui nec ipſi dicere iocūdè, nec alios audire poſſunt, ἄγριοι & σκληροὶ, agreſtes & inſulſi quidam homines dicuntur. Bewriſch, grobe rültzen vnd fültzen. Grobiani.

Cap. 9. DE PVDORE.

Quid eſt Pudor?

Eſt metus infamiæ. φόβος τῆς ἀδοξίας. Non enim eſt uirtus, ſed affectus.

Quod'nam eſt ſubiectum Pudoris?

Solam iuuentutem decet pudor. Nam cùm iuuenes propter ætatis imperfectionem affectu potius uiuant, quàm ratione,

ne, in multis delinquerent, niſi pudore reuocarentur. Adultæ uerò & ſenili ætati minimè conuenit. Nihil enim iſti agere debent, ob quod erubeſcere cogantur. Si enim pudor in malis tantum actionibus & inhoneſtis locum habet, uiro bono non conueniet: niſi ex ὑποθέσεως: nempe quòd ſi quid turpe admitteret, proculdubio pudore afficeretur. Dann wer ſich nicht ſchempt, der hat ein eiſene ſtirn.

LIBER QVINTVS.

DE IVSTITIA.

AVditor. Studeo, mi præceptor, ex te audire, quæ Philoſophi de Iuſtitia tradiderunt: ſi modo tibi eſt otium & ſi uis.

Ethicus. An eſt, mi adoleſcens, quod ego malim quàm te quàm iuſtiſſimum eſſe? Otium autem ſummum eſt, (Nam ad id ſcholæ noſtræ cõſtitutæ ſunt) & quamuis non eſſet: tamen iſta tua ſtudia uel maximis occupationibus meis anteferrem libenter.

A. Vt ergo hoc primùm interrogem, eſt'ne huius cognitionis aliqua utilitas aut oblectatio?

Eſt uerò. Nam ſi quis Iuſtitiæ imaginem, quam depinxêre nobis Philoſophi, benè contemplatus fuerit, næ ille in multis magnis & grauiſſimis rebus dijudicandis magno eam uſui ſibi fore experietur.

Explica id quæſo uberiùs.

Primùm Iureconſulti multa præcepta ex hac doctrina mutuantur:

tuantur: quorum cauſas & demonſtrationes hîc copioſè propoſitas habemus. Deinde incredibilem uoluptatem homini ingenioſo affert, uidere explicatam illam in mente hominis œconomiam præceptorum: item ordinem atq; conſenſum notitiarum, quæ nobiſcum natæ ſunt, & diuinitùs nos uocant ad ſocietatem hominum colendam & conſeruandam. Nam hæc præcepta in natura ſcripta & demonſtrationes: nō minus ſunt opera Dei, quàm illæ certæ leges motuum cœleſtium, certæ uices temporum, certi ortus atq; obitus ſyderum. Et non tam concinnè, quàm uerè dixit Ariſtoteles, Iuſticiam pulchriorem eſſe Heſpero & Lucifero.

Vis'ne ergo ut ego te de Iuſtitiæ uia & ratione interrogem?

Sanè uolo: quando id ſemel ſuſcepi, ut te ad cognitionem Politices informem.

Poſſumus'ne ergo quaſdam tanquam metas huius doctrinæ conſtituere?

Poſſumus uerò. Nam & Ariſtoteles ita etiam eandem diſputationem ſuſcepit, ut primò IVSTITIAE uim ac naturam, hoc eſt, definitionem, ſpecies & diſparata: & IVS, quod eſt notitia iuſtitiam gubernans, explicet: Deinde appendicis loco quaſdam exiles QVAESTIONES annectat. Eum ordinem & uiam nos quoq; ſequemur.

Cap. 1.

Age igitur, quid eſt IVSTITIA?

Eſt animi habitus quo ad res iuſtas gerendas homines efficiuntur idonei: quoq; res iuſtas & agunt & uolunt. ἔστιν ἕξις ἀφ᾽ ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ καὶ ἀφ᾽ ἧς δικαιοπραγοῦσι

Digitized by Google

γοῦσι καὶ βούλονται τὰ δίκαια. Hîc enim ciuilem quandam & externam ſeu politicam Iuſtitiam intelligimus, quæ tantum pertinet ad formãdos in hac uita ciuiles mores: nec aliud exigit, quàm exteriorem quandam honeſtatem, ut ſit in tuto Reipub. tranquillitas.

Eſt'ne ſimplex aut uniuſmodi?

Non eſt: duas enim ſpecies habet, quarum una dicitur Vniuerſalis: altera particularis, νόμιμος καὶ ἴσος.

DE IVSTITIA VNIVERSALI.

Quid eſt Iuſtitia Vniuerſalis?

Iuſtitia ἡ καθόλου ſiue νόμιμος, nihil aliud eſt, quàm obedientia erga leges. Seu eſt perfecta uirtus, alterius commoda & utilitates reſpiciens: ἀρετὴ τελεία πρὸς ἕτερον. Vel deniq; eſt uirtutis perfectæ uſus, qua qui præditus eſt, is etiam erga alios, non in ſe modo, uirtutem exercere poteſt: ἐστιν ἀρετῆς τελείας χρῆσις, ἣν ὁ ἔχων καὶ πρὸς ἕτερον δύναται τῇ ἀρετῇ χρῆσθαι, ἀλλ' οὐ μόνον καθ' αὑτόν. Hæc Ariſtotelis definitio eſt, à qua differt Platonica.

Quomodo ergo definit eam Plato?

Iuſtitia eſt (inquit in fine 4. lib. de Repub.) legitima quædam conſenſio trium uirium hominis in gubernando, exequendo, obediendo: & proprijs muneribus peragendis, & alienis nõ uſurpandis. ἐστιν ἁρμονία τριῶν μερῶν τῆς ψυχῆς, μὴ ἐῶσα τὰ ἀλλότρια πράττειν ἕκαστον ἐν αὐτῇ. μήδε πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν ψυχῇ μέρη, ἀλλὰ τῷ ὄντι τὰ οἰκεῖα εὖ θέμενον καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὐτοῦ καὶ κοσμήσαντα καὶ φίλον γενόμενον ἑαυτῷ καὶ ξυναρμόσαντα τρία ὄντα

ὥσπερ ὅρους τρεῖς ἁρμονίας ἀτεχνῶς, νεάτης τε καὶ ὑπάτης καὶ μέσης καὶ εἰ ἄλλα ἄττα μεταξὺ τυγχάνει ὄντα.

Quid intereſt inter has definitiones?

Ariſtotelica collocat hominem in ciuitate & ſocietate communi, & ſimpliciter conſiderat, qui ſit ordo homini ad alios. Platonica ſubtilius quærit fontem, & altius orditur: nec ſolùm quærit qui ſit ordo hominis ad alios, ſed etiam qui ſit ordo homini ad ſeſe. Primùm enim ipſam naturam hominis aſpicit, & uidet huic inſitas eſſe noticias, iuxta quas natura regenda ſit. Sic fontem uniuerſæ gubernationis morum eruditè monſtrat. Sed eius definitio fuiſſet illuſtrior, ſi Dei quoque mentionem feciſſet.

Quomodo aut qua ratione quæſo?

Sic enim commodius definiri poterat: Iuſtitia uniuerſalis eſt uniuerſalis obedientia Deo debita, congruens ad normam totius Decalogi ſeu legis naturæ, diuinitùs inſitæ noſtris mentibus in prima conditione, ut agnoſcamus qualis ſit ipſe Deus, & quibus officijs uelit coli.

Vnde depræhendit Ariſtoteles illam diuiſionem Iuſtitiæ in Vniuerſalem & Particularem?

Depræhendit ex uarijs ſignificationibus contrarij habitus ſcilicet Iniuſtitiæ: ſæpe enim accidit ut uirtus ex comparatione contrarij magis conſpici poſsit: ſicut, quid ſit Fortitudo, melius intelligi poteſt, ſi quis cum Cæſare ſiſtente fugientem exercitum, contulerit Demoſthenem fugientem ex acie.

Quot

Quot conſid. hîc Ariſtoteles in habitibus?

Duo. 1. Diſcernit eos à potentijs & ſcientijs. 2. Oſtendit unde cognoſcantur.

Quomodo differunt ergo illa tria?

Potentiæ ſeu facultates agunt contraria: ut eadem uoluntas poteſt rectè & ſecus agere. Scientia indicant contraria: ut cùm ſcimus quid ſit ſanitas, indicare poſſumus, quid ſit ægritudo. At habitus agunt & inclinant tantum uno modo. Vt ſanitas inclinat ad ſanas actiones. Habitus ſcribendi ſolutam orationem, non inclinat ad ſcribendum uerſus.

Vnde cognoſcuntur habitus?

E' duobus. 1. è contrarijs habitibus: ſicut ex ebrietate ſobrietas cognoſcitur. 2. ex ſubiectis circa quæ uerſantur. Vt medicina uerſatur circa morbos.

Quomodo igitur cognoſcuntur ſpecies iuſtitiæ ex contrario habitu iniuſtitiæ?

Iniuſtitia, ſicut & iuſtitia, ambiguæ ſignificationis ſunt, πολλαχῶς λέγεται*: ſed id propter rerum affinitatem à paucis animaduertitur: Ambigua enim alia habent ſignificationes magis diſtantes totis ſpeciebus,* ὧν ἡ διαφορὰ πολλὴ κατὰ τὴν ἰδέαν*. Vt aries ſignificat pecudem & bellicum inſtrumentum. Aliorũ obſcura eſt & exilis differentia propter ſimilitudinẽ ſpecierum,* διὰ τὸ σύνεγγυς εἶναι τὴν ὁμωνυμίαν αὐτῶν λανθάνει*. Vt in iuſtitia & iniuſtitia. Interdum enim eadem actio eſt iuſtitiæ uniuerſalis & particularis. Vt nõ defraudans alium in contractu obedit legi, ita obtemperat uniuerſali iuſtitiæ. Item ſoluit contrahenti quod debet, ita obtem-*

perat particulari iuſtitiæ. Sed horum diſcrimen cûm ex forma, tum ex ſubiecto deprǣhendi poteſt.

Quomodo ex forma?

Quia ſicut iniuſtus eſt qui contra leges peccat, ὁ παράνομος, & qui plus ſibi uendicat & æqualitatem non ſeruat, ὁ πλεονέκτης καὶ ἄνισος: Ita econtrà iuſtus eſt qui obtemperat legibus, ὁ νόμιμος: & qui æqualitatem obſeruat, non defraudans alterum in contractu, nec plus ſibi appetens, ὁ ἴσος.

Quomodo ex ſubiecto?

Quia ὁ νόμιμος & econtrà παράνομος circa leges uerſantur: ſed ὁ ἄνισος ſeu πλεονέκτης, & ecõtrà ὁ ἴσος, circa bona & mala externa, ſeu fortunæ uerſantur, ut circa diuitias & imperia, id eſt, circa ea bona quæ alijs eripi ſolẽt, aut in quibus cum plus appetimus, alij læduntur. Non autẽ uerſantur circa bona honeſta: nã ſi quis ea appetat (ut doctrinã) nihil conatur alteri eripere, nec lædit alterũ: quare non poteſt iniuſtus dici.

Habet'ne ſe æqualiter ὁ πλεονέκτης circa bona & mala?

Minimè. Nam bona omnib. uotis expetit: οἱ ἄνθρωποι ταῦτα εὔχονται καὶ διώκουσι: circa mala uerò nõ ſemper eſt πλεονέκτης, id eſt, non plus appetit, ſed minus: unde potius μειονέκτης dici debet, Quanquam ſic quoq; plus appetere uidetur: quia minus malum eligit, quod reſpectu maioris mali bonum eſſe uidetur. δοκεῖ γὰρ τὸ μεῖον κακὸν ἀγαθὸν πῶς εἶναι: Germanis πλεονέκτημα dicitur ein vortheil, & πλεονέκτης ein vortheilhafftiger menſch.

Cum ergo ὁ νόμιμος & iuſtitia uniuerſalis circa leges uerſetur: quid complectuntur leges?

Complectuntur præcepta de omnibus honeſtis actionibus,

Digitized by Google

quæ uel ad Remp. hoc eſt ad cõmunem ſocietatem pertinent: uel ad priuatos homines, ut ſunt omnes uirtutes & uitia, quarum illas ſequi iubet, hæc uerò prohibet.

Repete igitur definitionem Vniuerſalis iuſtitiæ?

Vniuerſalis iuſtitia eſt perfecta uirtus, quæ ad alteram refertur. Δικαιοσύνη ἐστὶν ἀρετὴ τελεία, πρὸς ἕτερον.

Cur uocas perfectam?

Quia perfectæ uirtutis uſus eſt. ὅτι τῆς τελείας ἀρετῆς χρῆσίς ἐστι. *Ideoq; præſtantiſſima omnium uirtutum uidetur, & pulcherrima, ita ut neq; Heſperus, neq; Lucifer carior eſſe uideatur. Et prouerbio dicitur:*

IVSTITIA IN SESE VIRTVtes continet omnes.

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ᾽ ἀρετή ἐστι.

Cur dicis, ad alterum?

Quia qui eam habet, non ſolùm erga ſe, ſed etiam erga alios uirtute uti poterit. Confert enim alias uirtutes ad communem ſocietatem. Vſus autem uirtutis erga alios, maximeq; erga Rempub. eſt difficillimus. Multos enim reperias, qui in ſuis quidem rebus uirtute poſſunt uti: ſed in illis quæ cum alijs contrahuntur, non poſſunt. Vnde Bias dixit: ἀρχὰ τὸν ἄνδρα δείξει, *Magiſtratus uirum indicat. Nam in magiſtratu animaduerti poteſt, an quis conferat ſuas uirtutes ad priuatam utilitatem, an ad publicam uel communem. Hæc itaque uirtus non eſt pars uirtutis, ſed uirtus Vniuerſa,* ὅλη ἀρετή: *differt autem à uirtute, quod hæc ad habentem refertur, illa ad alterum.*

Cap. 2.

DE IVSTITIA PARTIculari.

Quid eſt Iuſtitia Particularis?

Eſt Iuſtitia, quæ tuetur perſonarum ordinem, & regit officia debita alijs in conuerſatione ac æqualitatem efficit in contractibus & compenſationibus delictorum & pœnarum. Plato lib. 2. de Rep. ſcribit à Simonide hanc definitionem traditam eſſe: Iuſtitia eſt conſtans & perpetua uoluntas, ſuum cuiq; tribuens. Et hanc definitionem etiam I. C. retinuerunt.

Quæ'nam de hac quæri ſolent?

Ariſtoteles quinq; quærit. 1. An ſit. 2. Qualis ſit. 3. Quæ eius ſpecies. 4. Quod'nam eius medium ſit.

I. An ſit. Eſt'ne iuſtitia quædam certa ſpecies uirtutis diſtincta ab alijs?

Eſt. Delictum enim quoddam eſt diſtinctum à delictis aliorum uitiorum quod circa lucrum uerſatur. Nam alia delicta non uerſantur circa lucrum. κατὰ μὲν γὰρ τὰς ἄλλας μοχθηρίας ὁ ἐνεργῶν, ἀδικεῖ μέν: πλεονεκτεῖ δ' οὐδέν. Vt qui deſerit aciem, peccat contra fortitudinem: qui uerberat alterum, peccat contra manſuetudinem, qui committit adulterium peccat contra continentiam. Lucrari autem cum damno alterius, peculiare delictum eſt, quod non offendit illas uirtutes quas diximus: ſed propter alium finem in alio genere delicti uerſatur. Vt ſi quis lucri cauſa committat adulterium: is non propriè libidinoſus dicitur, ſed iniuſtus & aliena interuertens.

Cur

Cur autem hæc uirtus mutuatur nomen generis ſcilicet Iuſtitiæ?

Quia ſimilis eſt generi: ſemper enim utraq; exercetur erga alios: ſed uniuerſalis illa circa omnia uerſatur, circa quæ uir bonus, hæc particularis circa bona externa & fortuita, & circa lucrum.

II. Quæ'nam & qualis eſt uirtus hæc?

Particularis iuſtitia eſt anguſtior quàm uniuerſalis & uelut pars illius. Nam τὸ ἄνισον ἅπαν παράνομον, τὸ δὲ παράνομον οὐχ ἅπαν ἄνισον, *id eſt, non parere legibus latius patet, quàm non reddere æquale. Quia omnis qui defraudat alterum in cõtractu, uiolat leges: at non omnis uiolatio legum, eſt defraudare in contractibus. Vt ſtuprator iniuſtus eſt, quia cõmittit in leges: non eſt iniuſtus quod non reddat æquale.*

III. Quot ſunt ſpecies Iuſtitiæ particularis?

Duæ. Vna Diſtributiua, διανεμητική. *Altera Correctiua,* διορθωτική. *Quas Ariſtoteles ex Iſocratis Areopagitico & Platonis lib. 6. de Legib. ſumpſit, ſed ita diſsimulanter ut ne quidem horum autorum mentionem faciat: ſibiq; hanc doctrinam arrogare uideatur.*

Quæ'nam cauſa fuit ueteribus conſtituendi has duas ſpecies?

Cum iuſtitia particularis regat omnes actiones quæ in hac ſocietate erga alios homines exercentur: duo autem ſint tantum actionum genera erga alios (aut enim perſonæ ordinantur, aut res communicantur) efficitur duas tantum eſſe ſpe-

cies iuſtitiæ particularis Diſtributiuam & Correctiuam.

Quid eſt Diſtributiua?

Eſt quæ uerſatur in diſtributione honoris pecuniæ & omnium eorum quæ inter ciues diſtribui ſolent, ἐςὶν ἐν ταῖς διανομαῖς ἢ τιμῆς, ἢ χρημάτων, ἢ τῶν ἄλλων ὅσα μεριςὰ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας.

Quid eſt Correctiua?

Eſt quæ uerſatur in contractibus: ἐςὶν ἐν τοῖς συναλλάγμασιν.

Quottuplices ſunt contractus?

Duplices. Alij enim ſunt Voluntarij συναλλάγματα ἑκούσια: ut Emptio, uenditio, mutuum, fideiuſsio, commodatum, depoſitum, locatio, conductio. Alij inuoluntarij, ἀκούσια.

Quottuplices ſunt inuoluntarij?

Duplices. Alij enim clandeſtini ſunt λαθραῖα: ut, furtum, adulterium, ueneficium, lenocinium, falſum teſtimonium, cædes doloſa, ſerui corruptio. Alij uiolenti βίαια; ut uulneratio, uincula, mors, rapina, mutilatio, iniuria, pulſatio.

Quomodo differunt duæ illæ uirtutes?

In Diſtributiua ſpectatur æqualitas quæ ex dignitate perſonarum ſecundum proportionem Geometricam ſumitur: ut ſcilicet pro uarietate meritorum alia præmia, aliæq; pœnæ diſtribuantur, & cuiq; κατ' ἀξίαν pro dignitate, id quod meretur, tribuatur. In Correctiua autem tollitur inæqualitas quæ in rerum commutatione contigit: fitq; iuxta proportionem Arithmeticam. Verſatur enim circa contractus & damna pugnantia cum contractibus legitimis. Vnde hæc uetius Oeconomica

nomica eſt, quæ nihil niſi precia rerum conſiderat, & quærit æqualitatem mercis & precij. Illa magis politica & gubernatrix eſt: quia gradus conſtituit in præmijs, pœnis: honoribus, ſupplicijs. Vtraq; tamen & publicè & priuatim utendum eſt.

IIII. Quod'nam eſt Iuſtitiæ iſtius medium? Cap. 3.

Mediũ in hac uirtute eſt Aequale ſeu Aequalitas. τὸ ἴσον. Suprà enim oſtenſum eſt quod iniuſtum ſit inæquale: ὅτι τὸ ἄδικον ἄνισον. Inæquale autem eſt aut maius, aut minus. Cũ autem uirtus in medio ſit, neceſſe eſt medium æquale quiddam eſſe. τὸ μέσον ἴσον ἐστί. Nam inter plus & minus, nihil medium eſt niſi æquale. Hoc ſenſus communis omnes homines docet: ut ſi metientes, menſuram iuſto maiorem: & econtrà, iuſto minorem deprehendunt: etiam æqualem menſuram deprehendi poſſe intelligunt.

Eſt'ne eadem mediocritas huius uirtutis & ſuperiorum?

Non eſt. Hic enim rerum eſt mediocritas: illic affectuum.

Quid igitur conſid eſt in hac Mediocritate?

Duo. Subiectum ipſius & Forma.

Quod'nam eſt Subiectum huius mediocritatis?

Sunt duæ res & duæ perſonæ. In duobus enim minimum conſiſtit. ἐν ἐλαχίστοις δυσὶ τὸ ἴσον ἐστί. Ea uocat πρός τι καὶ τισί. Nam per illud duæ res intelligũtur, inter quas æqualitas quæritur: ideò eas neceſſe eſt conferri: per hoc uerò perſonæ duæ intelliguntur: quia iuſtum ſemper reſpicit alium cui debitum redditur, ſeu rem ſeu officium. Vt ſicut ſe habet munus Cancellarij & munus Imp. ita ſe habent Mercurinus &

Digitized by Google

Carolus. Sed Mercurinus eſt aptus muneri Cancellarij. Ergo Carolus ad munus Imp. Quod ſi igitur medium in duobus terminis conſiſtit, iidem etiam ipſum iuſtum. Neceſſe enim eſt in iuſto quatuor terminos eſſe (perſonas duas & res duas:) unam uerò æqualitatem. ἀνάγκη ἄρα τὸ δίκαιον ἐν ἐλαχίστοις εἶναι τέτταρσιν: καὶ ἡ αὐτὴ ἔσται ἰσότης οἷς καὶ ἐν οἷς. Vt enim ſe res habet ad rem, ita perſona ad perſonam. Si enim aliter erit, ut quando inæquales æqualia, aut æquales inæqualia ſortiuntur: tum uariæ querelæ & rixæ oriuntur. Quum & in Rebuſpub. diuerſa præmia conſtituuntur iuxta diuerſam rationem dignitatis, quæ alibi aliter æſtimatur. Vulgus enim in ciuitatibus corruptis nihil pluris facit libertate ſeu potius licentia. Alibi ſumma dignitas tribuitur opibus, aut nobilitati: Boni autem tribuunt ſummam dignitatem uirtuti.

Quænam eſt Forma huius Mediocritatis?

Eſt ipſa Analogia ſeu relatio & proportio inter iſtos quatuor terminos. τὸ δίκαιον ἐστι ἀνάλογόν τι. Quod ut planè intelligi & in uita ad uſum accommodari poſſit, doctrina Analogiarum cognoſcenda eſt. Quæ quanquam alterius artis, Arithmeticæ ſc. ſit: quoniam tamen pauci illam cognitam habent, hîc paucis ea nobis attingenda fuit.

Quænam igitur eſt doctrina Analogiarum?

Comparatio numerorum, uel inter duos numeros eſt, uel inter plures. Conferuntur enim inter ſe termini, ὅροι: & diſcrimen unius ad alterum dicitur interuallum ſeu differentia διάστημα: ſicut comparatio unius ad alterum dicitur habitus ſeu habitudo σχέσις.

Quo-

Quomodo uocatur comparatio duorum numerorum?

Ratio. λόγος, quæq; ab Euclide 3.d.5. definitur. λόγος ἐστὶ δύο μεγεθῶν ὁμογενῶν ἡ κατὰ πηλικότητα πρὸς ἄλληλα ποιὰ σχέσις: Ratio eſt duarum magnitudinum homogenearum ſecundùm quantitatem inter ſe quædam habitudo. De hac non loquimur hic.

Quænam eſt comparatio plurium numerorum?

Eſt proportio, ἀναλογία: quæ ab Euclide 4 d. 5 ſic definitur, ἡ ἀναλογία ἐστὶ τῶν λόγων ὁμοιότης. Proportio eſt rationum ſimilitudo. Nam quæ proportiones eandem habent rationem, ἀνάλογοι, id eſt, proportionales dicuntur 7.d.5. Hanc Ariſtoteles libri huius cap.3. uidetur attribuere numeris, cum ait: τὸ γὰρ ἀνάλογον οὐ μόνον ἐστὶ μοναδικοῦ ἀριθμοῦ ἴδιον, ἀλλ' ὅλως ἀριθμοῦ: analogia non ſolùm eſt abſoluti numeri propria, ſed omninò numeri: Verùm cum idem ait, ut ſutor eſt ad calceum, ſic architectus ad domum: non dicit rationem duplam, ſeſquialteram, aut quampiam aliam numeratarum rerum: ſed generaliter & Logicè loquitur. Et tamen idem Ariſtot. lib.1. Poſt. cap.5. ſophiſticam ait eſſe doctrinam analogiæ numeris aut magnitudinibus accommodatam. Ita Ariſtoteles ille Logicus accuratior eſt hoc Ethico: qui tamen non pater Ariſtoteles, ſed filius quibuſdam uidetur. Sed utcunq; ſit: hæc minimùm eſt in tribus terminis, ἐν τρισὶν ὅροις ἐλαχίστοις ἐστίν: ut Euclides ait 9.d.5.

Quottuplex eſt Proportio?

Duplex: Arithmetica & Geometrica.

Quid eſt Arithmetica?

Eſt æqualitas differentiarum, ut in 12. 10. 8. 6. utrobique

enim

Digitized by Google

enim eſt 2 pro differentia, etiam inuerſè & alternè ἀνάπαλιν καὶ ἐναλλάξ. Vt enim 6. ad 8 ſic 10. ad 12. Vna enim differentia 2. eſt. Item ut 12. ad 8 ſic 10. ad 6. Differentia enim utrobique eſt 4.

Quottuplex eſt Arithmetica proportio?

Duplex. Continua συνεχὴς & Diſiuncta διῃρημένη.

Quid eſt Continua?

In qua medius terminus utriq; extremorum comparatur: quæ & ipſa ab Ariſtotele 4. terminis conſtare dicitur, cum inquit: καὶ συνεχὴς ἐν τέτταρσιν: τῷ γὰρ ἑνὶ ὡς δυσὶ χρήσεται, καὶ δὶς λέγει. Vt in 8. 6 4. differentiæ ſunt æquales, utrobiq; enim eſt binarius & medius bis ſumitur: ſicut enim ſe habent 8. ad 6 ita 6. ad 4.

Quid eſt Diſiuncta?

In qua termini 4. actu ſunt, ut

12. 8. 6. 2. utrobiq; enim differentia eſt 4.

Quid eſt Geometrica proportio?

Eſt rationum æqualitas. ut 3. 6. 4. 8. tum directè, ut 3 ad 6. ſic 4 ad 8. tum inuerſè, ut 8. ad 4. ſic 6. ad 3. & alternè ut 3. ad 4 ſic 6. ad 8.

Quottuplex eſt?

Duplex. Continua & Diſiuncta.

Quid eſt Continua?

Eſt quando quæ ratio eſt primi termini ad ſecundum, eadem eſt ſecundi ad tertium. ut in 2. 4 8. utrobiq; enim eſt ratio dupla.

Quid eſt Diſiuncta?

Quando quæ eſt ratio primi ad ſecundum, eadem eſt tertij

ad

Digitized by Google

ad quartum. Hîc enim 4. termini actu ſunt. ut in 12. 6.8.4. utrobiq; enim eſt ratio dupla.

Quis eſt uſus harum Proportionum in hac doctrina de Iuſtitia?

Ariſtoteles duas ſpecies Iuſtitiæ declarat, & diſtinguit per ſpecies proportionum: Diſtributiuam, ſcilicet per Geometricam: Correctiuã per Arithmeticã: Vtriuſq; enim uirtutis fons eſt Aequalitas: ſed alia Arithmetica eſt, alia Geometrica.

Cur in Diſtributiua, proportio Geometrica conſideratur?

Quia ſicut hîc rationum æqualitas eſt, ſed differentiarum inæqualitas: ita perſonarum ordo (quem inſtituit Diſtributiua iuſtitia) κατ' ἀξίαν conſeruandus eſt: ut iiſdem officia & functiones accommodatè tribuantur. Quare huic ab Ariſtotele iuſtitia διανεμητική *comparatur, quæ diſtribuit & ſtatuit ſuum cuiq; pro dignitate: & monet ut conſideremus ubi uiuamus. inter quas perſonas uerſemur, quem locum ſingulis tribuere deceat & gradus conſtituit. Hac igitur proportione accidit, ut in militia non ſit mercedis æqualitas: plus enim triarijs, quàm militibus leuis armaturæ penditur. Et Reſp. nequit conſiſtere, in qua ingeniorum & meritorum non ſunt gradus. Sit ergo Cicero gubernator togatus, ſit Marius bellator, ſit prætor Aquilius, ſit quæſtor Cato, ſit gubernator ſtudiorum Cratippus. Hic ordo efficit æqualitatẽ inter diſsimiles. Quòd ſi pari loco ignauiſsimi quilibet & contemptiſsimi ſunt: tum confuſio oritur pernicioſa Reip. Vt ſi iuxta Cratetis Thebani dictum dentur coquominæ decem, ſcorto talentum, adulatori talenta decem, philoſopho triobolus, medico drachma, conſiliario fumus. Ideò cum perſonarum ordinatio neceſſaria ſit, rectè Plato dixit:* Optimũ *ſtatum* Reip. *eſſe qui ſit conſtitutus*

Geometrica

Geometrica proportione. Delirant ergo Anabaptiſtæ, qui ſub lato ordine, inter omnes ἰσονομίαν eſſe uolūt: delirabat et philoſophaſter ille, qui in Iro & Crœſo æqualem liberalitatē affectabat. Et apud Plutarchū ſympoſiarcha damnatur, quòd Arithmeticā proportionem ſpectarit. Nam, ut Plutarchus ait, in cōuiuium pergit quiſq; proprium afferens uentrem, quē non explet æquale, ſed quod ſatis eſt. Collatio itaq; faciēda eſt, quæ fit ratiocinādo ex permutata proportione. Res enim primò cōſiderādæ ſunt: poſtea fit permutatio terminorū. Nam cuilibet perſonæ ſuæ res accommodantur: id uocat Ariſtoteles totū ad totū comparari. Sic enim ait: Sicut partes inter ſe comparantur: ita totum ad totum. συμβαίνει καὶ ὅλον πρὸς ὅλον, ὥσπερ ἑκάτερον πρὸς ἑκάτερον. Partes uocat ſingulos terminos: ut cum res ad res, perſonæ ad perſonas conferuntur: hoc fit in antecedente. Totum autē uocat perſonam & rem ſimul, quod fit in conſequenti: Vt ſicut ſe habet defenſio in bellis, & gubernatio in pace: ſic ſe habent ars bellatoris, & literæ. Ergo ſicut ſe habet defenſio ad artem bellatoris, ſic gubernatio in pace ad literas. Etſi itaq; longiſsimè differunt bellator & ſcholaſticus: tamen neceſſariam habent connexionem, & fiunt æquales nō rebus ſed proportionum ſimilitudine: ſicut Paulus dixit inter Chriſtianos debere æqualitatem eſſe, ſcilicet Geometrica proportione, non Arithmetica. Quiſq; igitur ſuo loco ſciat alios ſibi connexos eſſe, & ſuum officium faciat, & connexos nō impediat. Mutantur enim imperia conturbata hac connexione. Iuſtum itaque diſtributiuum ἀνάλογον eſt: iniuſtum contra παρὰ τὸ ἀνάλογον: cum alij præter dignitatem plus obtinent, alij minus· ſiue id in bonis, ſiue malis accidat. Minus enim malū reſpectu maioris, bonū eſſe uidetur. ἐν ἀγαθοῦ γὰρ λόγῳ γίνεται τὸ ἔλαττον κακὸν, μᾶλλον αἱρετὸν τοῦ μείζονος.

Cur

Cur in Correctiua Iuſtitia, conſideratur proportio Arithmetica?

Quia ſicut hic æqualitas differentiarum eſt, ſed rationum inæqualitas: ita rerum æqualitas in iuſtitia Correctiua ſpectatur ſine reſpectu perſonarum. Nam iuſtitia διορθωτικὴ, quæ in commercijs emendandis & corrigendis conſiſtit, æquale exigit ἀριθμητικῶς id eſt, ut in contractibus, iudicijs, pœnis, lucris, damnis fiat rerum æſtimatio & compenſatio. Hanc enim uult effici in rerum communicatione quæ cum fiat uictus cauſa, ideoq́ in infinitum uagetur: neceſſe eſt in ea ſummam æqualitatem effici. Nequaquam enim perpetua communicatio eſſe poſſet, niſi mutuæ uices eſſent. Quia ſi qui darent ſine æquali compenſatione: ij tandem exhauſti, fame perirent. Verſatur ergo τὸ διορθωτικὸν in contractibus nō ſecundum proportionem Geometricam (in qua communia diſtribuuntur certa ratione, ſicut fit in pecuniarijs ſocietatibus, in quibus partiuntur ſocij lucrum ex ea ſorte quam quiſq; contulit. κατὰ τὰ εἰσενεχθέντα) ſed ſecundum Arithmeticam. Nihil enim refert utrum uir bonus malum, an malus bonum fraudarit. Nam lex tantum differentiam damni conſiderat: itaq; iniuriam illam ad æqualitatem reducere conatur iudex, τὸ ἄδικον τοῦτο, ἄνισον ὄν, ἰσάζειν πειρᾶται ὁ δικαστὴς. Diuiditur enim ipſa paſsio & actio in inæqualia. διῄρηται γὰρ τὸ πάθος καὶ ἡ πρᾶξις εἰς ἄνισα.

Quomodo fit illa exæquatio à iudice?

Iudex illam inæqualitatem exæquat, & ad æqualitatem reducere conatur per damnum, detrahendo alteri lucrum: πειρᾶται τῇ ζημίᾳ ἰσάζειν, ἀφαιρῶν τὸ κέρδος. Itaq; iuſtū

correctiuum

correctiuum eſt medium inter damnum & lucrum, τὸ ἐπανορθωτικὸν δίκαιον μέσον ζημίας καὶ κέρδους. Ideóque cum *contendunt inter ſe aliqui, ad iudicem confugiunt, tanquam ad ius. Eſt enim iudex nihil aliud quam ius animatum.* Qua*re cum iudices hanc iuſtitiam in conſilium adhibent,* μεσόδικοι *nuncupantur, tanquam medij iuris.* Datur enim ſuum *cuique, dum quiſque medium aſſequitur.* Sunt enim in hac *duo extrema, maius & minus: ſed horum medium eſt emendatiuum & correctiuum: quod apparet in linea in duas partes diuiſa, quarum ſi cuilibet contrahentium contingat una pars, habebunt æqualia. Si enim merx & precium ſunt æquales partes, ſicut duæ partes lineæ ſunt æquales, ſi ſit diuiſa in duo æqualia: tunc eſt iuſtus contractus. Et ſicut in lineis depræhenditur quantum uni detractum ſit, & quantum alteri acceſſerit: ita in merce & pretio idem animaduertendum eſt, & æqualitas tanquam linearum efficienda, Vnde Græcis* δίκαιον *dicitur* ὅτι δίχα ἐστι, *quòd bifariam diuidat, quaſi dicat* δίχαιον: & δικαστὴς *iudex, quaſi* διχαστὴς. Ireſconſultis *Vir bonus*, Germanis Biderman, *quaſi* Beiderman: id eſt, mediator, μεσίτης. *Atque hæc in contractibus: uerùm in artibus ad uitam degendam neceſſarijs* idem ius διορθωτικὸν *requiritur. Vbique enim talis æqualitas mercis ſeu operarum, & precij ſeruari oportet: cuius correctio non modo ad iudicem aut prætorem ſpectat, ſed etiam ad ipſos contrahentes tanquam uiros bonos,* als Biderleuth. *Niſi enim analogia iſta in commercijs obſeruaretur ut quantum quis accipit, tantundem uiciſſim alteri det, commercia certè omnia tollerentur.* ἀνῃρεῖτο γὰρ ἄν, εἰ μὴ ἐποίει τὸ ποιοῦν καὶ ὅσον καὶ οἷον, καὶ τὸ πάσχον ἔπασχε τοῦτο καὶ τοσοῦτο καὶ τοιοῦτο.

Vnde

Vnde ſumptæ ſunt appellationes lucri & damni, ζημίας καὶ κέρδους?

Sumptæ ſunt à contractibus uoluntarijs. ἐν τοῖς ἑκουσίοις ἀλλαγαῖς. Quanquam enim propriè in uoluntarijs contractibus lucrum & damnum dicatur: tamen & in uoluntarijs eadem uſurpantur μεταφορικῶς: ut is qui pulſatus eſt dicatur minus habere. ſcilicet libertatis: qui uerò pulſauit, plus habere, ne intelligamus eum lucrari qui plus habet plagarum.

Quid ſibi uoluerunt Pythagoræi, qui iuſtum dixerunt eſſe ἀντιπεπονθός?

Cap. 5.

Ariſtoteles iuſtum dixit eſſe ἀνάλογον: Pythagoras ἀντιπεπονθός. Vtraq; forma loquendi Geometrica eſt. Ἀντιπεπονθὸς enim eſt reciprocatio in figuris æqualibus, quæ Ariſto teli in numeris eſt ἀντιστροφὴ ἀναλογίας καὶ ἀναλογία ἀνάπαλιν. Vt dicitur, ſi 20. pondo deſcendunt horis 2, 40. deſcendunt hora 1. Hic 20 & 2. primam figuram faciunt: 40. & 1. ſecundam: lateraq; reciprocantur. 20. ad 40. 1. ad 2.

Cur ergo Ariſtoteles definitionem Pythagoricam repræhendit?

Quia τὸ ἀντιπεπονθός. id eſt, Talionem, das Widergeltē, ſimpliciter iuſtum eſſe putabant, quale uir Rhadamanthi dicebant eſſe, de quo illud uetus:

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη τ' ἰθεῖα γένοιτο.

Si patiatur quis quod fecit, rectum erit ius.

Sed non ſemper iuſtum eſt pati mutuum aut talionem. Nam quod ad Diſtributiuam iuſtitiam attinet, cum magiſtratus aliquem pulſauerit, is non uiciſſim pulſandus eſt: at cum quis

Digitized by Google

magiſtratum pulſauerit, is non ſolùm uiciſsim pulſandus eſt, ſed etiam ſupplicio afficiendus. οὐ δεῖ μόνον πληγῆναι, ἀλλὰ καὶ κολασθῆναι. Multum etiam intereſt, an uolens aliquis aliquem pulſet, an uerò inuitus. τὸ γὰρ ἑκούσιον καὶ τὸ ἀκούσιον διαφέρει πολύ. In commutatiua quoque iuſtitia non ſemper fieri poteſt commutatio rerum duarum ſimpliciter æqualium, ut libræ auri & libræ ferri: nec eadem redduntur pro iiſdem, ut triticum pro tritico, uinum pro uino. Nec in diſtributiua igitur iuſtitia, nec in commutatiua locum ſimpliciter habet talio. Iuſtitia enim non eſt propriè mutuum pati, id eſt, idem reddere: ſed æqualia ſecundùm proportionem. Cæterùm in Rebuſpub. conſtat crebrò pœnam talionis exerceri, ut in paribus, ubi id concedit proportio: et de hac pœna talionis intelligi uerſus Rhadamanthi debet. Atq; hæc lex & notitia diuinitus ſancita eſt & hominibus inſita, quæ indicant iniurias penſandas eſſe paribus pœnis. Et quidem Deus obſeruat ipſe ſuam legē, etiam ubi ceſſant magiſtratus: ut cum punit homicidas, qui humana iudicia euaſerunt: cum tyrannos & ſeditioſos uiciſsim occidi curat. Ideoq; Chriſtus admonet nos huius legis: Qua menſura menſi fueritis, eadem remetientur uobis. Et in uetuſtis legibus multò crebriora exempla ſunt talionis, quàm in recentibus. Nam initiò longè maior ſeueritas fuit, quàm poſtea. Vide cap. 21. Exod. Iuſtinianum lib. 4. Inſtit. tit. de iniuria. Gellium lib. 20. cap. 1.

Si non ſimpliciter Talio eſt in iuſtitia Correctiua, quomodo igitur in ea erit?


Eſt in ea ſecundùm proportionem, non ſecundùm æqualitatem rerum. Factis enim proportione reciprocis in quotidianis contractibus uitæ politicæ, manet ciuitas. Ἐν ταῖς κοινω-

νίαις

νίαις ταῖς ἀλλακτικαῖς συνέχει τὸ ἀντιπεπονθὸς κατ' ἀναλογίαν καὶ μὴ κατ' ἰσότητα. τῷ ἀντιποιεῖν γὰρ ἀνάλογον συμμένει ἡ πόλις. Itaq; reponere conantur homines malum acceptum. (Niſi enim par pari referant, non uidebuntur communi libertate frui.) Gratiam quoq; pro accepto beneficio referunt. Niſi enim hoc fiat, non erit communio, ideoq́; nec ciuitas, μετάδοσις οὐ γίνεται· τῇ μεταδόσει δὲ συμμένουσι. Itaq; Gratiarum templum ueteres in conſpicuo urbis loco conſtituebant, ut ad remunerationem ciues ſuos hortarentur. Remuneratio autem gratiæ propria eſt, ut ſcilicet & gratum te oſtendas erga eum, qui erga te beneficus fuit, & hac ipſa gratitudine eius erga te beneficentiam augeas. Διὸ χαρίτων ἱερὸν ἐμποδὼν ποιοῦνται, ἵνα ἀνταπόδοσις ᾖ· τοῦτο γὰρ χάριτος ἴδιον. ἀνθυπηρετῆσαι γὰρ δεῖ τῷ χαρισαμένῳ καὶ πάλιν αὐτὸν ἄρξαι χαριζόμενον.

Quomodo ergo fit ἀντιπεπονθός?

Si medijs tranſuerſis lineis termini, quorum proportio eadem debet eſſe, coniungantur. ποιεῖ γὰρ τὴν ἀντίδοσιν τὴν κατ' ἀναλογίαν, ἡ κατὰ διάμετρον σύζευξις: ut



Aenigmata mihi dicere uideris: explica id quæſo apertiùs & craſsiùs.

In ſumma hoc uult Ariſtoteles, ut res primò ad æqualitatẽ redigantur: & ſic cum duæ res exæquatæ fuerint precio, et poſtea ſucceſſerit commutatio, perſonæ quoq; æquales erunt: &

ἀντιπεπονθὸς ſequetur. Cum enim unius opus alterius opere præſtabilius eſt. oportet ea inter ſe æquari: quod in omnibus artificijs locum habet. Quoniam enim ex diuerſa artificibus ciuitas conſtat (Non enim ex duobus medicis fit communio, ſed ex medico & agricola) neceſſe eſt illorũ opera exæquari.

Quomodo exæquatur res?

Ea quæ permutanda ſunt, oportet ut inter ſe quodammodo comparari poſsint. δεῖ συμβλητά πως εἶναι πάντα ὧν ἐστὶν ἀλλαγή. Vt ſicut ſe habent faber & architectus: ita calceus & domus. Deinde oportet id ad quod alia comparantur, tale eſſe quod cæteras res omnes metiatur. δεῖ ἑνί τινι πάντα μετρεῖσθαι. Id autem reuera eſt Indigentia & Nummus. Nam primò ipſa Merx æſtimanda eſt Geometrica comparatione, ſcilicet ex Indigentia, quæ omnia continet, ἡ χρεία πάντα συνέχει ὥσπερ ἕν τι ὄν. Nam ſi nulla re egerent homines, aut ſi non ſimiliter. nulla uel non eadem eſſet permutatio. Conſtituit igitur Indigentia gradus pretij & res redigit ad æqualitatem: Vt magis eſt opus tritico quàm lignis, & minor eſt copia tritici: ideò eius maior eſt æſtimatio: & nunc triticum ualet pluris, cùm magis indigenus. Nam neceſsitas addita frumenti modio, efficit ut modus qui decem per ſe emebatur, nunc ematur uiginti. Sic ergo indigentia res uel magni uel parui precij facit: arbitrio tamen boni uiri, non auari fœneratoris. Deinde rebus ſic æſtimatis, ijs qui res alias afferre non poſſent, aliud quiddam æquiualens inſtitutum eſt, ſcilicet precium ſeu Nummus.

Ad quem finem inſtitutus eſt Nummus?

1 Vt ſit uicarius & uelut interpres indigentiæ, non quidem per ſe & ex ſui natura (quid enim uilius nummo?) ſed ex pacto & con-

& conuento hominum. ἐστιν ὑπάλλαγμα τῆς χρείας κατὰ συνθήκην καὶ διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον. *Eſt autem uicarius non modò præſentis, ſed etiam futuræ indigentiæ: & quaſi fideiuſſor quidam, ut quamuis in præſentia nulla re egemus, tamen quia aliquando egere poſſumus, nummum habeamus, quo neceſſaria omnia emamus.* ὑπὲρ τῆς μελλούσης ἀλλαγῆς τὸ νόμισμα οἷον ἐγγυητής ἐστιν ἡμῖν. δεῖ γὰρ τοῦτο φέροντι εἶναι λαβεῖν. *Vide l. 1. De contrah. empt.*

2. *Vt ſit menſura omnium. Nam etſi non ſemper æqualem uim habet,* οὐκ ἀεὶ ἴσον δύναται: *tamen minus mutatur quàm cæteræ res: atq; adeò omnia numo æſtimari & taxari oportet:* δεῖ πάντα τετιμῆσθαι. *ſic enim & permutatio & ſocietas cõſeruabitur, Numus itaq; tanquam menſura eſt omniũ rerum, quas æſtimatione æquales reddit:* τὸ δὴ νόμισμα, ὥσπερ μέτρον, σύμμετρα ποιῆσαν ἰσάζει. *Niſi enim ſit permutatio, nõ erit ſocietas: niſi æqualitas, non erit permutatio: niſi* συμμετρία, *non erit æqualitas.*

Cum hactenus Iuſtitiæ definitio & ſpecies explicatæ ſunt, quæ'nam ſunt eius diſparata?

Iuſtitia cõſiſtit in iuſtè agendo, ἐν τῷ δικαιοπραγεῖν. *eſt autem* δικαιοπραγία *iuſta actio, medium inter duas iniuſtas actiones,* τὸ ἀδικεῖν καὶ ἀδικεῖσθαι: *tanquam inter plus & minus Iuſtitia itaq; etiam mediocritas eſt, non ut cæteræ uirtutes, ſed eius quod medium ſeu æquale eſt. Eius contrarium eſt iniuſtitia* ἀδικία, *quæ nimium & parum comprehendit commodi & incommodi, quæ inæqualia ſunt & à proportione aliena.* ἀδικία ἐστὶν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις τοῦ ὠφελίμου ἢ

Digitized by Google

ἀντιπεπονθὸς ſequetur. Cum enim unius opus alterius opere præſtabilius eſt.oportet ea inter ſe æquari: quod in omnibus artificiis locum habet. Quoniam enim ex diuerſa artificibus ciuitas conſtat (Non enim ex duobus medicis fit communio, ſed ex medico & agricola) neceſſe eſt illorũ opera exæquari.

Quomodo exæquatur res?

Ba quæ permutanda ſunt, oportet ut inter ſe quodammodo comparari poſsint. δεῖ συμβλητά πως εἶναι πάντα ὧν ἐστιν ἀλλαγή. Vt ſicut ſe habent faber & architectus: ita calceus & domus. Deinde oportet id ad quod alia comparantur, tale eſſe quod cæteras res omnes metiatur. δεῖ ἑνί τινι πάντα μετρεῖσθαι. Id autem reuera eſt Indigentia & Nummus. Nam primò ipſa Merx æſtimanda eſt Geometrica comparatione, ſcilicet ex Indigentia, quæ omnia continet, ἡ χρεία πάντα συνέχει ὥσπερ ἕν τι ὄν. Nam ſi nulla re egerent homines, aut ſi non ſimiliter. nulla uel non eadem eſſet permutatio. Conſtituit igitur Indigentia gradus pretii & res redigit ad æqualitatem: Vt magis eſt opus tritico quàm lignis, & minor eſt copia tritici: ideò eius maior eſt æſtimatio: & nunc triticum ualet pluris, cùm magis indigenus. Nam neceſsitas addita frumenti modio, efficit ut modus qui decem per ſe emebatur, nunc ematur uiginti. Sic ergo indigentia res uel magni uel parui precii facit: arbitrio tamen boni uiri, non auari fœneratoris. Deinde rebus ſic æſtimatis, iis qui res alias afferre non poſſent, aliud quiddam æquiualens inſtitutum eſt, ſcilicet precium ſeu Nummus.

Ad quem finem inſtitutus eſt Nummus?

1 *Vt ſit uicarius & uelut interpres indigentiæ, non quidem per ſe & ex ſui natura (quid enim uilius nummo?) ſed ex pacto & con-*

& conuento hominum. ἐστιν ὑπάλλαγμα τῆς χρείας κατὰ συνθήκην καὶ διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, καὶ ἐφ' ἡμῖν μεταβάλλειν καὶ ποιῆσαι ἄχρηστον. *Eſt autem uicarius non modò præſentis, ſed etiam futuræ indigentiæ: & quaſi fideiuſſor quidam, ut quamuis in præſentia nulla re egemus, tamen quia aliquando egere poſſumus, nummum habeamus, quo neceſſaria omnia emamus.* ὑπὲρ τῆς μελλούσης ἀλλαγῆς τὸ νόμισμα οἷον ἐγγυητής ἐστιν ἡμῖν. δεῖ γὰρ τοῦτο φέροντι εἶναι λαβεῖν. *Vide l. 1. De contrah. empt.*

2. *Vt ſit menſura omnium. Nam etſi non ſemper æqualem uim habet,* οὐκ ἀεὶ ἴσον δύναται: *tamen minus mutatur quàm cæteræ res: atq; adeò omnia numo æſtimari & taxari oportet:* δεῖ πάντα τετιμῆσθαι. *ſic enim & permutatio & ſocietas cõſeruabitur, Numus itaq; tanquàm menſura eſt omniũ rerum, quas æſtimatione æquales reddit:* τὸ δὴ νόμισμα, ὥσπερ μέσον, σύμμετρα ποιῆσαν ἰσάζει. *Niſi enim ſit permutatio, nõ erit ſocietas: niſi æqualitas, non erit permutatio: niſi* συμμετρία, *non erit æqualitas.*

Cum hactenus Iuſtitiæ definitio & ſpecies explicatæ ſunt, quæ'nam ſunt eius diſparata?

Iuſtitia cõſiſtit in iuſtè agendo, ἐν τῷ δικαιοπραγεῖν. *eſt autem* δικαιοπραγία *iuſta actio, medium inter duas iniuſtas actiones,* τὸ ἀδικεῖν καὶ ἀδικεῖσθαι: *tanquam inter plus & minus Iuſtitia itaq; etiam mediocritas eſt, non ut cæteræ uirtutes, ſed eius quod medium ſeu æquale eſt. Eius contrarium eſt iniuſtitia* ἀδικία, *quæ nimium & parum comprehendit commodi & incommodi, quæ inæqualia ſunt & à proportione aliena.* ἀδικία ἐστιν ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις τοῦ ὠφελίμου ἢ

βλαβερῷ παρὰ τὸ ἀνάλογον. Iniuſta quoq; actio τὸ ἀδίκημα, duo continet extrema: Minus eſt ἀδικεῖσθαι, iniuriam accipere: Maius ἀδικεῖν, iniuriam inferre.

DE IVRE.

Quottuplex eſt Ius?

Duplex. Ciuile, πολιτικὸν: & Oeconomicum ſeu herile.

Quid eſt Ius Ciuile?

Quod mutuam æqualitatem inter pares conſeruat iudicio rationis. Eſt enim ius ciuile in ijs qui communitate & ſocietate uitæ inter ſe coniuncti ſunt: ut homines liberi & æquales proportione uel numero, copia rerum ad uitam neceſſariarum per ſe abundent. τὸ ἁπλῶς δίκαιον καὶ τὸ πολιτικὸν δίκαιον, ἐστὶ ἐπὶ κοινωνῶν βίου πρὸς τὸ εἶναι αὐτάρκειαν ἐλευθέρων καὶ ἴσων ἢ κατὰ ἀναλογίαν ἢ κατ᾽ ἀριθμόν.

Qua ratione autem dirigitur ius Politicum?

Ius ciuile Legibus definitum eſſe oportet. Vbicunq; enim lex eſt, ibi etiam ius eſt, & iniuſtitia. Iudicum enim iuris & iniuriæ diſceptatio eſt. Itaq; in benè conſtituit Rebuſpub. non homines, ſed leges imperant. Homo enim quamuis iuſtiſſimus, interdum iuſti regulam quouis tandem prætextu tranſiliet, & fiet tyrannus. Eſt autem magiſtratus cuſtos iuſtitiæ & æqualitatis. ἔστι ὁ ἄρχων φύλαξ τοῦ δικαίου καὶ ἴσου: qui cum alijs laboret, ciuitas uiciſſim grata eſſe debet & præmium ei dare, honorem & decus: Quibus qui contenti non ſunt, ij tyranni euadunt.

Quid eſt Oeconomicum ius?

Quod uerſatur inter nos & res noſtras: & à ciuili diſcrepat:

pat: neq; enim ius ſecundùm leges in œconomicis actionibus eſt. Sed cùm uarias ſpecies habeat, aliquo modo cum politico conſentit. Nam πατρικὸν δίκαιον paternum ius, politico quidem non admodum ſimile eſt, propterea quòd uiciſsitudo imperandi hìc nulla eſt ut in politico: ſicut nec δεσποτικὸν herile, politico ſimile eſt. quia nec in illo uiciſsitudo imperij eſt inter dominum & ſeruos. Mariti tamen imperium in coniugem τὸ γαμικὸν δίκαιον proximè ad ius politicum accedit. Et ſi enim maritus uxori in pleriſq; imperat, in aliquibus tamen paret: Et talis uiciſsitudo in politico eſt, ἐν ᾧ ὑπάρχει ἰσότης τοῦ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι.

Quottuplex eſt Politicum ius? Cap. 7.

Duplex. Naturale ſeu primum φυσικὸν ἢ πρῶτον: & Legitimum ſeu humanum, νομικόν, ἀνθρώπινον, μὴ φυσικόν, τὸ κατὰ συνθήκην, τὸ συμφέρον.

Quid eſt Naturale ius?

Quod apud omnes homines eodē modo ſe habet. τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν καὶ οὐ τῷ δοκεῖν ἢ μή, Sicut ignis & hìc & apud Perſas eodem modo urit.

Eſt'ne ius naturæ mutabile?

Gradus ſunt quidam inter ea quæ dicuntur eſſe Iuris naturalis. Naturalia enim quædam habent neceſſarias cauſas, quædam probabiles tantum & contingentes. Illa ſunt ſimpliciter immutabilia: qualia ſunt pacta ſeruare, res diuidere, contractus inſtituere, magiſtratibus obtemperare, latrones bello depellere. Hæc aūt interdum autoritate legumlatorū mutantur: & licet ſint naturæ conſentanea: tamen differunt à primo gradu & ſunt aliquo modo uoluntati magiſtratuū ſubiecta: quia cū ſint reipſa mutabilia, oportet ea determinari ad alterā partē per Magiſtratū. Magis enim ad unam partem feruntur

quàm ad alterã, etſi ſine naturæ corruptione mutari poſſunt. Vt dextra naturaliter magis utuntur homines, & tamen ſine corruptione naturæ ſiniſtra magis uti aliqui poſſunt. Talia etiam referuntur ad ius naturæ ſeu gentium, ut ſunt hæc: Non habere ſimul plures uxores, uſuras illicitas eſſe. Hæc aliquando mutata ſunt autoritate legiſlatorum.

Quid eſt ius Legitimum?

Eſt decretum legitimæ poteſtatis, non pugnans cum iure naturæ, ſed addens ad illud circumſtantiã aliquam probabili ratione. Vt eſt, furem laqueo punire, puellam in feudo nõ ſuccedere. Valetq; hoc ius non ſolùm propter autoritatem magiſtratus, ſed etiam propter probabilem rationem, ſumptam uel ex lege naturæ, uel circumſtantia aliqua. Eſt autem hoc ius mutabile & ſimile menſuris frugum. Quemadmodum enim menſuræ uini & frumenti non ſunt ubiq; æquales: ita neq; poſitiua ſeu legitima iura eadem ubiq; ſunt. Nam nec Reſpub. una & eadem apud omnes eſt, excepta optima: hoc eſt, illa præcipua ſunt & maximè neceſſaria in ciuitatibus, quæ ſunt iuris naturæ, & ea pars eſt pulcherrima ciuilium rerum. Itaq; ſi qua eſt ciuitas, quæ aliqua in re diſcedit à iure naturæ, non eſt uocanda ciuitas, ſed confuſio & barbaries. Vt apud Sibaritas proſtituebantur nouæ nuptæ: & alia multa in alijs ciuitatibus contra naturam recepta ſunt: in iſtis ciuitatibus defuit illa optima forma ſeu pars ciuilium rerum.

Quot ſunt conſid. in iure Legitimo?

Tria. 1. Natura legis. 2. Genera delictorum. 3. Diſcrimen ſummi iuris & æquitatis.

Quæ'nam eſt natura Legis?

Leges dicit Ariſtoteles uniuerſales eſſe, id eſt, non poſſe de

ſingulis

ſingulis caſibus ferri: ſed genus aliquod in lege poni, quod frequentius accidat, ad quod facta ſimilia referenda ſint.

Quot ſunt genera delictorum? Cap. 8.

Duo: quædam enim ſunt uoluntaria ἑκούσια, quædam non uoluntaria ἀκούσια.

Quottuplicia ſunt Voluntaria?

Duplicia: quædam enim cum ignorantia fiunt, quædã cum ſcientia. Quæ cum ignorantia fiunt παραλόγως inopinatò, illa propriè dicuntur ἀτυχήματα infortunia: quæ uerò μὴ παραλόγως non inopinatò, illa ἁμαρτήματα peccata dicuntur. Illa autem quæ cum ſcientia fiunt, ἀδικήματα dicuntur: eaq; fiunt uel ſine deliberatione & affectu quodã: uel cum deliberatione: & propter iſta peccata conſultò commiſſa improbi & iniuſti appellantur homines.

Quottuplicia ſunt Inuoluntaria?

Duplicia. Eorum enim quædã ueniam merentur, quædam non merentur. τῶν ἀκουσίων τὰ μέν ἐστι συγγνωμονικά, τὰ δ᾽ οὐ συγγνωμονικά. Veniam merentur quæ errore facti contingunt: ut ſi quis de tecto caſu proijcit lapidem non in uiam publicam & ferit aliquem. Non merentur ueniam quæ fiunt affectu aliquo, qui non eſt naturalis aut homine dignus: ut ſi quis ebrius occidit aliquem.

Quod'nam eſt diſcrimen ſummi iuris & æquitatis? Cap. 10.

Aequitas à iuſto in genere non diſcrepat, ſed in aliqua circumſtantia. Summum enim ius τὸ ἀκριβοδίκαιον, eſt obſeruatio ſcripti in eo caſu, de quo ſcriptũ principaliter loquitur. Aequitas autem τὸ ἐπιεικὲς eſt mitigatio iuris ſcripti in caſu,

de quo non principaliter loquitur lex Itaq; cum iudicium ſem
per aliqua lege conſtitutum ſit: iudex æquus non ſolùm legem
in cōſilium aduocat: ſed ad eam interpretandam, religionem,
fidem, æquitatem adhibet, ut ſecūdum ſententiā legis iudicet.
Idem ergo eſt ius & æquitas: æquitas tamē melior eſt ſimplici
iure. τὸ αὐτὸ δίκαιον καὶ ἐπιεικές. ἀμφοῖν ἢ σπουδαίοιν ὄν-
τοιν κρεῖττον τὸ ἐπιεικές. Eſt autem æquitas ius non ſecun-
dùm legem, ſed correctio legitimi iuris: ἐπανόρθωμα τοῦ νο-
μίμου δικαίου. Cauſa autē eſt, quòd lex omnis uniuerſalis eſſe
debet: impoſſibile autem eſt omnia particularia communi &
generali ratione complecti Ergo legislator ex poſſibilibus id
quod ut plurimum contingere ſolet, ſumit: non ignorans defe
ctum: Non enim culpa eſt in lege aut legislatore, ſed in natura
rerum, quæ ſub actionem cadunt, uaria & inconſtanti. Quare
cum lex uniuerſalis eſt, & aliquid præter illam generalitatem
accedit, tum quatenus deficit lex, æquitas ſuccurrit, & legem
ita ſupplet, ut ne legislatori quidem, ſi præſens eſſet, interpre-
tatio iſta diſplicere poſſet: imò ſi ſciuiſſet, proculdubio de ijs
legem tuliſſet. Eſt itaq; hæc Aequitatis natura, ἐπανόρθωμα
νόμου, ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου. Hac enim cauſa eſt cur non
de ſingulis leges ponantur; impoſſibile enim eſt de quibuſdam
legē ferre. Itaq; plebiſcitis opus eſt. Nam rei non definitæ in-
definita quoque regula eſt, ſicut plumbea Lesbiorum regula.
Ex his etiam manifeſtum eſt qui Aequus bonus dicatur: is ſci
licet qui æquum bonum uult ſequi & poteſt ſequi: & in agen
do non eſt ἀκριβοδίκαιος neq; ſummum ius ſequitur, neq; in
deteriorem partem propendet: ſed de ſuo iure cedit, etiamſi le
gē à ſua parte habeat ἐπιεικὴς ἐστιν ὁ τῶν τοιούτων προαι-
ρετικὸς καὶ πρακτικὸς καὶ ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖ-
ρον, ἀλλ' ἐλαττωτικὸς, καίπερ ἔχων τὸν νόμον βοηθόν.

QVAE-

Digitized by Google

QVAESTIONES. Cap. 9.

I. Poteſt'ne ſcienti & uolenti iniuria fieri?

Πότερόν ἐστιν ἑκόντα ἀδικεῖσθαι, ἢ οὔ;

Poteſt aliquis uolens iniuſta pati atq; lædi: ſed nemo uolens iniuria affici poteſt: βλάπτεται τὶς ἑκὼν καὶ τὰ ἄδικα πάσχει. ἀδικεῖται δ᾽ οὐδεὶς ἑκών. *Nemo enim uult iniuriam accipere. Sic cum Glaucus dat aurea arma pro æneis apud Homer. Iliad. ζ. non afficitur iniuria. Dare enim in ipſius poteſtate eſt. Iniuriam autem pati non eſt in eius poteſtate qui patitur, ſed in poteſtate eius qui iniuriam infert.*

II. Vter iniuſtus eſt, qui plus alteri tribuit quàm meretur, an qui plus accipit?

Πότερον ἀδικεῖ ὁ νέμας παρὰ τὴν ἀξίαν τὸ πλεῖον, ἢ ὁ ἔχων;

Is qui alteri plus, ſibi minus tribuit, interdum non eſt iniuſtus: id enim faciunt modeſti homines, οἱ μέτριοι. *Vir enim bonus de ſuo iure cedit.* ὁ γὰρ ἐπιεικὴς ἐλαττωτικός ἐστιν. *Maximè uerò iniuſtus dici non poteſt, ſi plus alij tribuat propter honeſtatem,* τοῦ καλοῦ ἕνεκα. *Nam ſi propter bonum aliquod externum faciat, iam* ἐπλεονέκτει, *plus appeteret, ideóq; iniuſtus eſſet. Interdum uerò eſt iniuſtus, quia in tribuente eſt uoluntas agendi iniuſta, non autem in capiente. Exemplũ eſt in eo qui iniuſtè iudicat. Is enim ſi ſe iniuſtè agere ignorat, iniuriã quidem non facit* κατὰ νομικὸν δίκαιον,

neq;

neq; iniuſtum iudicium appellatur: ſed ſecundùm φυσικὸν δίκαιον iniuriam facit. Si uerò ſcit ſe iniuſtè agere, tum non ſolùm iniuſtè iudicare, uerũ etiam iniuriam facere dicetur, quoniam πλεονεκτεῖ, id eſt, lucri ſtudio iniuſtè iudicat. Videtur enim tanquam ſocius eſſe iniuriæ factæ. Is enim cui plus in iudicio tribuit, plus aufert agri ab altero: hic uerò qui iniuſtè iudicauit, uel plus gratiæ meruit, uel plus pecuniæ accepit ab eo cuius partibus fauit.

III. An iuſtum eſſe uel iniuſtum, in homine ſitum ſit?

Vulgus in ſua poteſtate ſitum eſſe arbitratur iniuſtè pro arbitrio agere, οἱ ἄνθρωποι ἐφ' ἑαυτοῖς οἴονται εἶναι ἀδικεῖν. Ideoq; facilè eſſe putat iuſtum eſſe. Ac adulterium committere, uicinum uerberare, pecunias profundere, facilè eſt & in agentis poteſtate ſitum. Sed ex habitu perfecto agere, τὸ ὡδὶ ἔχοντας ποιεῖν, nec facilè eſt, neque in poteſtate noſtra ſitum.

Cap. 11. IIII. Vtrum quis ſeipſum iniuria afficere poſsit?

Πότερον ἐνδέχεται ἑαυτὸν ἀδικεῖν ἢ οὔ;

Secundum uniuerſalem iniuſtitiam nemo ſibiipſi iniuriam facere poteſt, ſed ſi quæ ſit iniuria, illa legibus & Reip. infertur. Qui enim ſecundum uniuerſalem iniuſtitiam iniuriam facit, ille peccat contra legem, quæ uirtutes ſequi & contraria uitia declinare iubet. Sic qui ſeipſum interficit, iniuſtitia uniuerſali iniuſtus eſt: & iniuriam infert ciuitati. Ideoq; ciuitas ei qui ſeipſum exanimat, ſupplicium ignominiæ intẽtat. Intereſt enim Reipub. ne quis re ſua malè utatur: & nemo eſt dominus membrorum ſuorum: ſed Deus & Lex. Præterea nec ſecundùm particularem iniuſtitiam ſibi iniuriam infert. Neq; enim

ἀδικεῖν

ἀδικεῖν ſeipſum dici debet, neq; etiam à ſeipſo ἀδικεῖσθαι, quoniam ſponte ſua agit: ſed Rempub. iniuria afficit & leges. Poteſt tamẽ iniurius aliquis eſſe erga ſe, cum uel erga ſuorum aliquem tanquam membrum ſuum, iniuſtus eſt in δεσποτικῷ aut οἰκονομικῷ iure: uel erga ſeipſum, cum obſequitur affectibus ſuis: ita ut rationem appetitui ſeruire cogat. Ideoq; Plato nullam iniuriam alteri inferri poſſe dixit, niſi quis prius erga ſeipſum iniurius ſit. Itaq; hæc prior et interna iniuſtitia eſt, quæ cauſa eſt iniuriæ externæ quæ in alium exercetur.

V. Vtrum maius malum eſt iniuriam facere an pati?

Vtrunq; malum eſt, ἄμφω φαῦλα καὶ τὸ ἀδικεῖσθαι καὶ τὸ ἀδικεῖν. Veruntamen maius malum eſt iniuriam facere: id enim nunquam ſine improbitate & uitio fieri poteſt. χεῖρον τὸ ἀδικεῖν: μετὰ κακίας γὰρ καὶ ψεκτὸν ἦν.

LIBER SEXTVS.

DE PRVDENTIA. Cap. 1.

Quid nunc ſequitur?

HActenus de Ethicis ſeu Moralibus uirtutibus diximus, quæ ἐν πράξει ἀγαθοῦ uerſantur: ſequũtur Intellectuales ſeu Dianoëticæ: quæ ἐν θεωρίᾳ τοῦ ἀληθοῦς occupantur: unde ἕξεις ἀληθευτικαὶ dicuntur: ſine quibus ethicæ illæ eſſe nequeunt, ſicut definitio uirtutis ſuprà propoſita indicat, in qua particula fuit, ὡρισμένῃ λόγῳ καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. Eſt enim

Digitized by Google

enim Prudentia nihil aliud quàm ὁ ὀρθὸς λόγος: cuius finis eſt ἀλήθεια.

Cap. 3. **Quot ſunt uirtutes Dianoëticæ ſeu intellectuales?**

Quinq. Scientia, Ars, Prudentia, Intelligentia, Sapientia, ἐπιστήμη, τέχνη, φρόνησις, νοῦς, σοφία.

Quomodo diſtinguit eas Ariſtoteles?

Habitus intellectus ſunt uel
- *Simplices & uel*
  - *Dianoëtici, qui ſunt rerũ uel*
    - *Neceſſariarum, Scientia.*
    - *Contingentium, quarum finis eſt, uel*
      - *Ποίησις, Ars.*
      - *Πρᾶξις, Prudentia.*
  - *Noëtici, ut mens ſeu intelligentia.*
- *Compoſiti ex mente & ſcientia, ut Sapientia.*

I. DE SCIENTIA.

Quid eſt Scientia?

Eſt habitus demonſtratiuus: ἕξις ἀποδεικτική.

Quod'nam eius ſubiectum eſt?

Res perpetuæ quæ ſemper eodem modo ſe habent. Nam id quod ſcimus, aliter ſe habere non poſſe putamus.

II. DE

Digitized by Google

II. DE ARTE. Cap. 4.

Quid eſt Ars?

Eſt habitus effectiuus cum recta ratione, ἐστὶν ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική.

Quod'nam eſt eius ſubiectum?

Res contingentes, τὰ ἐνδεχόμενα, καὶ εἶναι, καὶ μὴ εἶναι. Itaq; quodammodo circa idē uerſantur Ars & Fortuna: ſicut Agathon dicebat: τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην.

DE PRVDENTIA. Cap. 5.

Quid eſt Prudentia?

Eſt habitus actiuus cum ratione. ἐστὶν ἕξις μετὰ λόγου πρακτική, περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά.

Quod'nam eſt eius ſubiectum?

Prudentia uerſatur circa ea quæ ad benè beateq; uiuendū conducere poſſunt, idq; non particulariter, ſed in uniuerſum, quæ homini bona aut mala ſunt, περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά. Finem enim habet εὐπραξίαν. Itaq; Periclem & quoſuis alios prudentes dicūt, quòd ea quæ priuatim & publicè hominibus proſunt præuidere poſſunt. Et ſic prudētes ſunt uel Oeconomici uel Politici. Vt de & Prudentiam Græci σωφροσύνην appellant, quaſi σώζουσαν τὴν φρόνησιν, quòd in ea uirtute prudentia maximè eluceret, quodq; uiciſſim ab ea conſeruari prudentia uideretur.

DE MENTE SEV INtelligentia. Cap. 6.

Quid eſt Mens ſiue Intelligentia?

Eſt habitus cognoſcendorū principiorum, ἐστὶν ἕξις ἀληθὴς περὶ τὰς ἀρχάς. Notitia principiorum.

DE

Digitized by Google

DE SAPIENTIA.

Quottuplex eſt Sapientia?

Duplex. Vna Particularis, κατὰ μέρος. Sic σοφοὶ appellantur qui alicuius artis uel induſtriæ ſunt peritiſſimi, ut Phidias & Polycletus ſtatuarij ſapientiſſimi. Et hæc σοφία nihil aliud eſt quàm ἀρετὴ τῆς τέχνης, hoc eſt, ſumma artis perfectio & excellentia. Altera uniuerſalis, ἡ καθόλου, quæ omnium rerum eſt peritia. Hoc modo σοφία omnium ſcientiarum perfectiſſima erit: uerſatur enim circa res præſtantiſſimas & æternas, circa quas νοῦς & ἐπιστήμη uerſantur: ideoq́ longè prudentia præſtantior eſt.

Quot ſunt conſideranda in Prudentia?

Quinq́. Forma, Species, Partes, Vtilitas, Comparata.

I. Quænam eſt forma Prudentiæ?

Eſt ratio conſultandi περὶ τὰ ἀνθρώπινα, non ſolùm uniuerſaliter, ſed & particulariter. οὐ τῶν καθόλου μόνον ἡ φρόνησις ἐστὶ, ἀλλὰ δεῖ καὶ τὰ καθ᾽ ἕκαστα γνωρίζειν. πρακτικὴ γάρ. ἡ δὲ πρᾶξις περὶ τὰ καθέκαστα. Hinc ſæpè uidemus contingere ut in actionibus politicis uerſati, licet plebeij & indocti, ijs antecellant, qui docti quidem ſunt, uerùm ſingularium actionum imperiti. διὸ καὶ ἔνιοι οὐκ εἰδότες, ἐνίων εἰδότων πρακτικώτεροι, καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις οἱ ἔμπειροι,

II. Quæ-

II. Quæ'nam ſunt ſpecies Prudentiæ?

Prudentia eſt uel erga
- *Alios, πρὸς ἄλλους, eaq; uel*
  - Politica
    - Νομοθετικὴ uel ἀρχιτεκτονικὴ.
    - Πολιτικὴ.
      - Βουλευτικὴ.
      - Δικαστικὴ.
  - Oeconomica.
- *Seipſum, πρὸς αὐτὸν καὶ ἕνα.*

Quid eſt Νομοθετικὴ, Legislatoria?

Quæ legibus uniuerſalibus condendis ac moribus ciuitates exornare ſolet. Atq; hæc præſtantiſſimos uiros multos habuit, Solonem, Lycurgum, Numam, Sulpitium, Scæuolam, Zaſium. Quibus adde omnes eos qui uel de moribus, uel politia uel præceptis uiuendi unquam ſcripſerunt.

Quid eſt Politica?

Quæ Remp. ciuiliaq; tractat cum fide & induſtria, uerſaturq; in particularibus caſibus, factisq; explicandis. Nomine generis πολιτικὴ dicitur. Eſt enim πρακτικὴ ſimul & βουλευτικὴ τῶν καθέκαστα. Tale eſt plebiſcitum, particulare quid & ultimum. Ideoq; eos ſolos, qui in particularibus uerſantur, πολιτεύεσθαι aiunt, & Politicos uocant: Soli enim agunt ut artifices manuarij, χειροτέχναι. Hæc habet duas ſpecies, βουλευτικὴν conſultatricem & δικαστικὴν iudicatricem.

Quid eſt Βουλευτικὴ, conſultatrix?

Eſt qua quid agendum ſit, conſultat.

Digitized by Google

Quid eſt διικατικὴ, iudicatrix?

Quæ quod benè deliberatum eſt & conſultatum, exequitur: honeſtos ciues præmijs ornat, ſceleratos uerò ſupplicijs coërcet.

Quid eſt Oeconomica?

Quæ à cura domus pendet, ſtudioq; rei familiaris.

Quæ'nam eſt prudentia erga ſeipſum?

Eſt αὐτῷ εἰδέναι, *ſibi ſapere, & ea quæ ad ſuam utilitatem ſpectant, prouidere poſſe. Et hac prudentia uulgo ſola uidetur, reliquos qui aliorũ rebus conſulere norunt,* πολυπράγμονας *uocat, id eſt, curioſos & negotioſos. Vulgus enim priuata utilitate omnia metitur, ad eamq; omnia referenda eſſe arbitratur. Ex priuata itaq; utilitate perſequenda Prudentes appellat.* ζητοῦσι γὰρ τὸ αὑτοῖς ἀγαθὸν καὶ οἴονται τοῦτο δεῖν πράττειν.

Quomodo acquiritur Prudentia hæc conſulendi ſuis rebus?

Acquiritur uſu & experientia ἐξ ἐμπειρίας. *Vnde iuuenis non prudẽs, ſed ſapiens eſſe poterit. Caret enim* ἐμπειρία, *ad quam longa ætas requiritur.* νέος ἔμπειρος οὐκ ἔστι. πλῆθος γὰρ χρόνου ποιήσει τὴν ἐμπειρίαν. *Mathematicus quidem & Geometer fieri poteſt iuuenis, quia uniuerſalia ſunt quæ per* διδασκαλίαν *acquiri poſſunt, prudentia autem eſt* περὶ τὰ καθέκαστα.

Cap. 9.

III. Quot ſunt partes Prudentiæ?

Duæ, Εὐβουλία *recta ratio capiendi conſilij, &* Κρίσις *iudicium.*

Quid

Quid eſt Εὐβουλία?

Eſt rectitudo conſiliorum ad benè beateq́; uiuendum conferentium. ἐστιν ὀρθότης κατὰ τὸ συμφέρον πρός τι τέλος, οὗ ἡ φρόνησις ἀληθὴς ὑπόληψις ἐστι.

Quæ'nam eſt cauſa formalis εὐβουλίας?

Eſt rectitudo quæ utitur honeſtis medijs, cuius rei gratiâ quomodo & quando. ὃ δεῖ, ὡς καὶ ὅτε.

Quid intelligis per ὃ δεῖ?

Intelligo bonum, ἀγαθόν, quando uir aliquis probus ſecundùm uirtutem agere cogitat, & honeſtæ actionis uitam modumq́; prudenter inueſtigat. Vnde dicitur ὀρθότης βουλῆς, ἡ ἀγαθοῦ τευκτική.

Quid intelligis per ὡς δεῖ?

Dupliciter enim dicitur τὸ εὖ βεβουλεῦσθαι: Simpliciter & Ad finem aliquem, ἁπλῶς καὶ πρός τι τέλος.

Quid per ὅτε?

Quia cõſilium tardum ſeu maturum eſſe oportet, ἔστι γὰρ πολὺν χρόνον βουλευόμενον τυχεῖν. Econtrà præceps conſilium non eſt εὐβουλία.

Quid eſt Κρίσις? Cap. 10.

Eſt quæ de inuentis & aliorum rebus prudenter iudicat.

Quot ſunt eius partes?

Duæ. Σύνεσις Intelligentia: & Γνώμη Sententia.

Quomodo differunt?

Σύνεσις iudicat exactè, ἀκριβῶς ſecundùm leges ſcriptas. Γνώμη iudicat ex æquo & bono ἐπιεικῶς, ratione omnium circumſtantiarum habita.

Quid eſt Σύνεσις?

Eſt ſpecies prudentiæ, quæ aliorum dicta factaq́; rectè

intelligit, & proinde illa rectè poteſt dijudicare.

Quod'nam eſt eius ſubiectum?

Iudicat res quæ in hominis fuerunt poteſtate, ut de ijs deliberare & conſultare potuerit, antequam eas aggrederetur. περὶ ὧν ἀπορήσειεν ἄν τις καὶ βουλεύσαιτο. *Verſatur itaque circa eadem, circa quæ & prudentia.* Differunt tamen, nam *prudentia* ἐπιτακτική *eſt, præcipit & deliberat quid ſit agendum, ideoq́; etiam* κριτική: σύνεσις *uerò* κριτικὴ *ſolum eſt.*

Cap. 11.

Quid eſt Γνώμη?

Eſt nihil aliud quàm uiri boni & moderati rectum iudicum, ἐστὶ τοῦ ἐπιεικοῦς κρίσις ὀρθή. *Vnde* εὐγνώμονες, & συγγνώμη. Εὐγνώμων *enim eſt qui nulla intercedente offenſa, de ſuo iure cedit:* συγγνώμη *econtrà eſt quæ agnoſcit ijs qui aliquid inuiti fecerunt & offenderunt.*

Cap. 12.

IIII. Eſt'ne prudentiæ & ſapientiæ aliqua utilitas?

Videtur neutra quodammodo utilis eſſe, Sapientia enim ad felicitatem nihil confert, ut quæ non uerſetur circa ea quæ in hominis poteſtate ſunt ut fiant, ſed tantum ut cognoſcãtur. οὐδεμίας γάρ ἐστι γενέσεως. *Prudentia uerò etſi ad felicitatem aliquid conferat (uerſatur enim circa actiones iuſtas, honeſtas & bonas: quæ omnes boni uiri ſunt) ſuperfluus tamen eius uſus uidetur: cum nec illis conferat qui uirtutem ethicam habent, nec illis qui eam acquirere ſtudent, nondumq́; habent. Sed longè aliter ſe res habet. Nam etſi hæ duæ uirtutes nullam utilitatem afferrent, tamen per ſe eſſent expetendæ:* λέγομεν ὅτι καθ' αὑτὰς ἀναγκαῖον αἱρετὰς αὐτὰς εἶναι. *Verùm conferunt actionibus uirtutum particularium. Nam in exercitio uirtutum, gubernant ea quæ ad finem honeſtũ aſſequendum pertinent. Sapientia enim uitam beatam,* εὐδαιμονίαν, *efficit.*

Digitized by Google

efficit. Cùm enim pars ſit totius uirtutis, non ſolùm poſſeſſione, ſed etiam ipſo uſu felices reddit homines. μέρος γὰρ ὂν τῆς ὅλης ἀρετῆς, τῷ ἔχεσθαι ποιεῖ καὶ τῷ ἐνεργεῖν εὐδαίμονα. Prudentia uerò actiones quotidianæ uitæ moderatur cum Ethica uirtute. τὸ γὰρ ἔργον ἀποτελεῖται κατά τε τὴν φρόνησιν καὶ τὴν ἠθικὴν ἀρετήν.

V. Quæ'nam comparantur cum Prudentia?

Δεινότης, Calliditas: quæ eſt facultas quæ ad propoſitum finem ſpectantia poteſt agere & aſſequi, ἔστι δύναμις τοιαύτη ὥστε τὰ πρὸς τὸν ὑποτεθέντα σκόπον συντείνοντα, δύνασθαι ταῦτα πράττειν καὶ τυγχάνειν αὐτῶν. Quod ſi ſcopus ille ſeu finis bonus erit, laudabilis eſt Δεινότης: ſi uerò malus, uituperabilis et Πανουργία appellabitur, quæ media gubernat ad finem turpem. Vnde improbus homo, peruerſo iudicio præditus, uerè prudens eſſe nequit. ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι μὴ ἀγαθὸν ὄντα.

Quomodo confertur Calliditas cum Prudentia?

Δεινότης facultas quædam naturalis eſt: Prudentia uerò uſu acquiſitus habitus. Quod idem eſt in uirtute naturali & ethica. Nam omnibus uidentur natura quodammodo ineſſe uirtutes: nam & iuſti & temperantes & fortes generamur natura quæ φυσικὴ ἀρετὴ naturalis uirtus dicitur: quaſi indoles quædam & bonitas naturæ, εὐφυΐα. Sed præter hanc naturalem, aliam quandam perfectam, κυρίαν, quærimus. Illa enim naturalis & pueris ineſt & nobis cum beluis eſt communis: cumq; ratione careat, multum damni ſæpè hominibus affert: ſimilisq; eſt corpori Cyclopis amiſſo oculo, quod grauiter offendere in incedendo neceſſe eſt. Aſſumpta uerò ratione ceu

Digitized by Google

lumine, actiones diſsimiles prioribus edet: habitus autem ſimilis quidem naturali, ſed erit κυρία ἀρετὴ dicitur, non amplius φυσικὴ. Quemadmodum igitur in Intellectuali animæ parte duo ſunt habitus. Calliditas, & Prudentia: ſic in Morali, duo ſunt. Naturalis uirtus & Perfecta: quæ perfecta, nunquam ſine prudentia eſſe poteſt.

Si igitur Ethica uirtus nunquam ſine prudentia eſſe poteſt: ſequitur ut omnis uirtus prudentia ſit, ut Socrates dicebat.

Socrates in eo errabat, quòd omnes uirtutes prudentias eſſe dicebat: Rectè autem dicebat, quòd nulla uirtus ſine prudentia eſſe poſsit. Vnde omnes definiunt uirtutem, quòd ſit ἕξις κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον habitus ſecundùm rectam rationem, quæ eſt prudētia: Sed rectius dicitur uirtus eſſe ἕξις μετὰ ὀρθοῦ λόγου, id eſt, μετὰ φρονήσεως. Nam ἕξις κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον eſt ipſa Prudentia: undę non poteſt fieri, ut quis propriè bonus ſit ſine Prudentia, aut prudens ſine uirtute ethica.

Ergo ſequitur ut uirtutes omnes inter ſe connexæ ſint, ut qui unam habeat, is omnes habeat?

Sequitur ſanè uirtutibus perfectis, καθ' ἃς ἁπλῶς λέγεται ἀγαθὸς. Nam qui prudentiam habuerit, ille idem omnes uirtutes reliquas habuerit, Virtus enim ethica recta ratione nititur, quæ à prudentia pendet. Verùm in naturalibus uirtutibus aliud eſt, quæ inter ſe ſeparari poſſunt. Neq; enim omnes ad eaſdem eodem modo ſunt apti: quaſdam citiùs, quaſdam tardiùs apprehendunt, οὐ γὰρ ὁ αὐτὸς εὐφυέστατος πρὸς ἁπάσας.

Si

Si tanta uis eſt prudentiæ, ut ea reliquæ contineantur uirtutes, certè præſtabit ſapientiæ?

Non præſtat. οὐκ ἐςι κυρ. ἐκ τῆς σοφίας. Nam præcipit ſaltem quid fieri debeat acquirendæ ſapientiæ cauſa. Sic enim & πολιτικὴ ciuilis ſcientia præcipit quid Deo tribuendum ſit, ſed non imperat Deo.

LIBER SEPTIMVS.

DE CONTINENTIA & Patientia.

Quid deinceps agit Ariſtoteles?

HActenus de perfectis habitibus diſſeruit: nūc dicit de imperfectis habitibus ſeu diſpoſitionibus, quarū duæ ſunt, Continentia ἐγκράτεια, & Tolerantia ſeu Patientia, καρτερία.

Quot ſunt conſid. in his diſpoſitionibus? Cap. 1.

Quinq. 1. *Diſcrimen ab habitibus & heroicis uirtutibus.* 2. *Forma.* 3. *Subiectum.* 4. *Comparata.* 5. *Diſparata.*

I. Quomodo differunt illæ diſpoſitiones ab habitibus & heroicis uirtutibus?

Eorum quæ in moribus expetenda ſunt, τῶν περὶ τὰ ἤθη αἱρετῶν tria ſunt: Virtus, Continētia & Heroica uirtus. Quibus opponuntur tria in moribus fugienda, φευκτά: Vitioſitas,

Incontinentia, Feritas: κακία, ἀκρασία, θηριότης ἢ θηριωδία. *Duæ priores humanæ ſunt: tertia humanam naturam exuperat. Nam heroica uirtus eſt* ὑπὲρ ἡμᾶς καὶ θεῖα, *ſupra nos & diuina &* δι' ἀρετῆς ὑπερβολήν, *cuius beneficio homines diui redduntur. Sic Homer. Iliad.* ψ. *Hectorem ob uirtutis excellentiam non hominis mortalis, ſed Dei alicuius filium uiſum eſſe ſcribit:* ——οὐδὲ ἐῴκει

ἀνδρός γε θνητοῦ πάϊς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.

Huic oppoſita eſt θηριωδία καθ' ὑπερβολὴν κακίας, *per quam homines fiunt beluæ. Et quemadmodum uirtus diuina & heroica rara eſt: ita etiam feritas beluina rara eſt. Maximè tamen apud barbaros eſt, ut Anthropophagos, Læſtrygones, Cyclopes, Turcos: & eos qui uitio aliquo laborant ex morbis, ut phrenetici & melancholici.*

Cap. 3. II. Quæ'nam eſt forma harum diſpoſitionum?

Sicut in perfectis habitibus abſq; ulla repugnantia uel ratio uel appetitus dominatur; ita in his imperfectis habitib. ſeu diſpoſitionibus oritur pugna inter rationem & appetitum: & ſiquidem ratio uincat, in doloribus Tolerantiam, καρτερίαν *in uoluptatibus Continentiã* ἐγκράτειαν*: ſi uerò ab appetitu uincatur, in doloribus Molliciem,* μαλακίαν *ſeu* τρυφήν*: in uoluptatibus Incontinentiam* ἀκρασίαν, *producit.*

Si igitur incontinens appetitum ſequitur in ijs rebus quas nouit eſſe turpes, quomodo ratione niti poteſt, aut quomodo ea quæ ſcit uel opinatur turpia, nihilominus committit?

Diſtinctio duplex tenenda eſt, Vna ſcientiæ τοῦ ἐπίστασθαι, *altera propoſitionum* τῶν προτάσεων.

Quot-

Quottuplex eſt τὸ ἐπίςαϑαι?

Duplex. Habitu aut Actu. Nam & ille ſcire dicitur qui ſcientiam habet, ſed non utitur ſcientia, ut incontinens: & ille qui utitur.

Quottuplex eſt πρότασις?

Duplex. Vniuerſalis ἡ καθόλε: & Particularis, ἡ κατὰ μέρ☉.

Quottuplex eſt Vniuerſalis?

Duplex. Aliud enim eſt ἐφ' ἑαυτῦ per ſe & in intellectu; ut omni homini conferunt ſicca. Talem propoſitionem ſcire poterit incontinens. Aliud eſt περὶ τῦ πράγματ☉, in rebus ipſis & extra intellectum: ut quod hic aut ille homo ſit, quòd hæc & illa alimenta ſicca ſint. Hoc uniuerſale inconti-nens ignorare poterit.

Quomodo circa Particularem incontinens ſe habet?

Eam ignorare poteſt, aut certè ſi nouit, ea non utitur propter appetitus uehementiam. Quemadmodum enim fit ut nauta præſciat loca periculoſa, ſed cùm ad ea peruenit alijs rebus intentus, non utitur iſta notitia & iacturam facit: ita incontinens uniuerſalem habet notitiam, non eſſe uoluptatibus frenum laxandum: ſed tamen occaſione oblata non aſſumit minorem ſeu particularem propoſitionem, unde concluſio honeſta ſequeretur. Ita partim ſciens, partim ignorans agit. Etſi enim recta ratione præditus eſt, ei tamen non obtemperat: unde ſcientiam habet & non habet: ut is qui dormit aut inſanit aut ebrius eſt. Sicut enim dormiens habet ſcientiam, ſed ea nō utitur impeditus ſomno: ebrius quoq; priuſquam uino ſit obrutus, nouit ea quæ propter exhalationes in cerebrum amplius non nouit: Ita incontinens in genere notitiam habet utilium

& honeſtorum, ſed in præſenti caſu propter affectus ſinit informari notitiam. Affectus enim uehementior hominem ita commouet, ut rationis iudicium uideatur obſcurare. Apparet hoc in ira & cupiditate, quæ manifeſtè corpus immutant, et in quibuſdam mentem etiam lædunt, ac de ſuo ſtatu deijciunt. θυμοὶ καὶ ἐπιθυμίαι ἀφροδισίων καὶ ἔνια τῶν τοιούτων, ἐπιδήλως καὶ τὸ σῶμα μεθιστᾶσιν, ἐνίοις δὲ καὶ μανίας ποιοῦσι. Et quamuis incontinens interdum egregia de uirtute narret: tamen ueluti hiſtriones perſonati, ijs quæ dicit, non mouetur. Addictus enim uoluptati, non conſiderat deformitatem peccati, neq; pulchritudinem & dignitatem uirtutis. Nam in eo qui propius & fixius oculis intuetur formam & faciem honeſti, mirabiles huius amores excitantur. Itaq; incontinens peccat cum ratione quodammodo & opinione. συμβαίνει ὑπὸ λόγου πως καὶ δόξης ἀκρατεύεσθαι. Recta enim ratio impeditur, & appetitus falſa quadam ratiocinatione ueram offuſcat. Reuertitur tamen ad ſeſe et ignorantiam iſtam exuit non aliter, quàm qui à ſomno expergiſcitur uel à crapula ſurgit. Sicut enim dormiens diſſipatis uaporibus ad ſeſe redit & expergiſcitur: ita quoq; incontinens ceſſante perturbatione ad ſeſe redit, & ſciens redditur.

Cap. 4.

III. Quod'nam eſt ſubiectum harum diſpoſitionum?

Voluptas & dolor. περὶ ἡδονὰς ἐγκρατεῖς καὶ ἀκρατεῖς περὶ λύπας καρτερικοὶ καὶ μαλακοί, εἰσιν.

Quottuplex eſt Voluptas?

Variè diuiditur uoluptas. Nam primò quæ uoluptatem efficiunt, τὰ ποιοῦντα τὴν ἡδονὴν, ſunt uel Neceſſaria, uel Non neceſſaria.

Quæ-

Digitized by Google

Quæ'nam ſunt Neceſſaria?

Quæ pertinent ad corporis conſeruationem, τὰ σωματικά, ut τὰ περὶ τὴν τροφήν, καὶ τὴν τῶν ἀφροδισίων χρείαν.

Quæ'nam ſunt non neceſſaria?

Quæ etſi non propter corporis commodum expetuntur, per ſe tamen expetuntur. αἱρετὰ καθ' αὑτά: ut uictoria, honor, diuitiæ.

Quomodo dicitur in his eſſe incontinens?

Qui in iucundis, quæ pariunt uoluptatem nō neceſſariam, modum tranſilit, non ſimpliciter incontinens dicitur, ſed ſecundum quid, κατὰ πρόσθεσιν ἢ ὁμοιότητα. In iis quæ neceſſaria ſunt, incontinens ἁπλῶς, ſimpliciter dicitur, ſicut & intemperans: in eoq́ cōueniunt, quòd uoluptatem eandem ultra modum ſequuntur. Differunt tamen, quòd intemperans cum electione agit, προαιρεῖται: incontinens contra, non προαιρεῖται. Ideoq́ intemperantes peiores ſunt incontinentibus. Nam improbior eſt is qui uel non concupiſcens, uel leuiter tantum concupiſcens, immoderatas uoluptates ſequitur, aut modicos dolores fugit: quàm qui à ualidis affectibus ſuperatur. Quid enim is faceret, ſi cupiditate iuuenili, aut dolor uehementi, ex rerum neceſſariarum inopia orto, tentaretur?

Quæ'nam eſt ſecunda diuiſio Voluptatis?

Ἡδέα, id eſt, iucunda quædam ſunt natura, τῇ φύσει, ut honeſta: quædam παρὰ φύσιν, contra naturam, ut turpia: quædam deniq; media, τὰ μεταξύ, ut pecunia, honor, &c.

Quomodo in his incòntinens uerſatur?

Qui hæc expetit & amat, non uituperatur: ſed qui ſuprà

modum

modum illa perſequitur. πρὸς ἅπαντα τὰ τοιαῦτα, οὐ τῷ πάσχειν καὶ ἐπιθυμεῖν καὶ φιλεῖν ψέγονται: ἀλλὰ τῷ πῶς καὶ ὑπερβάλλειν. Propterea ſi quis præter rectam rationem, παρὰ τὸν λόγον, honores aut liberos amet, quæ natura ſua & per ſe bona ſunt, incõtinens erit: non quia amat (amanda enim ſunt) ſed quia ſupra modum amat: ut de Niobe ferunt poëtæ & de Satyro Philopatre, qui ad patris tumulũ multis lachrymis profuſis, tandem ſe præcipitem dedit.

Cap. 5.

Quæ'nam eſt tertia diuiſio Voluptatis?

Voluptas eſt uel

- *Naturalis, ut edere, bibere. Humana uoluptas, κατ' ἄνθρωπον ἢ ἀνθρωπική.*
- *Non naturalis κατὰ πρόσθεσιν: quæ eſt uel*
  - *Morboſa, νοσηματώδης, ex morbo aut inſania, διὰ νόσους καὶ μανίαν: ut eius qui matrem immolauit, & comedit: & qui ſui conſerui cor deuorauit.*
  - *Beluina, θηριώδης, ex mala cõſuetudine aut deprauata natura et diſtorto tẽperamento, διὰ ἔθη, καὶ μοχθηρὰς φύσεις: Ut Lamiæ quæ prægnantes diſſecabãt, & earũ gentium quæ crudis aut humanis carnibus ueſcuntur. Item capillorum euulſio, unguiũ comeſtio & carbonum: puerorum amor, &c.*

Quo-

Digitized by Google

Quomodo uerſatur in his incontinens?

In uoluptatibus naturalibus nemo eſt incontinens propter ſolam cupiditatem, ſed propter immoderationem. In non naturalibus itidem nullus incontinens dicitur: nam illæ excedũt terminos incontinentiæ naturalis, ut ipſa θηριότης. Exemplum eſt in Timiditate, Amentia, Intemperantia, & Sæuitia. Nam qui natura eiuſmodi eſt, ut omnia metuat, etiam muris ſtrepitum, in eo timiditas beluina eſt: qui autem ex morbo timidi euadunt, in ijs eſt morboſa. Sic de Amentia nam alia eſt beluina, ut barbararum gentium: alia morboſa, ut eorum qui laborant epilepſia aut inſania.

IIII. Quæ'nam comparantur cum Incontinentia? Cap. 6.

Multa. Sed prima eſt comparatio inter incõtinentiam quæ circa corporeas uoluptates uerſatur, & eam quæ circa iram: hæc enim minus turpis eſſe uidetur. Ira enim rationis imperiũ aliqua ex parte audit, negligenter tamen. Quemadmodum enim ſerui præproperi negligenter & confuſè dominorum iuſſa audiunt: & canes ſi quem pulſantem audierint, latrant, non attendentes amicus ſit is, nec'ne: ſic etiam ira audit quidem rationis imperium, ſed propter feruorem ſanguinis non exaudit. Ratio nanq; uindictam petere iubet: itaq; ira ſtatim inſurgit & ad uindictam ruit, nec quid ratio amplius præcipiat, attendit. At econtrà cupiditas rationi nullo modo paret, ſed ſimulatq; uel ratio, uel ſenſus iucundum quid eſſe affirmarit, ſtatim ad eius fruitionẽ fertur. Itaq; ira rationi quodammodo paret, cupiditas minimè. Turpior ergo eſt.

Quæ'nam eſt ſecunda comparatio?

Eſt beluina immanitatis cum humana uitioſitate. Minus

enim

enim mala eſt beluina immanitas quàm uitioſitas; ἔλαττον θηριότης κακίας: Ea enim improbitas minus pernicioſa eſt, quæ ratione caret: ἀσθενεστέρα ἡ φαυλότης ἀεὶ ἡ τοῦ μὴ ἔχοντος νοῦν. Econtrà homo corrupta ratione inductus, decies millies plus mali facere poterit, quàm ulla beſtia, μυριαπλάσια γὰρ ἂν κακὰ ποιήσειεν ἄνθρωπος κακὸς θηρίου.

Cap. 7. Quæ'nam eſt tertia comparatio?

Eſt intemperantiæ cum incontinentia. Nam intemperantia uerſatur ſimul circa uoluptates & dolores: Incontinentia tantùm circa uoluptates. Nam circa dolores eſt Mollicies. Deinde intemperantia eſt habitus: fit enim διὰ προαίρεσιν: Incontinentia eſt diſpoſitio μὴ διὰ προαίρεσιν, ἀλλὰ δι᾽ ἧττων, non propter conſilium ita uiuendi (nondum enim confirmata penitus eſt ratio, cũ appetitui ad huc repugnet) ſed propter uehementiam appetitus, à quo uincitur ratio. Deniq; peior eſt intemperantia quàm incontinentia.

Quæ'nam eſt quarta comparatio?

Eſt continentiæ cum tolerantia: & incõtinentiæ cum mollicie. Nam tolerantia magis conſiſtit in doloribus perferendis quàm uincendis. Continentia etiam in uincendis. τὸ καρτερεῖν ἐν τῷ ἀντέχειν ἐστιν: ἡ δὲ ἐγκράτεια, ἐν τῷ κρατεῖν. Ideoq; continentia præſtantior eſt quàm tolerantia. Vinci autem à doloribus paruis & in reſiſtendo deficere, quibus tamen maior hominum pars reſiſtere poteſt, mollis proprium eſt, qui & τρυφῶν appellari poteſt, id eſt, delicatus. Vt is qui ueſtem trahit, ne in tollẽdo laboret: item is qui ludo & ioco ſuprà modũ deditus eſt, δοκεῖ καὶ ὁ παιδιώδης μαλακὸς εἶναι. Quanquam enim incontinens uideatur eſſe, quia uoluptatem luditram nimium ſequitur, reuerq tamen mollis eſt, quia ſerios labores

bores nimium fugit, eoſq; fugiendo nimiam dat operam luſibus ac iocis. Nam ludus eſt animi remiſsio, eſt enim requies. ἡ γὰρ παιδιὰ ἄνεσις ἐστιν, εἴπερ ὂν ἀνάπαυσις.

Quæ'nam ſunt ſpecies Incontinentiæ?

Duæ. Προπέτεια temeritas, & Ἀσθένεια imbecillitas.

Qui'nam ſunt προπετεῖς, præcipites?

Quos ante conſultationem & deliberationem quouis trahit & rapit perturbatio. οἱ διὰ τὸ μὴ βουλεύσασθαι, ἄγονται ὑπὸ τοῦ πάθους. Nam qui prius rationem ſuam excitarunt, & contra imminentes perturbationum inſultus ſeipſos quodammodo armarunt, à perturbatione non uincuntur. οἱ γὰρ προαισθόμενοι καὶ προϊδόντες καὶ προεγείραντες ἑαυτοὺς καὶ τὸν λογισμὸν, οὐχ ἡττῶνται ὑπὸ τοῦ πάθους, οὔτ᾽ ἂν ἡδὺ ἢ οὔτ᾽ ἂν λυπηρόν.

Qui'nam huic temeritati maximè ſunt obnoxij?

Οἱ ὀξεῖς, qui uexantur flaua bile: & οἱ μελαγχολικοί, qui atra bile uexãtur. Illi enim propter celeritatem bilis, διὰ τὴν ταχύτητα, hi propter uehementes imaginationes, διὰ τὴν σφοδρότητα, διὰ τὸ ἀκολουθητικοὶ εἶναι τῇ φαντασίᾳ, non expectant rationis imperium.

Qui'nam ſunt ἀσθενεῖς imbecilles? Cap. 8.

Qui poſtquam deliberauerint, non conſtant in propoſito propter perturbationis uehementiam, quæ rationem tanquam imbecilliorem ſuperat. οἱ βουλευσάμενοι, οὐκ ἐμμένουσιν οἷς ἐβουλεύσαντο διὰ τὸ πάθος.

Quæ-

Quæ'nam eſt quinta comparatio?

Eſt inter intemperantem & incontinentem. Nam primò ita differunt, quòd intemperantem nō pœnitet ſuorum factorum, ὁ ἀκόλαστος, οὐ μεταμελητικός. Sed incontinentem pœnitet, ὁ ἀκρατὴς μεταμελητικός. Itaq; hic eſt ſanabilis, εὐΐατος, ille inſanabilis, ἀνίατος. Vnde μοχθηρία ſeu intemperantia ſimilis eſt hydropi aut phtiſi: incontinentia, epilepſiæ. Deinde differunt ut habitus & diſpoſitio. Nam intemperantia (quæ eſt uitioſitas κακία) latet: quia qui habitu uitioſo præditus eſt, in illo nulla eſt pugna amplius rationis & appetitus. Incontinentia uerò non latet, ſentit enim pugnam: uidetq; meliora ſed deteriora facit. Deniq; differunt in cauſa agendi. Nam intemperantia κατὰ προαίρεσιν eſt, conſilio paruo utitur: incontinentia παρὰ προαίρεσιν: eſt enim in incontinenti ratio, cui tamen ille non obſequitur. Et quemadmodum Demodocus Mileſios non eſſe quidem ſtultos aiebat, ſed facere tamen ea quæ ſtultorum ſunt: ita incontinens non eſt quidem intemperans, facit tamen illi ſimilia.

Cap. 9.

Quæ'nam eſt ſexta comparatio?

Eſt Continētis cum pertinace ſeu obſtinato. Nam Cōtinens propriè dicitur, qui perſiſtit in uera ratione & recta opinione: per accidens uerò qui cuilibet opinioni, quam rectā eſſe arbitratur, quāuis reuera recta nō ſit, adhæret. Sunt aūt & alij qui non facilè de ſententia ſua deducuntur, οἱ ἐμμενετικοὶ τῇ δόξῃ, quos uocant ἰσχυρογνώμονας, halſſtarrig: in ſententia obfirmatos & pertinaces: qui ſimiles quidem ſunt continentibus: in opinione enim concepta permanent: differūt aūt quòd Continens meliori ſententiæ cedit, ἰσχυρογνώμων nō cedit.

Quot-

Quottuplices ſunt ἰσχυρογνώμονες?

Triplices. I. ἰδιογνώμονες, qui proprias & peculiares opiniones habent, quas mordicus tuentur & pertinaciter: quæ pertinacia arguit ſummam illos ex propugnatione ſuorum dogmatum capere uoluptatem: et econtrà, ſi redarguantur, ſummum dolorem. χαίρουσι νικῶντες ἂν μὴ μεταπείθωνται· καὶ λυποῦνται, ἂν ἄκυρα τὰ αὐτῶν ᾖ ὥσπερ ψηφίσματα. *Eigenſinnige köpff. II.* ἀμαθεῖς *indocti, quales ſunt ſophiſtæ & indocti homines, qui falſa opinione eruditionis & ſepientiæ tument, Eſel vnd Bachantem. III.* ἄγροικοι *inſulſi & inciuiles, qui quidem doctè de rebus ſentiunt, ſed nimis præfractè uulgares opiniones defendunt, quaſi impoſsibile ſit, id quod multi aſſeuerant, falſum eſſe.*

V. Quæ'nam ſunt harum diſpoſitionum diſparata?

Continentia media eſt inter duo extrema, inter eam ſcilicet uitioſam diſpoſitionem, quæ minus quàm decet corporeis ducitur uoluptatibus (quæ & rara eſt & ἀνώνυμος) & inter eam, quæ ſatis corporeas uoluptates perſequitur, quæ dicitur incontinentia ἀκρασία. *Tolerantia uerò media eſt inter molliciem* μαλακίαν *& uitioſam diſpoſitionem* ἀνώνυμον *in exceſſu.*

Poteſt'ne incontinens prudens eſſe? Cap. 10.

Non poteſt: ſed callidus potius, δεινός: *ſic nanq; uidemus eoſdem eſſe & prudentes naturali prudentiâ & incõtinentes.*

Cur dicit Ariſtoteles incontinentem eſſe ἡμιπόνηρον, non omnino malum?

Quia non habet perfectum improbitatis habitum, nõ enim

inſidioſus eſt, ἐπίβουλος: ſimilisq́ eſt ciuitati, quæ leges quidem bonas habet ijs tamen non utitur: qualis illa fuit, de qua Anaxandrides luſit: ἡ πόλις ἐβούλεθ᾽ ἣ νόμων οὐδὲν μέλει.

Quæ'nam incontinentia melior eſt?

Quæ corrigi poteſt & ſanari facilius, ut melancholicorũ, qui προπετεῖς ſunt, & abſq; deliberatione agunt. Difficilius enim à mala uia reuocantur, qui deliberatò, quàm qui ſine deliberatione cedunt affectibus. Deinde melior eſt quæ à conſuetudine ortum habet, quàm quæ à natura. ῥᾷον γὰρ ἔθος μετακινῆσαι τῆς φύσεως.

LIBER OCTAVVS.

Quid deinceps agit Ariſtoteles?

Cap. 9. *HActenus Naturam uirtutis à ſecundo libro, ad hunc octauũ uſq; perſecutus eſt, id eſt, cauſas, ſubiecta, definitionẽ, ſpecies. Nunc duo Adiuncta uirtutis ſequuntur, Amicitia & Voluptas.*

Quid conſiderat in Amicitia?

Duo in ea tractat, primò eius Naturam libro hoc octauo, deinde uarias quæſtiones libro nono.

Quot agit libro octauo?

Quatuor. 1. Rationem affert cur de amicitia in philoſophia morali dicendum ſit. 2. Definit amicitiam. 3. Species eius recenſet. 4. Cauſas amicitiæ attingit.

Cap. 1. Neceſsitas amicitiæ.

I. Cur philoſophi Ethici eſt dicere de Amicitia?

Quia eſt uirtus quædam, aut certè uirtutis adiunctum.

Præterea

Præterea neceſſaria maximè eſt in omni uitæ genere. Nam etſi quis omnibus bonis abundet, tamē niſi amicos habuerit, uitam ſibi acerbam ducet. Itaq; diuitibus & ijs qui magiſtratus ac potentiam tenent, maximè opus eſt amicis. Quò enim illis tanta copia aut felicitas, ſublata beneficentia, quæ maximè laudatur ſi exerceatur erga amicos? aut quomodo ſarta tecta erit illis ea proſperitas ſine amicis? Quo enim maior eſt felicitas, eò pluribus expoſita eſt periculis. Iam in aduerſis rebus et inopia, unicum perfugium amici habentur. In omni quoq; ætate locus eſt amicitiæ. Nam amicis opus habent & iuuenes, ut eorū præſentia à peccatis abſterreantur: & ſenes ut habeant à quibus obſeruentur & in rebus agendis eorum imbecillitati ſubueniatur. Mediæ uerò ætatis uiri ope amicorum res præclaras facilius obire poſſunt. Natura autem comparatam eſſe amicitiam, oſtendit amor parentum erga liberos, & liberorum erga parentes, id'q; non ſolùm in hominibus, ſed in uolucribus & reliquis animantibus, præſertim illis quæ ſunt eiuſdē gentis: maximè uerò apparet id in hominibus. Vnde Laudamus, τοὺς φιλανθρώπους, humanos: Ac in erroribus quoque cernere licet, quàm gratus ſit hominis aſpectus erranti homini. Videtur uerò & ciuitates cōtinere amicitia, & ipſi legiſlatores magis amicitiæ inter ciues cōciliandæ quàm iuſtitiæ dant operam. Nam ὁμόνοια concordia amicitiæ ſimillima uidetur eſſe, at legiſlatores maximè ſtudent ut ὁμόνοιαν in ciuitatem introducant, & diſcordiam tanquam ſocietati inimicam, exterminent quantum poſſunt. Et ubi amici ſunt, ibi iuſtitia nihil opus eſt: econtrà ubi iuſtitia eſt, ibi amicis opus eſt. Non autem neceſſaria ſolùm eſt amicitia, uerum etiam honeſta res. Nam τοὺς φιλοφίλους, qui amicos amant, laudamus: & πολυφιλία res quædam honeſta uidetur, cum ſit magnū humanitatis indicium.

Cap. 2.

II. Quid eſt Amicitia?

Eſt beneuolentia inter eos qui ſe mutuò amant, eaq́ manifeſta. ἐστιν εὔνοια ἐν ἀντιπεπονθόσι μὴ λανθάνουσα.

Cur inquis inter eos qui ſe mutuò amant?

Quia cũ diligimus aliquẽ abſq; talione & mutua amatione, ſeu ἀντιφιλήσει*: non amicitia, ſed* εὔνοια *tantum dicitur.*

Cur addis manifeſta?

Quia hæc conditio perfectam amicitiam conſtituit. Multi enim alijs benè cupiunt, quos nunquam uiderunt: cum autem neſciant an mutuum in amore habeant, non amici, ſed beneuoli tantum inter ſe ſunt.

Cap. 3.

III. Quot ſunt Species Amicitiæ?

Amicitiæ tres ſunt diuiſiones. Prima eſt in Perfectam κυρίαν ἢ τελείαν*: & Imperfectam* μὴ κυρίαν, ἢ κατὰ συμβεβηκός.

Vnde oritur Imperfecta?

Ex utilitate aut uoluptate. Διὰ τὸ χρήσιμον, ἢ τὴν ἡδονήν. *Illa ſenum eſt, quorum eſt* ζῆν κατὰ κέρδος*, & eorũ qui utilitatem ſequuntur, item hoſpitum. Hæc uerò iuuenũ, quo- eſt* ζῆν κατὰ πάθος*, & perſequi uoluptatẽ, ac præſentia. Sed ætate deflorescente, mutatur etiã appetitus iſte & alia iucunda fiunt. Quocirca citò fiunt amici, citò etiam deſinunt.*

Vnde oritur Perfecta amicitia?

Ex uirtute. Ideóq; hæc amicitia inter bonos eſt & uirtutibus ſimiles. Vnde maximè quoq; ſtabilis eſt: uirtus enim ſtabile quid eſt, ἡ ἀρετὴ μόνιμον. *Habetq; hæc amicitia & connectit omnia quæ in amicis requiruntur, nam & utilitatem in ſe continet & uoluptatem, ſed honeſtam & per ſe:* συνάπτει ἐν αὐτῇ

πάντ

πάνθ' ὅσα δεῖ τοῖς φίλοις ὑπάρχειν. *Rariſsima uerò eſt talis amicitia: pauci enim ſunt boni & perfecti ſecundùm uirtutem: & præterea longo tempore opus eſt & diutina conuerſatione.* προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας. *Nam iuxta prouerbium. Nemini fidendum eſt niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris. Nemo enim in amicitiam recipiendus eſt, niſi amore dignus appareat & eius fides periclitata ſit.*

Quæ nam ſunt conſideranda in duabus ſpeciebus amicitiæ? Cap. 4.

Ipſarum comparationes. Nam. 1. Perfecta amicitia, propriè κυρίως *amicitia dicitur: imperfecta uerò per ſimilitudinem,* ὁμοίωμα τῆς πρώτης ἔχουσα.

2. *Perfecta perpetuò durat,* μόνιμός ἐστι. *Imperfecta non perpetuò. Deflorefcente enim forma aut ceſſante utilitate, aliquando deſinit & amicitia.* ληγούσης τῆς ὥρας, ἐνίοτε καὶ ἡ φιλία λήγει: οἱ δὲ διὰ τὸ χρήσιμον ὄντες φίλοι, ἅμα τῷ συμφέροντι διαλύονται. οὐ γὰρ ἀλλήλων ἦσαν φίλοι, ἀλλὰ τοῦ λυσιτελοῦς.

3. *Imperfecta conciliat omnes, ita ut & improbi inter ſe fiant amici & probi cum improbis. Perfecta uerò tantum bonos conglutinat.*

4. *Perfecta criminationib. minimè patet,* ἀδιάβλητός ἐστι: *alijs enim non facilè credunt de amico, quem diu probauerunt: & amico confidunt, eumq; nulla afficiunt iniuria. Imperfecta uerò hæc omnia admittit.*

5. *Perfecta eſt* κατ' ἐνέργειαν, *actu amicitia, quæ uerſatur in conuerſatione.* οὐδὲν γὰρ οὕτως ἐστὶ φίλων, ὡς συζῆν. *Poteſt quidem hæc amicitia eſſe ſine utilitate, ſed non ſine conuerſatione, quæ inter bonos eſt iucundiſsima. Imperfecta uerò eſt* καθ' ἕξιν, *habitu; ut inter abſentes, inter quos impeditur* Cap. 5.

ἐνέργεια amicitiæ: & ſi abſentia diuturnior ſit, non tantum actionum, uerum etiam ipſius habitus obliuio ſæpè accidit. Nam iuxta prouerb Multa amicitias ſilentium diremit.

Cap 6. 6. Perfecta inter bonos & iucundos tantum eſt. Imperfecta inter ſenes & auſteros ac tetricos quoq; eſſe poteſt, quanquam minus quàm inter iucundos: non enim gaudent cõuerſatione, & ſunt parum faciles. Conuerſatio enim & facilitas maximè conciliant amicitiam. τὸ συνημερεύειν καὶ χαίρειν ἀλλήλοις, μάλιστα φιλικὰ καὶ ποιητικὰ φιλίας.

7. In perfecta amicitia, nemo poteſt plures amicos habere: uti neq; unus multas ſimul eodem tempore amare poteſt. In imperfecta autem, multos amicos ſimul habere licet.

8. Imperfectæ quoq; amicitiæ inter ſe differunt. Nam quæ ex uoluptate oritur, propius uidetur ad naturam perfectæ accedere, quàm ea quæ ex utilitate Liberalior enim uidetur illa & ingenuis digna: hæc uerò ſordida & mercatorum auarorum propria. Deinde & boni uiri beatiq; uoluptatem expetunt, non etiam utilitatem.

9. Perfecta amicitia omnia φιλητὰ habet, ſunt enim in ea amici ijdem & boni, & iucundi, & utiles ὑπάρχει αὐτοῖς ὅσα δεῖ τοῖς φίλοις. At in imperfecta hoc non contingit, exemplo principum, qui cum in uno aliquo omnia φιλητὰ non habeãt, coguntur propter ſeparationẽ τῶν φιλητῶν, amicos quoq; ſeparare. οἱ ἐν ταῖς ἐξουσίαις, διῃρημένοις φαίνονται χρῆσθαι τοῖς φίλοις, ἄλλοι γὰρ αὐτοῖς εἰσι χρήσιμοι, καὶ ἕτεροι ἡδεῖς. Iſta enim duo uoluptas & utilitas in eundẽ non cadunt, niſi ſit uir bonus, cũ quo principibus firma amicitia non eſt, niſi compenſatio fiat & æqualitas ut quantũ princeps potẽtia ſuperat, tantũ uir bonus principẽ uirtute ſuperet ut quãdo princeps honoratur, ipſe uiciſſim aliorũ eruditionẽ et uirtutẽ magnifaciat.

Quæ-

Digitized by Google

Quæ'nam eſt ſecunda diuiſio Amicitiæ?

Amicitia alia eſt inter Aequales, alia inter Inæquales: ἡ μὲν ἐν ἰσότητι, ἡ δὲ ἐν ὑπεροχῇ.

Quid eſt amicitia ἐν ἰσότητι?

In qua κατὰ ποσὸν, *id eſt, proportione Arithmetica amici inter ſe ſunt æquales in ijs bonis, ob quæ mutuò ſeſe diligunt. Nam aut eadem reddunt, uolũt, optant, aut diuerſa per cõmutationem quandã. Et de tali amicitia hactenus dictũ eſt.*

Quid eſt amicitia ἐν ὑπεροχῇ? Cap. 7.

In qua κατ' ἀξίαν, *id eſt, proportione Geometrica unicuiq; pro merito tribuitur: ut quoniam alter bonis* φιλητοῖς *magis alter minus abundat,* φίλησις *quoq; diſparſit, pro rata cuiuſq; portione.*

Quæ'nam ſunt ſpecies amicitiæ ἐν ὑπεροχῇ?

Duæ. Nam alia eſt Oeconomica, ut patris erga liberos, ſeniorum erga iuuenes, mariti erga uxorem: alia Politica, ut magiſtratuum erga ſubditos. Differunt autem hæ inter ſe, quia non eædem uirtutes aut officia patris & liberorũ, magiſtratuum & ſubditorum, domini & ſerui, mariti & uxoris. Cauſæ etiam cur ament diuerſæ ſunt Cùm uerò liberi parentibus, & econtrà parentes liberis tribuũt ea quæ ex officio tribuere cõuenit, ſtabilis ipſorum amicitia permanet. In reliquis quoque amicitijs par ratio eſt, nimirum ut pro analogia bonorum & excellentiæ, etiam φίλησις *excellat. Vt uidelicet ei qui uirtute, utilitate aut iucunditate prior eſt, maior quoq; dilectio tribuatur. Hoc nanq; modo per Geometricam proportionem inæquales ad æqualitatem reducti, amici inter ſe poterunt eſſe. Eſt enim* φιλότης, ἰσότης καὶ ὁμοιότης.

Cap. 9.

Quæ'nam eſt tertia diuiſio Amicitiæ?

Diuiſio hæc ſyllogiſmo prolixo concluditur ab Ariſtotele per tria capita, hoc modo:

Quot ſunt Politiæ ſpecies, tot ſunt amicitiæ ſpecies. Propoſitio ponitur in 9. cap. cum ſuo ſyllogiſmo: Omnes communio κοινωνία, continetur in politica: At amicitia eſt communio: Amicitia itaq; in politica continetur.

Tres autem ſunt ſpecies Politiæ. Aſſumptio eſt cap. 10.

Tres igitur ſunt ſpecies Amicitiæ. Cõplexio eſt cap. 11.

Cap. 10.

Enumera ſpecies Rerumpub. ſeu politiarum?

Tres bonæ ſunt Politiæ, Regnum, Ariſtocratia, Timocratia. Tres itidem malæ, ueluti peſtes & aberrationes παρεκβάσεις bonarum: Tyrannis, Oligarchia, Democratia.

Quot in his conſideranda ſunt?

Duo. 1. Comparatio harum ſpecierum inter ſe, & cum ſocietatibus œconomicis. 2. Mutatio illarum.

Quomodo comparantur inter ſe?

E' bonis, Optima eſt Regnum, Infima Timocratia. E' malis uerò peſsima eſt Tyrannis, quia optimæ eſt contraria. Nam Tyrannus ſuum commodum quærit: Rex uerò ſubditorum. Rex enim αὐτάρκης eſt & omnibus bonis excellit: qui autem talis eſt, is nulla re indiget. At uerò tyrannus contrario modo ſe habet.

Quomodo mutatur Reſpub.

Regnum mutatur in Tyrannidem. Nam improbus rex tyrannus fit, Ariſtocratia mutatur in Oligarchiam improbitate

magiſtratuum,

Digitized by Google

magiſtratuum, qui res publicas diſtribuũt præter dignitatem. Timocratia deniq; in Democratiam mutatur, cum libertas in licentiam declinat.

Quomodo comparantur hæ politiæ cum ſocietatibus œconomicis?

Reperitur in Oeconomia(*ſicut in Politia) Regnum, Timocratia & Democratia, & his contrariæ φαυλότητες. Nam patris communio cum liberis, ſimilitudinem regni habet. Patris enim liberorum curam gerit, ſicut rex ſubditorum. Vnde Homerus Iouem patrem appellat.* Regnũ *enim eſt paternum imperium.* πατρικὴ γὰρ ἀρχὴ βούλεται ἡ βασιλεία εἶναι. *Perſarum uerò imperium in liberos tyrannidis ſpeciem habet, ſicut & dominorum in ſeruos. Dominus enim ſui commodi cauſa ſeruos alit ſeruiq; domino acquirunt.*

Quomodo eſt Ariſtocratia in œconomia?

Eſt in communione coniugali. Vir enim cum uirtute excellat, imperat uxori in ijs quæ eam facere decet: quæ autem uxori conueniunt, illa eidem tribuit. Cùm uerò uir in omnibus dominatur præter dignitatem: aut uxor diues, ἐπίκληρος, *marito imperat:* Oligarchia *fit.*

Quomodo eſt Timocratia in œconomia?

Eſt inter fratres: ſunt enim æquales, niſi quantum ætate differunt: ſi enim ætatibus multum inter ſe diſtant, tum Timocratia œconomica in poteſtatẽ regiam tranſire uidebitur, cum maximus natu patris uicem & authoritatem, propter ætatis prærogatiuam ſuſtineat. Cum autem familiæ dominum non habent, & ſuo ueluti capite orbatis, omnes ex æquo imperant,

anarchia ſit: uel dominum quidem habent, ſed ſtultum & imbecillum, qui domeſticos in officio cõtinere nequit, tum quiduis faciendi licentia omnibus uidetur permiſſa: & ex Timocratia ſit Democratia.

Cap. 11. Cum ergo tot ſint ſpecies amicitiæ, quot politiæ, enumera illas ordine?

Tres ſunt ſpecies Amicitiæ, Regia, Ariſtocratica & Timocratica.

Quæ'nam eſt Regia?

Quæ eſt in excelllentia beneficij, ἐν ὑπεροχῇ εὐεργεσίας. Qualis eſt in politia regis erga ſubditos qui de ſubditis ſuis benè meretur, eorumq; curã habet, nõ ſecus quàm paſtor ouium. Vnde & Homerus Agamemnonem appellat ποιμένα λαῶν. In œconomia uerò talis eſt amicitia paterna, niſi quòd beneficiorum magnitudine regem ſuperat. Eſt enim pater cauſa nõ ſolùm τοῦ εἶναι, ἀλλὰ καὶ τοῦ εὖ εἶναι, quod εὖ εἶναι comprehendit τροφὴν καὶ παιδείαν. Eadem de cauſa amicitia quoq; eſt inter maiores & poſteros, προγόνους καὶ ἐκγόνους. Naturales enim ſunt iſtæ ſocietates, & qui maior eſt reliquis imperat.

Quæ'nam ergo amicitiæ ratio in his eſt, & quod ius?

Ἐν ὑπεροχῇ eſt amicitia, unde minores maioribus honorẽ debent. Ius quoq; non æquale in his ubiq; eſt, ſed κατ' ἀξίαν.

Quæ'nam eſt Ariſtocratica amicitia?

Eſt uiri erga uxorem. Eſt enim ſecundùm uirtutem, & præſtantiori plus boni, & quod cuiq; debetur, tribuitur. Et eodem modo ius quoq; inter eos conſtituitur.

Quæ'nam eſt Timocratia amicitia?

Eſt ſimilis ſodalium ſocietati. Et talis eſt in Oeconomia, amicitia

amicitia fraterna. Sunt enim partes inter ſe fratres & ferè ætate æquales. At qui tales ſunt ut plurimum quoq; ijſdem ſtudijs ſunt atq; moribus præditi. In politia uerò talis eſt amicitia inter ciues. Nam & hi pares ſunt, uirtute, cenſu, libertate: et quia pares, idcirco etiam æqualiter per uices ſolent imperare.

Sunt'ne etiam amicitiæ in malis politijs?

In malis, cum parum loci ſit iuſtitiæ & iuri, parũ etiam loci habet amicitia: & quò deterior quæ eſt, eò minus habet & iuris & amicitiæ. In tyrannide itaq; nihil aut perperam loci inimicitiæ eſt, inter tyrãnum enim & ciues nihil commune eſt. In Democratijs tamen plurimum loci eſt amicitijs. Multa enim inter eos communia ſunt, qui pares ſunt libertate et cenſu.

Cum hactenus ſæpè mentioonem feceris communis, quot'nam ſunt eius ſpecies? Cap. 12.

Κοινωνία cõmunitas alia eſt
- *Manifeſta.*
- Obſcurior
  - *Naturalis*
    - *Συγγενικὴ.*
      - *Πατ̓ρικὴ.*
      - *Ἀδελφικὴ.*
      - *Συγγενικὴ.*
    - *Γαμικὴ.*
  - *Voluntaria, ἑταιρικὴ.*

Quæ'nam eſt Manifeſta communio?

Eſt ſocietas politica, quæ magis κοινωνικὴ uidetur, cum in ea manifeſtior ſit communitatis ratio. Vt ſunt φυλετικὴ, tribulium: συμπλοϊκὴ unà nauigantiũ: ξενικὴ hoſpitum. Nam ueluti pacto & conſenſu quodam conſtare uidentur: κατ' ὁμολογίαν τινὰ φαίνονται εἶναι.

Quæ-

Quæ'nam eſt Obſcurior?

In qua illa ratio communitatis eſt minus manifeſta: ita ut nec pactum, nec conſenſus aliquis apertus intercedat.

Quæ'nam eſt ἑταιρική, ſodalium ſocietas?

Quæ contrahitur propter ſtudiorum, ætatis atq; morum ſimilitudinem: eſtq; ſimilis fraternæ.

Quæ'nam eſt Naturalis?

Quæ ipſius naturæ ductu quodammodo ſuſcipitur.

Quæ'nam eſt Paterna, πατρική?

In qua parentes filios amant tãquam aliquid ſui, & filij parentes, tanquam ab illis profecti.

Quæ'nam eſt Fraterna, ἀδελφική?

Qua ſe fratres amant, quoniam ex iiſdem parentibus nati ſunt, & æquales ſunt educatione & ætate. μέγα γὰρ πρὸς φιλίαν καὶ τὸ σύντροφον, καὶ τὸ καθ' ἡλικίαν.

Quæ'nam eſt Cognatorum, συγγενική?

Qua ſe cognati amant, quoniam ex eodem ſtipite ſunt, & quia ætate & moribus ſimiles ſunt. Sunt autem ex his alij alijs magis amici, prout uel propior eſt generis autor, uel remotior.

Qualis'nam eſt communio in his tribus?

In paterna, communio eſt beneficiorum maximorum, ideoq; aſſimulatur amicitiæ Dei cum hominibus. Namq; ſummis beneficijs, & Dij homines & parentes liberos affecerunt. τοῦ γὰρ εἶναι καὶ τραφῆναι αἴτιοι καὶ γενομένοις τοῦ παιδευθῆναι.

In fraterna eadem ratio communitatis eſt, quæ in ἑταιρικῇ, niſi quòd in fraterna omnia ſunt maiora.

In Cognatorum amicitia eadem ratio eſt & proportio: quo enim proximiores ſunt, eò maior communio.

Qua'nam eſt γαμικὴ coniugalis communio?

Qua ſe coniuges amant. Eſt autem ea communio non minus quàm cæteræ, naturalis: Eſt enim homo ad coniugium natura aptior quàm ad ciuilem ſocietatem: quia domus prior magisq́; neceſſaria eſt, quam ciuitas & procreatio ſobolis omnibus communis eſt & naturalis. Homines uerò non modò procreandi cauſa cohabitant, ſed etiam ut commodius uitam degant. habent enim inter ſe diuiſa opera, alia enim uiri ſunt, alia uxoris.

Qualis'nam inter hos communio eſt?

Communicant inter ſe coniuges tum bonis, tum liberis. In commune enim conferunt ſuas facultates: ideoq́; utilitas in ea amicitia eſt ex participatione facultatum, operum, officiorũ: & uoluptas ex humana & benigna conuerſatione, quæ ne ſenio quidem morbisq́; confectos deſerere cõſueuit. Huc accedit & honeſtas morum probitasq́;. Eſt enim ſua cuiq́; uirtus, & mutua uirtute delectantur. Maximum autem huius communionis uinculum ſunt Liberi, ſunt enim commune bonum. Ideoq́; coniuges ἄτεκνοι facilius diſtrahuntur.

IIII. Quæ'nam cauſæ ſunt Amicitiæ? *Cap. 15.*

Quædam conſeruant amicitias, quædam diſſoluunt.

Quæ'nam cauſæ conſeruant amicitias?

Cum tres ſint amicitiæ, ex honeſtate ſcilicet, ex uoluptate &

te & ex utilitate, quarum rurſus quælibet uel in ἰσότητι uel in ὑπεροχῇ eſt, inter pares amicitia conſeruatur per ἰσότητα ſi pari beneuolentia & æqualibus beneficijs ſeſe inuicem proſequantur. Inter impares autem conſeruatur per analogiam: ſi ſcilicet quanto quiſque maiora beneficia in alium contulerit, tanto maiori honore ab illo uiciſsim afficiatur.

Quænam cauſæ diſſoluunt amicitias?

Amicitiæ diſſoluuntur, ſi æqualitas debita non obſeruetur, quod fit tum in amicitijs ἐν ἰσότητι, tum ἐν ὑπεροχῇ. Nam in amicitijs ἐν ἰσότητι maximè oriuntur querelæ & criminationes inter eos qui utilitatis gratia amici facti ſunt. Hi nanque inſatiabiles eſſe uidentur, ſemper plura deſiderant, ſemperq́ minus quàm par ſit, ſibi ab illis tribui, & pauciora quàm neceſsitas aut meritum exigat, ſe conſequi queruntur. Qui uerò beneficium dant, inexplebilem horum cupiditatem accuſant, cui non poſsint ſufficere.

Quomo-

Quomodo oriuntur criminationes in his amicitijs utilitatis cauſa contractis?

Amicitia propter utilitatem ſuſcepta eſt uel

- *Νομικὴ legitima, ἐπὶ ῥητοῖς, quæ certa lege conſtat: eſtq; uel*
  - *Sordida & mercaturæ ſimilis in qua ſtatim de manus in manũ precium numeratur, ἀγοραῖα, ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα.*
  - *Liberaliter ἐλευθεριωτέρα, εἰς χρόνον, qua ex pacto in tempus ſolutio differtur. Hîc oritur rixa & controuerſia ſi ad præſtitutum tempus non fit ſolutio,*
- *Ἠθικὴ, quæ ſola morum honeſtate & fide alterius conſtat: itaq; amico munus dat, operam ſuam gratis locat, hoſpitium largitur, comitatur, defendit, nullo pacto talionis interueniente. In hac naſcuntur criminationes, quando alter qui beneficium accepit, gratitudine non reſpondet expectationi eius qui beneficium cõtulit. Etſi enim beneficium conferens, non dixit ſe hoc talionis ſpe facere: tacitè tamen ſperat: quoniam omnes ferè homines uolunt & ſimulant honeſtatem, clam tamen utilitatem honeſtati præferunt.*

Quomodo diſſoluendæ ſunt iſtæ criminationes?

Si amicus beneficio affectus, par referre poteſt, reipſa beneficium referat, & uerbis profiteatur ſtatim ab initio, ſe primo quoq; tẽpore, quãdo & occaſio et poteſtas referendi dabitur, cum fœnore gratiam relaturum. Quo-

Quomodo oriuntur criminationes in amicitijs inæqualibus?

Quando quilibet eorum plus tribui ſibi poſtulat, quàm tribuatur. Qui enim ſuperior uirtute eſt, maiorem cultũ ſibi poſtulat: qui beneficijs ſuperior eſt plus gratitudinis ſibi deberi putat: Inferior è contra plus utilitatis affectat, nullum enim amici uſum exiſtimat, niſi utilitatem ab illo capiat.

Quomodo diſſoluuntur illæ rixæ?

In amicitia priuata, pauper pro beneficijs diuiti honorem atque cultum referet. Eſt enim honor uirtutis & beneficentiæ præmium. Diues autem *pro cultu & obſeruantia, beneficia in pauperem conferet. Nam indigentia & egeſtas pecunia ſubleuatur. In politica & publica amicitia, ei qui* Rempub. *beneficio affecit debetur publicum aliquod munus uel honorarium uel pecuniarium. Debet enim* ἀνταπόδοσις κατ' ἀξίαν *fieri:* τὸ κατ' ἀξίαν γὰρ ἐπανισοῖ καὶ σώζει τὴν φιλίαν. *Quod ſi* ἀξία *obſeruari nequit, referendum eſt quantum à nobis præſtari poteſt:* ἀνταποδοτέον τὸ ἐνδεχόμενον. τὸ δυνατὸν γὰρ ἡ φιλία ἐπιζητεῖ, οὐ τὸ κατ' ἀξίαν. *Nam propter beneficij magnitudinem* ἀξία *aliquando par in retribuendo dari nõ poteſt: ut Dijs & parentibus. Nam beneficiũ illis referre* κατ' ἀξίαν *nemo poteſt: ſed* εἰς δύναμιν *illis referre, iuſtum eſt:* οὐδεὶς τὴν ἀξίαν ποτ' ἂν ἀποδοίη τῷ θεῷ καὶ τοῖς γενεῦσιν· εἰς δύναμιν δὲ ὁ θεραπεύων, ἐπιεικὴς εἶναι δοκεῖ. *Vnde uideri poteſt fieri non poſſe ut filius parentem abdicet: quandiu enim quis alteri beneficiũ debet, tandiu illi obligatus eſt, neq; illum poteſt abdicare. At filius patri ſemper debet beneficium. Vt enim omnia patri tribuat filius, numquã tamen parem gratiam retulerit. Verùm experientia ſæpe contrariũ oſtendit, & uerum facit illud apud nos uſitatũ, Die liebe ſteigt underſich, nicht uberſich.*

LIBER

LIBER NO-NVS.

QVAESTIONES DE *Amicitia*.

I. Vnde nam ἀξία petenda eſt in compenſatione amicitiæ? Cap. 1.

AEQVALITAS & mutuum in amore conſeruat amicitias, τὸ ἀνάλογον ἰσάζει καὶ σώζει τὴν φιλίαν. Sic enim & in politica ſocietate ſutori pro calceis compenſatio fit ſecundum ἀξίαν: item textori & reliquis. Itaque inuentus eſt nummus quaſi communis menſura, ad eum ſiquidem omnia referuntur, isq́; omnia metitur. Quomodo autem ἀξία in compenſatione amicitiæ æſtimanda ſit, diſtinctione intelligemus. Nam de beneficio referendo ſtipulatio (διομολογία) inter amicos aut interceſſit, aut non interceſſit. Si interceſſit, is qui prior dat, uidetur permittere fidei accipientis, quantum retribuere iuſtum putet: qui uerò accipit, ſi pro beneficio gratiam referre nequeat, meritò repræhendendus eſt: ut ſophiſtæ pollicentes ſe omnium rerum cognitionem & ſapientiam tradituros diſcipulis. Vt igitur in promittendo impudentes ſunt auaritiæ cauſa: ita in præſtando perfidi, cauſa impotentiæ. Si uerò ſtipulatio non interceſſit, tum à dante aliquid in accipientem transfertur uel ἁπλῶς καὶ δι' αὐτὸν propter ipſum, quia dignus ſit: tum is qui accepit, remunerationem ſponte ſua facere debet: eſt enim gratitudo iſta uirtutis propria: Etſi

autem par gratia rependi nequit, at quanta tamen poteſt rependatur: exemplo philoſophiæ. Nam præceptoribus, qui nos in philoſophia erudierunt, par gratia rependi nequit, ſicut nec Dijs, nec parentibus. τοῖς φιλοσοφίας κοινωνήσασι τιμὴ ἰσόῤῥοπος οὐκ ἂν γένοιτο. οὐ γὰρ πρὸς χρήματ' ἡ ἀξία μετρεῖται: ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν καθάπερ καὶ πρὸς γονεῖς τὸ ἐνδεχόμενον. *Vel transfertur* ἐπί τινι *propter mercedem aliquam: tum in hoc caſu remuneratio talis eſſe debet, quæ placeat utrique.*

Cap. 2. II. Si non omnibus rependere poſſumus beneficia: quibus'nam plus debeamus?

Πότερον πάντα τῷ αὐτῷ ἀποδοτέον, ἢ μή;

Hæc quæſtio exactè & ſubtiliter explicari non poteſt. Multas enim & uarias habet differentias, quæ à magnitudine & paruitate meritorum ſumuntur, item ab honeſtate & neceſſitate. In genere tamen ſciendum eſt, non omnia ſingulis tribuenda eſſe, & ut plurimum gratiam ἀνταποδοτέον *potius, quàm nouum beneficium* δοτέον: *ſicut mutuum ei cui debetur reddendum eſt potius, quam ſodali donandum.*

III. Vtrum parenti omnia tribuenda ſint?

Πότερον δεῖ πάντα τῷ πατρὶ ἀπονέμειν ἢ οὔ;

Non omnia parentibus tribuenda ſunt, nam alia debentur parentibus alia fratribus, alia ſocijs, alia benefactoribus: ſed unicuiq; quæ conueniunt, tribuenda ſunt. ἑκάστοις τὰ οἰκεῖα

καὶ τὰ

καὶ τὰ ἁρμόττοντα ἀπονεμητέον. Et ſic uulgò homines facere ſolent. Nam ad nuptias & funera non quoſuis conuocant, ſed cognatos: quia commune illis genus eſt, ideoq́ communes circa idem actiones.

Oſtende igitur quid ſingulis debeatur?

1. *Parentibus debentur τροφὴ καὶ τιμὴ, Alimenta & Honor.*
2. *Senibus debetur τιμὴ honor propter ætatem: ſpecies honoris ſunt, aſſurgere, loco cedere, primæ ſedes, accubitus, caput aperire, deducere, comitari, parentes uocare, &c.*
3. *Socijs & fratribus debentur παῤῥησία, libera cenſura de omnibus dictis & factis, & κοινότης omnium rerum.*
4. *Cognatis, tribulibus, ciuibus tribuendum eſt ſuum cuiq; κατ' οἰκειότητα καὶ ἀρετὴν: prout quiſq; nobis proximus, aut uir optimus eſt, aut officioſiſſimus.*

IIII. Si amicus mutuum in amore non retribuat, utrum nos quoque amicitiæ renunciare debeamus?

Εἰ διαλυτέον τὰς φιλίας ἢ μὴ, πρὸς τοὺς μὴ διαμένοντας;

Amicitias, quæ uel ob utilitatem uel uoluptatem contractæ ſunt, abſurdum non eſt diſſoluere, ceſſante utilitate aut uoluptate. Quòd ſi is (quem nos uirtutis cauſa nobiſcum contraxiſſe putabamus, poſtea uerò cauſa uoluptatis uel utilitatis id ab eo factum deprehendimus) occaſionem huius opinionis non dedit, amicitiam diſſoluere poſſumus, & noſtram imprudentiam accuſare debemus, & præcipitantiam in amicitia contrahenda. Si uerò occaſionem eius opinionis nobis dedit per ſimulationem προσποίησιν, accuſari me-

ritò debet, & multò magis quàm ij qui monetam adulterant, quantò ſcilicet grauius eſt mores mentiri, quem pecuniam corrumpere.

Quid in amicitijs perfectis agendum eſt?

Si quem uirum bonum in amicitiam receperis, is autem poſtea improbus euadat uel euaſiſſe uideatur, is amplius amari dignus non eſt. Boni enim tantum amore digni ſunt, non mali.

Debeo'ne igitur ſtatim talem repudiare?

Non ſtatim talis eſt repudiandus, niſi ſit ἀνίατος inſanabilis propter improbitatem. Quod ſi adhuc corrigi poteſt, non eſt deſerendus. Nam amicum moribus corruptum maiore ſtudio corrigere debemus, quàm facultatibus adiuuare. ἐπανόρθωσιν ἔχουσιν μᾶλλον βοηθητέον εἰς τὸ ἦθος ἢ τὴν οὐσίαν, ὅσῳ βέλτιον καὶ τῆς φιλίας οἰκειότερον.

Quid ſi alter melior euadat adeò ut magnum inter amicos interuallum fiat?

Inter tales amplius amicitia eſſe non poteſt, neq; enim iiſdem rebus delectabuntur.

Quod ſi ergo conſtat amicitiam eſſe diſſoluendam, debeo'ne prorſus alienus fieri ab amico, quaſi nunquam amicus fuiſſem?

Non debes, ſed recordari debes amicitiæ præteritæ: niſi omnino improbus ille euaſerit.

V. Περὶ

V. Περὶ τῶν φιλικῶν. Quæ'nam ſtudia & officia exhibenda ſint amicis? Cap. 4.

Ea officia quæ in amicos conferri ſolent, ex ea dilectione quæ cuiq; erga ſeipſum eſt, proficiſcuntur. τὰ φιλικὰ πρὸς τοὺς φίλους, ἐκ τῶν πρὸς ἑαυτὸν ἔοικεν ἐληλυθέναι. *Aiunt enim eſſe amicum, qui uelit & faciat bona amici cauſa: aut qui uelit amicum eſſe & uiuere amici cauſa, aut qui conuerſetur & eadem uelit, & iiſdem lætetur ac doleat.*

Qualia ergo ſunt ſtudia hominum erga ſeipſos?

Hîc differunt probi & boni ab improbis. Boni enim uiri cupiunt ſibi bona euenire omnia à quibuſcunq;: præſertim uerò menti ſuæ bona ſumma euenire: præcipuè concordiam partium animæ: τὸ ὁμογνωμονεῖν: *deinde eſſe quoq; & uiuere uolunt. Et qui tales ſunt, ij ſecum libentiſsimè conuerſantur, & ut maximè ſoli ſint, nunquam tamen ſoli ſunt. Nam præteritorum memoria & conſcientia rectè factorum illis iucundiſsima eſt, & futura tanquã præſentia, ſpe bona cum gaudio intuetur. His accedit contemplatio & iucunditas ſtudiorum, qui unus dulciſsimus paſtus eſt animorum. Dolent autem & lætantur maximè ſecum, nihil enim agit cuius pœnitentia duci queant.* Μάλιστα συνδιάγειν ὁ τοιοῦτος ἑαυτῷ βούλεται. τῶν τε γὰρ πεπραγμένων ἐπιτερπεῖς αἱ μνῆμαι καὶ τῶν μελλόντων ἐλπίδες ἀγαθαί, καὶ θεωρημάτων δ' εὐπορεῖ τῇ διανοίᾳ. *Qualis ergo hæc beneuolentia bonorum erga ſeipſos eſt, talis eſt uera amicitia erga alios: In ea enim iuerunt eædem conditiones: Voluntatis, Conuerſationis & Affectuum paritas. Eſt enim amicus alter idem,* ἕτερος αὐτός, ἄλλος αὐτός.

Digitized by Google

Quomodo autem improbi erga ſeipſos affecti ſunt?

Contrario modo ſe habent in his omnibus. Nam 1. quod ad Voluntatem attinet, nec ſibi, nec alijs bona cupiunt. Secum enim diſsident ipſi, & alia deſiderant, alia aſſequuntur. Volūt enim pro bonis & honeſtis iucunda, ſed ſibi noxia. 2. quo ad conuerſationem, propter conſcientiam ſcelerum & improbitatem uitam oderunt, & aut ſe interimunt, aut ut ſolitudinem & ſeipſos fugiant, conuerſationem quærunt, ut ſuorum ſcelerum obliuiſcantur. 3. Quoad affectus, uehementiſsimis doloribus cruciantur, & modo dolent, modo gaudent, modo huc, modo illuc diſtrahuntur, ut merito anima ipſorum ſeditioſa dici queat, στασιάζει γὰρ αὐτῶν ἡ ψυχὴ: cumq́ nihil amabile habeant: neq; ſeipſos, neq; alios amare poſſunt. Subinde enim improbum ſuorum facinorum pœnitet, pigetq́: μεταμελείας οἱ φαῦλοι γέμουσι. Cùm itaq; tanta ſit improbi hominis miſeria, fugienda eſt improbitas manibus pedibusq́: econtrâ uirtus ampleċtenda. Nam uirtutis ſplendore & alios in noſtri amorem pelliciemus, & nobiſipſis maximè chari erimus. εἰ δὲ τὸ οὕτως ἔχειν λίαν ἐστὶν ἄθλιον, φευκτέον τὴν μοχθηρίαν διατεταμένως (& ut Plato ait ἀμεταστρεπτί) καὶ πειρατέον ἐπιεικῆ εἶναι. οὕτω γὰρ καὶ πρὸς αὑτὸν φιλικῶς ἂν ἔχοι καὶ ἑτέρῳ φίλος γένοιτο.

Cap. 5. V I. Περὶ εὐνοίας. An beneuolentia ſit Amicitia?

Beneuolentia non eſt eadem cum amicitia. Nam beneuolentia etiã inter ignotos & obſcura eſſe poteſt. Amicitia econtrà. γίνεται καὶ εὔνοια καὶ πρὸς ἀγνῶτας καὶ λανθάνουσα: φιλία δ' οὔ. Beneuolentia quoq; non eſt φίλησις, amatio. nam φίλησις contentionem habet & appetitionem conuerſandi διάτασιν

τασιν καὶ ὄρεξιν: quod in εὐνοίᾳ non eſt. Deinde φίλησις ex conſuetudine oritur, at beneuolentia ſubitò. ἡ φίλησις μετὰ συνηθείας, ἡ δ' εὔνοια καὶ ἐκ προσπαίου. Nam εὖνοι προσπαίως γίνονται καὶ ἐπιπολαίως στέργουσιν. Eſt tamen amicitiæ principium ipſa beneuolentia, non tamen amicitia, niſi ἀργὴ, id eſt otioſa. Nam uera amicitia μὴ λανθάνουσα, uoluntatem ſuam reipſa declarat, eſtq; μὴ ἀργὴ, ἀλλ' ἐνεργητική. Hæc tamen otioſa amicitia χρονιζομένη καὶ εἰς συνήθειαν ἀφικνουμένη, id eſt accesſione temporis & conſuetudine adhibita, in ueram amicitiam conuerti poteſt.

VII. Περὶ ὁμονοίας. An concordia ſit amicitia? *Cap. 6.*

Concordia non eſt idem quod amicitia: ſed amicitiæ ueluti effectus. Deinde neq; ὁμοδοξία, id eſt, opinionum conſenſus, concordia eſt: poteſt enim ὁμοδοξία etiam inter ignotos eſſe. Neq; illi concordes dici poſſunt, qui in quibuslibet rebus idem ſentiunt, utputa de rebus cœleſtibus.

In quibus ergo rebus dicitur Concordia?

In illis rebus uerſatur, quæ in actione conſiſtunt, quæq; magnæ ſunt & utriſq; eorum qui concordes ſunt uel omnibus euenire poſſunt. ut in magiſtratu eligendo, in bello inferendo concordia eſſe poteſt.

Quis eſt finis Concordiæ?

Τὰ συμφέροντα καὶ πρὸς τὸν βίον ἀνήκοντα. Ea quæ utilia ſunt & ad uitæ uſum pertinent, hoc eſt, Salus & utilitas publica.

Inter quos poteſt eſſe Concordia?

Inter bonos tantum: hi enim ſecum ſemper concordes ſunt, cum

cum eorum uoluntates eædem ſemper permaneant neq; inſtar Euripi fluunt atq; refluunt. τῶν ἐπιεικῶν μένει τὰ βουλήματα, καὶ οὐ μεταῤῥεῖ ὥσπερ εὔριπος. *Omnia enim referunt ad iuſtitiam & Reip. utilitatem. Inter improbos autem nulla uera concordia locum habere poteſt. Priuatam enim ſuam utilitatem perſequuntur ob* πλεονεξίαν: *aliorum impediunt & prohibent. In laboribus &* λειτουργίαις, *muneribus publicis, reſtricti ſunt. Publicam utilitatem negligunt. Iuſtitiam non obſeruant ſed ſeditiones excitant, cum alios legibus ſubijcere, ipſi uerò ijſdem ſoluti eſſe uelint.*

Cap. 7. VIII. Vtrum benefactores eos quos beneficijs affecerunt, plus ament, an econtrà.

Πότερον οἱ εὐεργέται τοὺς εὐεργετηθέντας μᾶλλον φιλοῦσι, ἢ οἱ εὖ παθόντες τοὺς δράσαντες;

Benefactores plus amant eos quos beneficijs affecerunt, quam hi illos. 1. *A' ſimili. Sicut enim debitores ſuis creditoribus interitum optant: at creditores debitoribus ſalutem; ſibi qui beneficium accepit, de referenda gratia non cogitat.* ἀμνήμονες γὰρ οἱ πολλοί. *Nemo enim beneficum in Calendarium ſcribit.* 2. *Quia unuſquiſque ſuum opus amat: ſicut beneficus ſuum beneficium.* 3. *Quia in dante honeſtas eſt, qua delectatur benefactor, cum eam in alio uidet: quod in accipiente non eſt.* 4. *Quia maiorem in conferendo uoluptatem percipiunt, quam alij in accipiendo:* 5. *Quia actio præſtantior eſt, quàm paſsio.* 6. *Quia dare operoſius eſt, quàm accipere.*

IX. Περὶ

IX. Περὶ φιλαυτίας. De amore ſuiipſius: Vtrum ſe magis, quàm alium amare oporteat. Cap. 8.

Πότερον δεῖ φιλεῖν ἑαυτὸν μάλιστα ἄλλον τινά.

Alij philautos uituperant, quia ſeipſum amare ſit improbi: alij laudant, quia ſibi quiſque proximus eſt, quod indicant prouerbia trita, μία ψυχή, κοινὰ τὰ τῶν φίλων, ἰσότης φιλότης, γόνυ κνήμης ἔγγυον*: ea enim omnia amori proprio maximè inſunt: & iureconſulti aiunt, charitas ordinata incipit à ſeipſa. Sed hic diſtinguendum eſt;* δεῖ τοὺς λόγους διαιρεῖν καὶ διορίζειν. *Nam alia* φιλαυτία *mala eſt, alia bona. Mala eſt, quæ in pecunia, honoribus, uoluptatibus corporis maiorem ſibi partem tribuit, quali philautia maior pars hominum laborat: & propter iſtas res grauiſsimas inimicitias inter ſe exercet. Bona autem, uiri boni propria eſt: is enim ſibiipſi, ea quæ ſunt optima & præſtantiſsima tribuit, honeſtatem ſcilicet: quam ita expetit: ut & pecuniæ & honorum & omnium bonorum reliquorum, ipſius etiam uitæ iacturam faciat, & pro amicorum commodis ea exponat, ut ipſe ſibi maius bonum illud comparet. Ita enim animatus eſt uir bonus, ut præſtantius ducat magna uoluptate bonoq́ maximo, exiguo tempore frui: quàm parua uoluptate bonoq́ mediocri, tempore longo.*

X. Vtrum beatus amicis indigeat. Cap. 9.

Πότερον ὁ εὐδαίμων δεῖται φίλων, ἢ μή.

Amicis utriq; indigent & beati & miſeri. Hi quidem ut

amicorum ope ſubleuentur: illi ut habeant quibus beneſaciant, & uirtutem ſuam actionibus honeſtis declarent, confirment, & exerceant, ἄσκησις δὲ ἀρετῆς ἐκ τοῦ συζῆν τοῖς ἀγαθοῖς.

Cap. 10.

XI. Vtrum plurimi amici ſint aſciſcendi.

Ἆρ' ὡς πλείστους φίλους ποιητέον.

In amicitijs utilitatis aut uoluptatis cauſa contractis plures amici locum non habent. Multitudo enim uitam beatam impedire poteſt aut ſaltem ſuperuacanea ad eam eſt. Quod autem ad amicitiam ex honeſtate ortam attinet, quemadmodum in ciuitate benè conſtituta certus eſt ciuium numerus: ita & in priuatorum hominum amicitijs certus numerus eſſe debet. Pauci ergo amici aſciſcendi ſunt: nam & in amicitijs, quæ apud ueteres fuiſſe decantantur, duo tantum in quauis amicitia fuerunt, unde et amicorum paria dicuntur. αἱ ὑμνούμεναι ἐν δυσὶ λέγονται. *Qui uerò* πολύφιλοι *ſunt & multas amicitias cum multis contrahunt, nemini uidentur eſſe amici, niſi* πολιτικῶς, *dicunturq́;* ἄρεσκοι *blandi, qui in omnibus dictis & factis alteri obſecundant.*

Cap. 11.

XII. Vtrum in rebus proſperis, an aduerſis magis indigeamus amicis?

Πότερον μὲν εὐτυχίαις μᾶλλον φίλων δεῖ ἢ ἐν ἀτυχίαις.

Vtroque tempore indigemus amicis: magis tamen in aduerſo. κουφίζονται γὰρ οἱ λυπούμενοι συναλγούντων τῶν φίλων: παραμυθητικὸν δὲ ὁ φίλος καὶ τῇ ὄψει καὶ τῷ λόγῳ

λόγῳ, ἐὰν ᾖ ἐπιδέξιος. οἶδε γὰρ τὸ ἦθος καὶ ἐφ᾽ οἷς ἥδεται καὶ λυπεῖται.

Quo tempore potiſsimum amici uocandi ſunt?

Quo res proſperæ ſunt, quia honeſtum eſt de illis bene mereri: in aduerſis autem cunctanter uocandi ſunt, quam parciſsimè enim mala amicis ſunt communicanda. Vnde illud, ἅλις ἐγὼ δυστυχῶν*: niſi exigua moleſtia deuorata, nobis magnoperè ſint profuturi.*

Quando autem ſpontè amicis adeſſe debent amici etiam non uocati?

In rebus aduerſis ſpontè, ultrò & alacriter amicis adeſſe debemus. ἰέναι δεῖ πρὸς τοὺς ἀτυχοῦντας ἄκλητον καὶ προθύμως. *In proſperis uerò, ſi amicum adiuuare poſſumus, alacriter aduolabimus: ſin minus, cunctanter accedemus: quòd ſi beneficio nos afficere uoluerint, moleſtiam & moroſitatem in recuſando uitabimus.* εἰς τὰς εὐτυχίας, συνεργοῦντα προθύμως δεῖ ἰέναι, πρὸς εὐπάθειαν δὲ σχολαίως. δόξαν δ᾽ ἀηδίας ἐν τῷ διωθεῖσθαι ἴσως εὐλαβητέον.

XIII. Cur in amicitia conuerſatio requiratur? Cap.12.

Περὶ τοῦ συζῆν, διὰ τί αἱρετώτατον τοῖς φίλοις.

Requiritur in amicitia conuerſatio: quia ſocietas & uitæ communitas requirit conuerſationem.

Quomodo conuerſantur inter ſe amici?

Quacunq; in re ſunt cuiq; uiuendi ſtatus eſt poſitus, cuiuſq;

rei

Digitized by Google

rei gratia manere in uita exoptat, in ea re cum amicis uult uitam traducere. Ideóq; alij compotant, alij colludunt, alij unà exercentur & uenantur, alij unà philoſophantur, in eo deniq; ſinguli totos dies collocant, quod maximè omnium uitæ ſtudiorum adamarunt. Ex hac uiuendi ſocietate ſtudiorumq; paritate amicitia malorum uitioſa eſt, propter communionem malarum rerum, minimeq; ſtabilium: & propter imitationem; quia alter alterius improba ſtudia ſequi & exprimere conatur. Bonorum autem amicitia honeſta eſt, nam per conuerſationem augetur: ipſi quoque meliores fiunt quotidianis actionibus, dum non modò ſe inter ſe corrigunt, ſed etiam alter alterum imitatur. ἡ τῶν ἐπιεικῶν φιλία ἐπιεικὴς δοκοῦσι γὰρ βελτίους γίνεσθαι ἐνεργοῦντες καὶ διορθοῦντες ἀλλήλους, ἀπομάττονται γὰρ παρ᾽ ἀλλήλων, οἷς ἀρέσκονται: *Vnde Theognis:*

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ᾽ ἐσθλά μαθήσεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
συμμίξαις, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

LIBER

LIBER DECI-MVS.

DE VOLVPTATE.

Quod'nam eſt alterum Virtutis adiunctum? Cap. 1.

VOLVPTAS: *in qua Ariſtoteles quatuor con ſiderat. 1. Cur de Voluptate dicere ethici ſit: idq; in primo capite. 2. quid ſit. 3. quæ ipſius adiuncta. 4. quæ ſpecies.*

Quid eſt Voluptas? Cap. 4.

Eſt perfectio quædam actionum & functionum humanarum τελειοῖ γὰρ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονὴ. *Actio autem perfecta eſt quando ſenſus & intellectus optimè percipiunt ſua obiecta. Huiuſmodi actionem uoluptas comitatur, quemadmodum formoſitas uigorem ætatis. Voluptas enim perficit functiones, non ut habitus inſitus, ſed ut finis quidam ſubſequens.* οὐχ' ὡς ἕξις ἐνυπάρχουσα, ἀλλ' ὡς ἐπιγινόμενόν τι τέλος. οἷον τοῖς ἀκμαίοις ἡ ὥρα.

Quæ'nam ſunt adiuncta uoluptatis?

Duo: Breuitas, & Quòd ab omnibus expetitur.

Quî fit ut nemo continenter delectetur?

Quoniam actiones humanæ non poſſunt eſſe continuæ: operatione itaq; ceſſante, ceſſat & uoluptas.

Cur

Digitized by Google

Cur ab omnibus expetitur uoluptas?

Quia omnes uiuendi cupiditate tenentur: ad uitam autem uoluptas maximè confert: uitam enim cuiuſque perfectam reddit.

Cap. 5.

Quæ'nam ſunt ſpecies uoluptatis?

Voluptas alia honeſta eſt, alia inhoneſta. Inhoneſtæ uoluptatis nomen non merentur, niſi fortaſſe reſpectu hominum corruptorum. Honeſtæ autem, per ſe uoluptates ſunt & appellantur: & hominis propriæ dici poſſunt. τὰς ὁμολογουμένας αἰσχρὰς δῆλον ὡς οὐ φατέον ἡδονὰς εἶναι, πλὴν τοῖς διεφθαρμένοις, τῶν δ' ἐπιεικῶν δοκοῦσιν εἶναι.

DE BEATITVDINE.

Cap. 6.

Quid ad extremum Ariſtoteles agit?

1. Repetit quædam de Beatitudine, quam Finem humanarum actionum poſuit. 2. Epilogum ethicorum ſubijcit.

Quid eſt Beatitudo?

Eſt ἐνέργεια *per ſe expetenda in ſerijs actionibus uirtutis.*

At uulgus & qui in imperio ac poteſtate ſunt, maximè ludos appetunt.

Non, quia hi puram ueramq́; uoluptatem ignorantes, ad turpes corporis illecebras confugiunt, ideò beatitudo in ludo uerſatur. Nam & pueri ſuas habent uoluptates, & crepundia ſui magni æſtimant: quas tamen uiri nihili faciunt. οὐκ εἰ ἄγευστοι ὄντες εἰλικρινοῦς ἡδονῆς καὶ ἐλευθερίου ἐπὶ τὰς σωματικὰς

τινὰς καταφεύγουσι διὰ τοῦτο αὐτὰς οἰητέον αἱρετωτέρας εἶναι. *Deinde finis uitæ humanæ non eſt ludus, neque ad ludum iocumq́ue nati uidemur: ſed ad uirtutis actionis ſerias.* καὶ γὰρ ἄτοπον τὸ τέλος εἶναι παιδιάν, καὶ πραγματεύεσθαι καὶ κακοπαθεῖν τὸν βίον ἅπαντα τοῦ παίζειν χάριν.

Quottuplex eſt beatitudo? Cap. 7.

Duplex. Alia enim eſt in bonis Animi, quæ propriè Beatitudo dicitur, εὐδαιμονία: *alia in bonis Externis, quæ propriè Felicitas* εὐτυχία *dicitur.*

Quottuplex eſt εὐδαιμονία?

Duplex. Theorica & Practica.

Quid eſt Theorica?

Quæ uerſatur in contemplatione & cognitione honeſtiſſimarum & diuiniſsimarum rerum: eſtq́ue omnium perfectiſsima. 1. quia eſt actio mentis, præſtantiſsimæ partis hominis. 2. quia diuturnior eſt, magisq́ue aſsidua. 3. quia perfectiorem continet uoluptatem & ſolidiorem. 4. quia ſeipſa contenta eſt, externis ſubſidijs non eget. αὐτάρκης ἐστί. *5. quia per ſe expetitur. 6. quia in otio maximè uerſatur. 7. quoniam diuina potius eſt, quàm humana. 8. quia homini propriè conuenit. 9. quia uoluptate perfectiſsima abundat. Quod cùm ita ſit, ſummo ſtudio conemur excolere partem in nobis præſtantiſsimum, Mentem ſcilicet quæ nonnihil habet diuinitatis.* δοκεῖ γὰρ θεῖόν τι, ἢ τῶν ἐν ἡμῖν θειότατον· δοκεῖ οὖν ἡ σοφία θαυμαστὰς ἡδονὰς ἔχειν καθαριότητι καὶ τῷ βεβαίῳ. *Nec audiendi ſunt qui dicunt homines humana debere ſapere. Vnuſquiſque enim perfectionem & immortalitatem ſuam debet ſpectare.* χρὴ ὅσον ἐνδέχεται ἀποθανατίζειν καὶ

ἅπαντα

ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον ἐν αὐτῷ· εἰ γὰρ καὶ τῷ ὄγκῳ μικρόν ἐστιν, ἀλλὰ δυνάμει καὶ τιμιότητι πολὺ μᾶλλον ὑπερέχει πάντων.

Cap. 8.

Quid eſt Beatitudo practica?

Eſt quæ uerſatur in uſu moralium uirtutum. Hanc omnibus modis cōtemplatione diuinarum rerum inferiorem facit.

Quid eſt Felicitas?

Eſt aduentitia & externa χορηγία, *ſeu* εὐημερία, *ſeu* εὐτυχία, *ſeu* εὐπορία, *quæ in hominis poteſtate non eſt ſita, ſed aliunde aduenit. Hac quidem beatus indiget, non tamen infinita: eſt enim beatitudo* αὐτάρκεια. *Nam etiam ij qui nec in terra, nec in mari imperium habent: res præclaras gerere, & mediocribus bonis inſtructi ſecundùm uirtutem uiuere poſſunt. Denique qui menti conuenienter uiuunt, eamq́ excolunt, eaq́ optimè affecti ſunt, illi* θεοφιλέστατοι *Deo chariſsimi ſunt. Si enim Dij rerum humanarum aliquam curam habent (ut habent) ueriſimile eſt eos maximè delectari optima & præſtantiſsima hominis parte: eosq́ qui in mentis cultu uerſantur, quàm maximè diligere, tanquàm amicos. Hi ergo beatiſsimi ſunt.*

EPILOGVS.

Cap. 9.

Quid agit in Epilogo?

Quoniam Ethica doctrina non in cognitione tantum eſt, ſed & in actione: docet præter naturam & doctrinam requiri etiam exercitationem & diſciplinam quam Legibus introduci debere ait: de his ergo in Politicis ſe diſputaturum promittit.

FINIS.

ALTERA

Digitized by Google

ALTERA PARS ETHICAE, EXOTERICA:

Complectens

Carmina Ethica, ſeu Ἔπη Χρυσᾶ.

Y ARISTO-

ARISTOTELES LIBRO IX. ETHICORUM.

Viro bono iucunda & ſuauis, ἡδεῖα eſt

- μνήμη τῶν γεγενημένων.
- ἐνέργεια τοῦ παρόντος.
- ἐλπὶς τοῦ μέλλοντος.

ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ.

Digitized by Google

CARMINA ETHICA.

VTILITAS ETHICAE.

EMollit mores,nec ſinit eſſe feros.
——Cœlo deſcendit, Γνῶθι σεαυτόν:

SVBIECTVM ETHICAE *& eius deſcriptio.*

Claudianus.

In Latium ſpretis Academia migrat Athenis.
Vt tandem propius diſcat,quo Fine beatum
Dirigitur,quæ norma boni,quis limes honeſti,
Quæ'nam membra ſui Virtus diuiſa domandis
Obijciat uitijs,quæ pars Iniuſta recidat,
Quæ uincat ratione Metus,quæ frænet Amores.

Perſius Satyr.3.

Diſcite nunc miſeri & cauſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus,aut quid'nam uicturi gignimur,ordo
Quis datus,aut metæ quàm mollis flexus,& unde:
Quis modus argento:quid fas optare:quid aſper
Vtile nummus habet,patriæ cariſq; propinquis
Quantum elargiri deceat,quem te Deus eſſe
Iuſſit,& humana qua parte locatus es in re.

BEATITVDO.

Ouidius.

——Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini,diciq; beatus
Ante obitum nemo,ſupremaq; funera debet.

Digitized by Google

VVLGI BEATITVDO.

O' ciues ciues, quærenda pecunia primùm,
Virtus poſt nũmos. Horat. Adde carmen Martialis.
Vitam, quæ faciunt beatiorem, &c.

VIRTVS.

——Per ſeq́; petenda eſt
Externis uirtus incomitata bonis.

Iuuenalis.

——Semita certè
Tranquillæ per uirtutem patet unica uitæ.

Claudianus.

Ipſa quidem uirtus precium ſibi, ſolaq́; latè
Fortunæ ſecura nitet: nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſú ue petit clareſcere uulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis.
Diuitijs animoſa ſuis, immotaq́; cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arte.
Attamen inuitam blandè ueſtigat, & ultrò
Ambit honor: docuit toties à rure profectus
Lictor, & in medijs Conſul quæſitus aratris.

Virg. de litera Pythagoræ.

Litera Pythagoræ diſcrimine ſecta bicorni,
Humanæ uitæ ſpeciem præferre uidetur.
Nam uia uirtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemq́; aditum primùm ſpectantibus offert
Sed requiem præbet feſsis in uertice ſummo:
Molle oſtentat iter uia late, ſed ultima meta

Præcipitat

Digitized by Google

Præcipitat captos, uoluitq́; per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus uirtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemq́; decuſq́; parabit.
At qui deſidiam, luxumq́; ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis inopsq́; ſimul miſerabile tranſiget æuum.

VIRTVS IN DIFFICILIBVS *uerſatur:* ἐν ταῖς δυστυχίαις λάμπει τὸ καλόν.

Heſiodus.

Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.
καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον, ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Ouidius.

Materiamq́; tuis triſtem uirtutibus imple,
Ardua per præceps gloria uadit iter.
Hectora qui noſſet felix ſi Troia fuiſſet?
Publica uirtutis per mala uia eſt.
Ars tua Tiphy iacet ſi non ſit in æquore fluctus,
Si ualeant homines ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet, inq́; bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet uirtus arguiturq́; malis.
Das heiſſt, auſs der noth ein tugend machen.

Idem.

Scilicet aduerſis probitas exercita rebus
Triſti materiam tempore laudis habet.

Si nihil infeſti durus uidiſſet Vlyſſes,
Penelope felix, ſed ſine laude foret.

DEFINITIO VIRTVTIS.

Horatius.

Virtus eſt medium uitiorum & utrinq; reductum.

Idem.

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines.
Vltra quos citráq; nequit conſiſtere rectum.

Idem.

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltra quàm ſatis eſt uirtutem ſi petat ipſam.
——Medio tutiſsimus ibis.
——Medium tenêre beati.

VIR BONVS.

Virgilius.

Vir bonus & ſapiens (qualem uix reperit unum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo)
Iudex ipſe ſui, totum ſe explorat ad unguem:
Quid proceres uaniq; ferat quid opinio uulgi,
Securus: mundi inſtar habens, teres atq; rotundus.
Externæ ne quid labis per leuia ſidat.
Ille dies quam longus erit ſub ſidere cancri,
Quantáq; nox tropico ſe porrigit in capricorno,
Cogitat, & iuſto trutinæ ſe examine penſat:
Ne quid hiet, ne quis protuberet angulus, æquis
Partibus ut coëat, nil ut deliret amuſsis.
Sit ſolidum quodcunq; ſubeſt, nec inania ſubtus
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.

Non

Digitized by Google

Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quam longi reputauerit acta diei:
Quo prætergreſſus? quid geſtum in tempore, quid non?
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc ſententia ſedit,
Quam melius mutare fuit: miſeratus egentem
Cur aliquem fracta perpenſi mente dolorem?
Quid uolui, quod nolle bonum foret? utile honeſto
Cur malus antetuli? num dicto aut deniq; uultu
Perſtrictus quiſquam? cur me natura magis quàm
Diſciplina trahit? Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens, ortuq́; & ueſpere cuncta reuoluens
Offenſus prauis, dat palmam & præmia rectis.

Pythagoras in aureis carminibus.

Μὴδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι
πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν:
πῆ παρέβην, τί δ' ἔρεξα: τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

SPECIES VIRTVTIS IN GEnere cum contrarijs uitijs.

Claudianus.

Iuſtitia utilibus rectum præponere ſuadet,
Communesq́; ſequi leges, iniuſtaq́; nunquam
Largiri ſocijs. Durum patientia corpus
Inſtruit, ut nulli cupiat ceſsiſſe labori.
Temperies ut caſta petas. Prudentia ne quid
Inconſultus agas. Conſtantia futile nequid
Infirmumq́; geras. Procul importuna fugantur
Numina, monſtriferis quæ Tartarus edidit antris.

Ac primum ſcelerum matrem (quæ ſemper habendo
Plus ſitiens patulis rimatur faucibus aurum)
Effuge auaritiam: cuius fœdiſsima nutrix
Ambitio, quæ ueſtibulis foribusq; potentum
Excubat, & precijs commercia poſcit bonorum.

I. FORTITVDO.

Ouidius.

Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor,
Vt uolucri uacuo quicquid in orbe patet.
Nec fera tempeſtas toto tamen horret in anno:
Et tibi, crede mihi, tempera ueris erunt.

Virgilius.

O' paſsi grauiora dabit Deus his quoq; finem.
Durate & uoſmet rebus ſeruate ſecundis.

Iuuenalis.

Ponamus nimios gemitus: flagrantior æquo
Non debet dolor eſſe uiri, nec uulnere maior.

II. TEMPERANTIA.

Virgilius.

Nec Veneris, nec tu uini capiaris amore,
Vno nanq; modo uina Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat uires, ſic copia uini:
Et tentat greſſus, debilitatq; pedes.
Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri,
Arcanum demens detegit ebrietas:
Bellum ſæpè petit ferus exitiale Cupido,
Sæpè manus itidem Bacchus ad arma uocat.
Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello,
Et Lapithas bello perdis Iacche graui.

Deniq;

Digitized by Google

Deniq; cum mentes hominum furiarit uterq;,
Et pudor & probitas & metus omnis abeſt.
Compedibus Venerem, uinclis conſtringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat uterq; ſuis.
Vina ſitim ſedant, natis Venus alma creandis:
Sed fines horum tranſilijſſe nocet.

LVXVRIA.

Claudianus.

Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine ſenſus,
Membraq; Circæis effœminat acrius herbis.
Blanda quidem uultu, ſed qua non tetrior ulla
Interius, fucata genas & amicta doloſis
Illecebris toruos auro circumlinit hydros,
Illa uoluptatum multos innexuit hamis.

Ouidius.

Luxuriant animi rebus plerunq; ſecundis,
Nec facile eſt æqua commoda mente pati.

III. LIBERALITAS.

Claudianus.

Gratiaq; officio, quod mora tardat, abeſt.
Anteueni tempus, non expectantibus ultrò
Munificus.——

AVARITIA.

Propertius.

Ergo ſollicitæ tu cauſa pecunia uitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.

Tu uitijs hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo
Terra parum fuerat, terris adiecimus undas,
Fortunæ miſeras auximus arte uias.

Ouidius.

Tempore creuit amor (qui nunc eſt ſummus) habendi:
Vix ultra quò iam progrediatur habet.
Pluris opes nunc ſunt, quam priſci temporis annis,
Dum populus pauper, dum noua Roma fuit.

Idem.

Creuerunt & opes, & opum furioſa cupido,
Et cum poſsideant plurima, plura petunt.
Quærere ut abſumant, abſumpta requirere certant,
Atq; ipſæ uitijs ſunt alimenta uices.
Sic quibus intumuit ſuffuſa uenter ab unda:
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur, aquæ.
In precio precium nunc eſt, dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper ubiq; iacet.

Claudianus.

Quò ueſane ruis? teneas utrunq; licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes:
Iungantur ſolium Crœſi, Cyriq; tiaræ:
Nunquam diues eris, nunquam ſatiabere quæſtus
Semper inops quicunq; cupit, contentus honeſto
Fabricius paruo ſpernebat munera regum,
Sudabatq; graui Conſul Serranus aratro,
Et caſa pugnaces Curios anguſta tegebat,
Viuitur exiguo melius, natura beatis

Omnibus

Digitized by Google

Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognouerit uti.
Hæc ſi nota forent, frueremur ſimplice cultu:
Claſsica non fremerent, non ſtridula fraxinus iret,
Non uentus quateret puppes, non machina muros.

IIII. MAGNIFICENTIA, ET *eius contrarium Luxus.*

Claudianus.

Eſt luxus populator opum, cui ſemper adhærens
Infelix humili greſſu comitatur egeſtas.

V. MAGNANIMITAS, ET *eius contrarium Superbia ſeu Faſtus.*

Claudianus.

Inquinat egregios adiuncta Superbia mores.

Idem.

——Vitium rebus ſolenne ſecundis,
Virtutumq; ingrata comes.

VI. STVDIVM HONORIS *& eius contrarium Ambitio.*

Iuuenalis.

——Cauſa eſt diſcriminis atq; laboris
Ambitio, tanto maior famæ ſitis eſt, quàm
Virtutis,

VIII. CLE.

Digitized by Google

VII. CLEMENTIA.

Claudianus.

Hæc docet, ut pœnis hominum uel ſanguine paſci
Turpe ferumq́ putes: ut ferum Marte cruentum
Siccum pace premas, ut non infenſus alendis
Materiam præſtes odijs: ut ſontibus ultrò
Ignouiſſe uelis, deponas ocyus iram
Quàm moueas, precibus nunquam implacabilis obſtes:
Obuia proſternas, proſtrataq́ more Leonum
Deſpicias: alacres ardent cum ſternere tauros,
Tranſiliunt prædas humiles: hac ipſe magiſtra
Da ueniam uictis: hac exhortante calores
Horrificos, & quæ nunquam nocitura timentur
Iurgia, contentus ſolo terrore, coherce:
Aetherei patris exemplo, qui cuncta ſonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum ſpicula differt
In ſcopulos & monſtra maris: noſtriq́ cruoris
Parcus, in Oeteis exercet fulmina ſyluis.

Ouidius.

Quo quiſq́ eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
  Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
  Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet
At lupus & turpes inſtant morientibus urſi,
  Et quæcunq́ minor nobilitate fera eſt.
Maius ad Troiam forti quid habemus Achille?
  Dardanij lacrymas non tulit ille ſenis.
Quæ ducis Emathij fuerit clementia, Pharos
  Præclariq́ docent funeris exequiæ.

Idem

Idem.

Si, quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Iupiter, exiguo tempore inermis erit.
Nunc ubi detonuit, ſtrepituq; exterruit orbem,
Purum diſcuſsis aëra reddit aquis.

INDVLGENTIA, OBſequium.

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.

IRACVNDIA, IRA.

Ouidius.

Sed nunquam dederis ſpatioſum tempus in iram:
Sæpè ſimultates ira morata facit.

Iuuenalis.

——Minuti
Semper & infirmi eſt animi, exiguiq; uoluptas
Vltio: continuò ſic collige, quòd Vindicta
Nemo magis gaudet quàm fœmina.

VIII. VERITAS ET Fides.

Claudianus.

——Hæc docuit nullo liueſcere fuco,
Nunquam falſa loqui, nunquam promiſſa morari,
Inuiſos odiſſe palam: non uirus in alto
Condere, non lætam ſpeciem prætendere fraudi:

Sed

Digitized by Google

Sed certum,mentiq́; parem componere uultum.
Hæc & amicitias longo poſt tempore firmat,
Manſuroq́; adamante ligat,nec mobile mutat
Ingenium.

PERFIDIA, MENDACIVM, *Periuria.*

Tibullus.

Ah miſer,etſi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.

IX. VRBANITAS.

Ouidius.

Qui ſermone placet,taciturna ſilentia uitet.

X. HVMANITAS, PO- *pularitas.*

Dextera præcipuè capit indulgentia mentes,
Aſperitas odium ſæuaq́; bella mouet.
Flectitur obſequio curuatus ab arbore ramus,
Franges,ſi uires experière tuas.
Obſequio tranantur aquæ,nec uincere poſsis
Flumina,ſi contra quàm rapit unda,nates.

XI. IVSTITIA.

Iuſtitia in ſeſe uirtutes continet omnes.
Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ᾽ ἀρετή—'στι.

Ouidius.

Aſpiciunt oculis ſuperi mortalia iuſtis.

Homerus.

Homerus.

—*ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.*

Ouidius.

—*Neq; enim lex æquior ulla eſt,*
Quàm necis artifices arte perire ſua.

XII. PRVDENTIA.

Quicquid agis, prudenter agas, & reſpice finem.

AMICITIA.

Oritur ex ſimilitudine morum. Ouid.

Scilicet ingenijs aliqua eſt concordia iunctis,
Et ſeruat ſtudij fœdera quiſq; ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ nauita puppis amat.

Vulgaris amicitia. Idem.

Turpe quidem dictu, ſed ſi modò uera fatemur,
Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura quid expediat prior eſt, quàm quid ſit honeſtum,
Et cum fortuna ſtatq; caditq; fides.
Nec facile inuenies multis è militibus unum
Virtutem precium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
Non mouet & gratis pœnitet eſſe probum.
Nil niſi quod prodeſt charum eſt: en detrahe menti
Spem fructus auidæ nemo petendus erit.
At reditus iam quiſq; ſuos amat, & ſibi quid ſit
Vtile, ſollicitis computat articulis.

Digitized by Google

Illud amicitiæ quondam uenerabile nomen
Proſtat, & in queſtu pro meretrice ſedet.
Diligitur nemo, niſi cui fortuna benigna eſt,
Quæ ſimul intonuit proxima quæq; fugat.

Idem.

Donec eris fœlix multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila ſolus eris.
Aſpicis ut ueniant ad candida tecta columbæ.
Accipiat nullas ſordida turris aues,
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.
Vtq; comes radios per ſolis euntibus umbra eſt,
Cum latet hic preſſus nubibus, illa fugit:
Mobile ſic ſequitur fortunæ lumina uulgus,
Quæ ſimul inducta nube teguntur, abit.

FINIS.

IN TRES

Digitized by Google

IN TRES LIBROS CICERONIS DE OFFICIIS:

Item in

Duos Dialogos de Amicitia & Senectute Quæſtiones:

Cum Analytica eorundem diſpoſitione & methodica diſtributione.

Digitized by Google

CICERO ROMA- NVS MOSES.

Martialis:

Si comes iſta tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone uias.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMVS OFFICIORVM.

Vis'ne ut poſt explicatos mihi libros Ethicos Ariſtotelis, ego te de officijs quoque Ciceronis interrogem?

SANE uolo, quoniam id ſemel ſuſcepi, ut te ad dicendum & iudicandum informem, ut par ſis in utriuſque rationis facultate.

Eſt'ne huius doctrinæ de officijs utilitas aliqua?

Eſt uerò Nam cum multa ſint in philoſophia & grauia & utilia: latiſsimè patent ea quæ de officijs tradita ſunt. Eſt enim huius doctrinæ finis intelligere: quid honeſtum, quid turpe ſit: quid noceat, quid expediat: & in omnibus ſermonibus, dictis, factis, cogitatione, geſtu, actione honeſtatem ipſam & uita & moribus exprimere: turpitudinem morte acerbiorem ducere, falſamque utilitatis ſpeciem & uoluptatem magno animo contemnere: & hæc omnia non in ore, ſed in pectore geſtare.

Quæ'nam ſunt diſciplinæ ſeu ſectæ de officijs?

Duæ ſunt. Nonnullæ enim ſunt, quæ propoſitis bonorum & malorum finibus officium omnia peruertunt, ut Epicurei qui ſummum bonum ſuis commodis, indolentia & uoluptate metiuntur: aliæ rerum delectum ſuſtulerunt: ut Ariſto, (qui ἀδιαφορίαν introduxit) & Pyrrho (qui ἀκαταληψίαν &

ἐποχὴν) & Herillus (qui ſcientiam ſummum bonum ſtatuit, cætera differentia.) Hæ diſciplinæ de officio nihil poſſunt dicere. Soli itaq; Stoici (qui ſolam honeſtatem propter ſe expetendam dixerunt) & Academici ueteres ac Peripatetici (qui maximè honeſtatem expetendam cenſuerunt) ius de officijs diſputandi habent.

Quottuplex eſt igitur quæſtio de officijs?

Duplex. *Vnum genus pertinet ad finem bonorũ, τὸ διότι, ἢ θεωρητικὸν, Alterum poſitũ eſt in præceptis & inſtitutione uitæ communis, τὸ ὅτι ἢ πρακτικὸν ἢ παραινετικόν.*

Quottuplex eſt hoc alterum?

Eſt itidem duplex. Vnum perfectum ſeu rectum, Stoicis κατόρθωμα, Ariſtoteli ἡρωϊκὸν. Alterum medium ſeu commune, Stoicis καθῆκον, Ariſtoteli ἀνθρώπινον.

Quid eſt medium officium?

Quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poteſt.

Quottuplex ergo eſt deliberatio in conſilijs capiendis?

Duplex. *Aut enim ſimpliciter quæritur an Honeſtum aliquid ſit, aut Vtile: aut de comparatione Honeſti & Vtilis.*

DE HONESTO.

Quot modis quæritur de Honeſto?

Duobus. Simpliciter aut Comparatè.

Quomodo ſimpliciter?

Cum eius inquiruntur Cauſæ & Species.

Digitized by Google

CAVSAE HONESTI.

Quæ'nam cauſæ honeſti tradun-
tur à Cicerone?

Efficiens & Formalis.

Quæ'nam eſt cauſa Effi-
ciens?

Natura ipſa: qua homo & belua partim conueniunt, partim differunt.

Quæ'nam ſunt homini cum belua
communia?

Multa. 1. Defenſio & malorum declinatio. 2. Victus acquiſitio. 2. Coniunctio procreandi gratia. 4. Amor ſobolis, ςοργὴ φυσικὴ.

In quibus differunt homo
& belua?

In eo, quòd belua SENSV *tantùm mouetur. Homo uerò eſt* RATIONIS *particeps.*

Quot ſunt effectus Rationis?

Duo: quia ea utitur homo cum aut ſecum agit quid, aut cum altero contrahit: ſeu ut clarius dicam, effectus Rationis *uel ſunt Logici, uel* Oeconomici, *uel Ethici.*

Qui'nam ſunt Logici effectus
Rationis?

Cauſas rerum uidere, ſimilitudines comparare, rebus præſentibus futuras adiungere.

Qui ſunt Oeconomici?

Totius uitæ curſum uidere, & ad eam degendam res neceſſarias præparare.

Qui ſunt Ethici effectus?

Semina Honeſti, id eſt, quatuor uirtutum principia homini ingenerata, ut ſunt. 1. Vitæ ſocietas & amor ſobolis. 2. Veri inquiſitio. 3. Appetitus principatus, & humanarum rerum contemptio. 4. Ordo, *decus, modus, pulchritudo, conuenientia.*

Quæ nam eſt cauſa Formalis Honeſti?

Ex rebus iam dictis conflatur Honeſtum: quod laudabile eſt natura. Quæ facies & forma ſi oculis cerneretur ut Plato in Phædro dixit, mirabiles amores excitaret ſapientiæ. Δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴτι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν.

SPECIES HONESTI.

Quot ſunt Species Honeſti?

Omne *honeſtum, quatuor partium oritur ex aliqua. Aut enim prudentia eſt, aut iuſtitia, aut fortitudo, aut temperantia.*

Quid eſt Prudentia?

Eſt honeſtum, quod in perſpicientia ueri, ſolertiaq́ uerſatur.

Quid eſt Iuſtitia?

Eſt honeſtum, quod in hominum ſocietate tuenda, tribuendoq́ ſuum cuiq; & rerum contractarum fide uerſatur.

Quid eſt Fortitudo?

Eſt honeſtum, quod in animi excelſi atq; inuicti magnitudine ac robore uerſatur.

Quid

Quid eſt Temperantia?

Eſt honeſtum, quod in omnium quæ fiunt, quæq́; dicuntur, ordine & modo uerſatur.

Quomodo differunt hæc quatuor honeſta?

Differunt ſubiectis & fine. Nam licet inter ſe colligata atq; implicita ſint, tamen ex ſingulis certa officiorũ genera naſcuntur. Prudentiæ enim propria eſt agitatio mẽtis, θεωρία: & indagatio atq; inuentio Veri. Reliquis tribus propoſita eſt actio quædam, πρᾶξις, & neceſſitas ad parandas tuendasq́; res, quibus actio uitæ continetur, ut ſunt ſocietas, opes, ordo.

DE PRVDENTIA.

Quæ'nam uirtus maximè attingit naturam humanam?

Prudentia. Omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem.

Quot ſunt conſid. in hoc honeſto?

Duo. 1. Oppoſita uitia, quæ uitanda ſunt. 2. Subiecta.

Quot ſunt uitia uitanda hîc?

Duo. Vnum ne incognita pro cognitis habeamus: eisq; temerè aſſentiamus.

Hoc igitur uitium quomodo effugiam?

Si adhibebis ad res cõſiderandas & tempus, & diligentiã.

Quod'nam eſt alterum uitium?

Quòd quidam nimis magnum ſtudium multamq́; operam in res obſcuras & difficiles conferunt, easq; non neceſſarias.

Quænam ſunt ſubiecta Prudentiæ?

Duo. Verſatur enim aut in conſilijs capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad benè beateq; uiuendum, ut ſunt Ethica, Politica & Oeconomica. Aut in ſtudijs ſcientiæ, cognitionisq;, ut ſunt Aſtrologia, Geometria, Dialectica, Ius ciuile.

DE IVSTITIA.

Quod'nam honeſtum de reliquis tribus latiſsimè patet?

Id quo ſocietas hominum continetur.

Quot ſunt eius partes?

Duo. Iuſtitia, & Liberalitas.

Quot ſunt ſpecies Iuſtitiæ?

Duæ. Vrbana & Bellica.

Quot ſunt in Vrbana conſideranda?

Tria. *Munera iuſtitiæ, Fundamentum, & Diſparatum, in iuſtitia ſcilicet.*

Quot ſunt munera Iuſtitiæ?

Duo. 1. Nemini nocere. 2. Communibus pro communibus uti priuatis ut ſuis.

Quot modis fiunt res priuatæ?

Multis. 1. Occupatione. 2. Victoria. 3. Lege. 4. Pactione & conditione. 5. Sorte. His modis ea quæ natura fuerunt communia, priuata fiunt: Itaq; quod cuiq; obtigit, id teneat, nec ſibi plus appetat.

Quomodo autem iſta priuata, fiunt rurſus communia?

Si communes utilitates in medium afferamus, mutatione officiorum, dando & accipiendo: & ſi tum artibus, tum opera

Digitized by Google

opera, tum facultatibus deuinciamus hominum ſocietatem.

Quod'nam eſt Fundamentum Iuſtitiæ?

Fides, quæ eſt dictorum conuentorumq́; conſtantia & ueritas: dicta, quia fiat quod dictum eſt.

DE INIVSTITIA.

Quot ſunt genera Iniuſtitiæ?

Duo. Vnum ſimplex, alterum κατὰ περίςασιν.

Quot ſunt genera Simplicis?

Duo. Vnum eorum qui inferunt iniuriam: alterum eorum qui ab ijs quibus infertur: non propulſant ſi poſſunt.

Quæ'nam ſunt non conſid in priore genere?

Duo. Modi ſcilicet iniuriam inferendi: & Comparatio eorundem.

Quot modis infertur iniuria?

Duobus. Nimirum aut aliqua perturbatione; aut de induſtria & conſultò.

Quot ſunt cauſæ propter quas iniuriæ & induſtria inferuntur?

Tres. Metus, Auaritia, Ambitio.

Quomodo à Metu proficiſcuntur iniuriæ?

Cùm is, qui alteri nocere cogitat, timet ne niſi id fecerit alteri, ipſe aliquo afficiatur incommodo.

Quomodo ab Auaritia?

Vt adipiſcantur ea quæ concupierunt, ut diuitias.

Digitized by Google

Quare expetuntur diuitiæ?

I. Ad uſus uitæ neceſſarios. II. ad perfruendas uoluptates. III. ad opes & gratificandi facultatem. IIII. ad magnificos apparatus cum elegantia & copia.

Quomodo ab Ambitione proficiſcuntur iniuriæ?

Propter imperiorum, honorum, gloriæ cupiditatem.

Quid intereſt inter hæc genera iniuriarum?

Quæ perturbatione aliqua animi fiunt, leuiora ſunt, quàm quæ conſultò fiunt.

Quot ſunt cauſæ poſterioris generis, prætermittendæ ſcilicet defenſionis?

Plures ſunt. I. Metus inimicitiarum. II. Fuga laborum ſeu ignauia. III. Auaritia eorum qui ſumptus ſuſcipere nolunt. IIII. Negligentia. V. Studia propria & occupationes. VI. Studium rei familiaris tuendæ. VII. Odium hominum.

Quot ſunt genera iniuſtitiæ κατὰ περίστασιν?

Tria. Vnum eorum quæ tempore fiunt iniuſta. Alterum eſt in calumnia & callida iuris interpretatione. Tertium eſt cum modus puniendi exceditur.

Quomodo tempore fiunt quædam iniuſta?

Cùm ea quæ maximè uidentur eſſe digna iuſto homine, eoq́; quem uirum bonum dicimus, commutamur, fiuntq́; contraria. Vt reddere depoſitum, aut promiſſum facere, interdum eſt iniuſtum.

Quænam

Quæ'nam ergo regulæ ſeu fundamenta ſunt officij in his inueniendi?

Primum eſt, ut ne cui noceatur. Deinde ut communi utilitati ſeruiatur, quod exemplo promiſſorum intelligitur, quibus non ſemper ſtandum eſt.

Quando igitur promiſsis ſtandum non eſt?

I. *Si promiſſum eſt inutile, uel ei cui promiſſum ſit, uel ei qui promiſerit.*

II. *Si plus tibi noceat quàm illi proſit, cui promiſeris. Nam contra officium eſt maius damnum anteponi minori.*

III. *Si coactus metu aut deceptus dolo promiſeris.*

DE IVSTITIA BELLICA.

Quot conſiderat Cicero in iure Belli?

Hæc ſex ordine tractat.

I. Quando utendum ſit bello.

Cùm enim duo ſint genera decertandi: Vnam per diſceptationem. Alterum per uim: Confugiendum eſt ad poſterius, ſi non licet uti ſuperiore.

II. Qui'nam finis ſit belli.

Vt ſcilicet ſine iniuria in pace uiuatur.

III. Quid faciendum ſit parta uictoria.

Conſeruandi ſunt ij qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt: paciq; quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper eſt conſulendum Hi quoq; qui armis poſitis ad imperatorũ fidem confugiunt, recipiendi ſunt, quamuis aries murũ percuſſerit.

IIII. Quod-

Digitized by Google

IIII. Quod'nam bellum iuſtum ſit?

Quod aut rebus repetitis geritur, aut denunciatum ante eſt & indictum.

V. Quæ'nam Romanorum obſeruatio fuerit in bello.

Adeò enim ſumma erat apud illos obſeruatio, ut ei qui miles non eſſet, id eſt, militiæ ſacramento non eſſet obligatus: ius non eſſet pugnare cum hoſte. Perduelles quoq; hoſtes uocabant lenitate uerbi triſtitiam rei mitigante: quod tamen hodie in eo qui contra ferret arma, remanſit.

VI. Quotuplex ſit bellum.

Vnum enim eſt, cum de imperio decertatur & gloria quæritur, quod minus acerbè gerendum eſt. Alterum cum de capite & uita certatur.

VII. Quæ'nam ſint officia bellica.

Primum enim eſt quòd etiam ſinguli, ſi temporibus adducti, hoſti quid promiſerint, debent in eo fidem ſeruare. Alterum eſt, quòd etiam aduerſus infimos, id eſt, ſeruos, iuſtitia eſt ſeruanda, à quibus opera exigenda & iiſdem rurſus iuſta præbenda.

VIII. Quæ'nam ſint adiuncta belli.

Duo. Vis & Fraus. Vtrunq; alieniſsimum ab homine: ſed fraus odio digna maiore. Totius enim iniuſtitiæ nulla capitalior eſt, quàm eorum qui tum cum maximè fallunt, tamen id agunt, ut uiri boni eſſe uideantur.

DE

Digitized by Google

DE ILLIBERALITATE.

Quot cautiones habet Liberalitas?

Tres. Quomodo dandum ſit, Quantum & Quibus.

Quomodo dandum eſt?

Ne obſit benignitas, & ijs quibus benignè uidebitur fieri, & cæteris.

Quantum dandum eſt?

Ne maior benignitas ſit quàm facultas.

Quibus dandum eſt?

Cuiq; pro dignitate. Id enim eſt iuſtitiæ fundamentum.

Qui'nam peccant in prima cautione?

Qui gratificantur cuipiam quod ei obſit: & qui alijs nocent, ut in alios liberales ſint. Videndum igitur ut ea liberalitate utamur, quæ proſit amicis, noceat nemini.

Quot modis peccatur in ſecunda cautione?

Tribus. I. Per iniuriam in proximos: quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt & relinqui, eas transferunt ad alienos. II. Cupiditate rapiendi, quæ in tali liberalitate plerunq; ineſt, ut ad largiendum ſuppetant copiæ. III. Inani gloria & oſtentatione, qua pleriq; magis quàm natura ducti, multa faciunt ut benefici uideantur.

Quot ſunt in Dignitate conſideranda?

Quatuor. 1. Mores eius in quem beneficium conferetur. 2. Animus & beneuolentia erga nos. 3. Officia ad noſtras utilitates ante collata. 4. Communitas & ſocietas uitæ.

I. Quot

I. Quot ſunt conſid. in Moribus?

Duo. I. Neminem omninò eſſe negligendum, in quo aliqua ſignificatio uirtutis appareat. II. Colendum eſſe ita unumquenq; maximè ut quiſq; maximè his uirtutibus lenioribus erit ornatus, Modeſtia, Temperantia, Iuſtitia.

II. Quid de Beneuolentia præcipis?

I. Ei plurimum tribuendum eſt à quo plurimum diligimur. II. Beneuolentia non ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate iudicanda eſt.

III. Quid de Officijs & Meritis præcipis?

I. Debemus imitari agros fertiles (Babylonios) qui multò plus afferunt, quàm acceperunt. II. Acceptorum beneficiorum delectus ſunt habendi, & ponderandum eſt quo quiſque animo & ſtudio fecerit. III. Si cætera paria ſunt, egentiſſimo cuiq; potiſsimum opitulari debemus.

Quis ergo eſt delectus officiorum?

Hic eſt, quòd quædam deferuntur temeritate quadam, ſine iudicio & modo: quædam conſideratè & conſtanter.

Quæ'nam ex his præferenda ſunt?

Quæ iudicio delata ſunt.

IIII. Quottuplex eſt Societas ſeu Communitas & coniunctio uitæ?

Duplex. Vna naturalis inter omnes homines. Altera ciuilis.

Quæ'nam eſt naturalis ſocietas?

Eſt ſocietas uniuerſi generis humani: eſtq; principiũ coniunctionis ciuilis.

Quod-

Digitized by Google

Quod'nam eſt uinculum illius ſocietatis?

Λόγος Ratio & Oratio.

Quæ'nam ſunt officia eiuſdem?

Vt omnium rerum, quas ad communem uſum natura genuit, communitas ſeruetur, hoc eſt, ut I. quæ deſcripta ſunt legibus & iure ciuili, hæc ita teneantur, ut eſt cõſtitutum. II. ut quicquid ſine detrimento poſsit commodari, id tribuatur cuiq; uel ignoto. Vt ſunt, erranti uiam monſtrare, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, conſilium fidele deliberanti dare. Sed quoniam infinita eſt multitudo egentium, uulgaris liberalitas moderanda eſt, & conſiderandi gradus ſocietatis. Vt enim quiſq; erit coniunctiſsimus, ita in benignitatis plurimum eſt conferendum.

Quot ſunt ergo Gradus ſocietatis ciuilis?

Quinq;
- *I. Eiuſdem gentis.*
- *II. Eiuſdem ciuitatis.*
- *III. Propinquorum.*
- *IIII. Amicorum. Eſt autem amicitia duplex:*
  - *Vna quæ exiſtit à ſimilitudine morum.*
  - *Altera quæ conficitur ex beneficijs ultro citroq; datis acceptiſq;.*
- *V. Patriæ.*

Quot ſunt conſid. in his Gradibus?

Duo, Comparatio & Tempora.

I. Si

I. Si ergo contentio quædam & comparatio fiat horum graduum: quibus'nam plurimum officij tribuendum erit?

Principes ſint Patria & Parentes. Proximi liberi. Deinceps propinqui.

Quid'nam his debetur maximè?

Neceſſaria præſidia uitæ.

Quid uerò debetur Amicis?

Vita & uictus communis, conſilia, ſermones, cohortationes, conſolationes: interdum etiam obiurgationes.

II. Semper ne hunc ordinem in officijs tribuendis ſequemur?

Non: ſed uidendum erit quid cuiq; maximè neceſſe ſit. Ita non erunt ijdem neceſſitudinum gradus, qui & temporum. Suntq́; officia, quæ alijs magis, quàm alijs debeantur.

Quomodo igitur illa omnia circumſpici poſſunt?

Conſuetudo exercitatióq; capienda eſt, ut boni ratiocinatores officiorum eſſe poſsimus. Nemo enim, quamuis artis PRAECEPTA perceperit, quicquam magna laude dignum ſine VSV & EXERCITATIONE conſequetur.

DE FORTITVDINE.

Ex quatuor honeſtis quod'nam eſt ſplendiſsimum?

Quod animo magno, elatóq;, humanaſq; res deſpiciente factum eſt. Id indicant probra & laudes, campuſq; Rhetorum & ſtatuæ.

Quot-

Digitized by Google

Quottuplex eſt Fortitudo?

Duplex, Publica & Priuata.

Quid eſt Publica?

Eſt uirtus propugnans pro æquitate.

Quot ſunt in hac conſideranda?

Tria. Diſparata, Subiecta, Species.

I. Quæ ſunt Diſparata Fortitudinis?

I. *Inſidiæ & malitia. Nihil enim honeſtum eſt, quod iuſtitia uacat. Itaq; uir fortis & magnanimus, idem bonus & ſimplex, ueritatis amicus, minimeq;, fallax eſſe debet.* II. *Pertinacia & nimia cupiditas principatus. Difficile enim eſt, cum præſtare omnibus concupierit, ſeruare æquitatem.* III. *Largitio & factiones.* IIII. *Gloriæ deſiderium.*

Qui'nam ergo ſunt fortes habendi?

Non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. Vera enim & ſapiens magnitudo animi, in factis poſua eſt, non in gloria: principemq; ſe eſſe mauult, quàm uideri, Etenim qui ex ERRORE *imperitæ multitudinis pendet: hic in magnis uiris non eſt habendus. Qui locus ſanè lubricus eſt: Omnes enim laboribus ſuſceptis, periculisq; aditis, quaſi mercedem rerum geſtarum gloriam deſiderant.*

II. Quæ'nam ſunt Subiecta Fortitudinis?

Res Externæ & Arduæ. Cernitur enim duabus in rebus, in Deſpicientia rerum externarum, & Gerendo res magnas & utiles.

Vtra ex his præſtantior eſt?

In priore eſt cauſa efficiens magnos uiros: in poſteriore ta men omnis ſplendor & utilitas eſt.

In quibus cernitur illa Deſpi cientia?

In duobus. I. Si ſolum id quod honeſtum eſt, bonum iu dices non uoluptatem, non pecuniam, non gloriam, non impe rium. II. Si ab omni animi perturbatione liber ſis ut ſunt cupiditas, metus, ægritudo, uoluptas animi, iracundia, ut adſit tranquillitas animi & ſecuritas.

Quid de rebus arduis gerendis dicis?

Multi tranquillitatem expetentes, à negotijs ad otium per fugerunt, ut philoſophi & ſeueri quidam.

Eſt'ne id alienum à magnanimi propoſito?

Neutrorum quidem omnino contemnenda ſententia eſt. Illorum enim uita eſt tutior & minus grauis alijs: horum fru ctuoſior, clarior & amplior.

Quot ergo obſeruanda ſunt in rebus magnis gerendis?

Tria. 1. Quæ cauſæ à rebus gerendis abſtrahere poſſint, quæ non. 2. Qui'nam res gerere debeant, 3. Quid con ſiderandum illi qui ad res gerendas accedit,

Quæ'nam cauſæ abſtrahere poſſunt à rebus gerendis?

1. Doctrinæ ſtudium eorum qui ingenio excellunt. 2. Va letudinis imbecillitas, aut alia aliqua grauior cauſa.

Quæ uero non debent abſtrahere?

Deſpicientia rerum externarum, labor, moleſtia offenſio num & repulſarum.

Qui-

Digitized by Google

Qui'nam res gerere debent?

Qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum.

Quid autem conſiderandum eſt in gerenda Republica?

1. Magnificentia & deſpicientia adhibenda eſt rerum humanarum & tranquillitas animi. 2. Conſiderandum quàm illa res honeſta ſit. 3. Adſit facultas, id eſt, ne temerè deſperet propter ignaviam aut nimis confidas propter cupiditatem. 4. In omnibus negotijs priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.

III. Quot ſunt Species Fortitudinis Publicæ?

Duæ. Bellica & Vrbana ſeu Togata.

Quot ſunt hîc conſideranda?

Duo. Comparatio & Præcepta.

Vtra ex his maior eſt?

Pleriq; arbitrantur res bellicas maiores eſſe urbanis: ſed minuenda eſt hæc opinio: contrarium enim docent tum exempla, tum ſubiecta. Nam res urbanæ animi uiribus conſtant, non corporis.

Quottuplicia ſunt præcepta Fortitudinis?

Duplicia. Quædam ſunt propria Bellicæ & urbanæ, quædam utriq; communia.

Quæ'nam ſunt propria Bellicæ præcepta?

1. Bellum ſuſcipere ita ut pax quæſita uideatur. 2. Non perturbari rebus aſperis. 3. Præcipere cogitatione

futura. 4. Non temerè in acie uerſari. 5. Parta uictoriâ, captisq́ urbibus nihil crudeliter facere: ſed rebus agitatis punire ſontes, & multitudinem conſeruare. 6. Non offerre ſe periculis ſine cauſa.

Quottuplicia ſunt Pericula?

Duplicia. 1. Sunt uel priuata uel publica. 2. Alia ſunt uitæ, alia gloriæ & beneuolentiæ ciuium.

Ad quæ pericula debemus eſſe promptiores?

Ad noſtra: & paratius debemus dimicare de honore & gloria, quàm de cæteris commodis: modo id patriæ non ſit inutile, ſicut Callicratidæ & Cleombroti factum: cui contrarium eſt exemplum Fabij Cunctatoris.

Quæ'nam ſunt præcepta Vrbanæ fortitudinis?

I. Dicere quod ſentias nullo inuidiæ metu, præſertim ſi bonum ſit. II. Vtilitatem ciuium tueri, eamq́ ſuis commodis præferre. III. Totum corpus Reipub. curare. IIII. Diſcordias & ſeditiones fugere. V. Opes aut potentiam non conſectari. VI. Criminibus falſis in odium aut inuidiam neminem uocare. VII. Iuſtitiæ honeſtatiq́ adhæreſcere. VIII. Ambitionem & honorum contentionem fugere. IX. Clementem eſſe. X. Exercere facilitatem & altitudinem animi, ne iraſcamur aut intempeſtiuè accedentibus aut impudenter rogantibus. XI. Reipub. cauſa ſeueritatem adhibere.

Quid in ſeueritate tenendum?

I. Omnis animaduerſio contumelia debet uacare. II. Debet

bet ad Reipub. utilitatem referri. III. Cauendum eſt ne pœna maior ſit quàm culpa. IIII. Aequalitas ſeruanda. V. Ira prohibenda.

Quæ'nam ſunt utrique Fortitudini communia præcepta?

I. In rebus proſperis fugienda eſt Superbia. II. Etiam in ſecundiſsimis rebus utendum eſt cōſilio amicorum. III. Cauendum eſt ne aſſentatoribus patefaciamus aures.

DE PRIVATA FORTITUDINE.

Quottuplex eſt Priuata Fortitudo?

Duplex. Vna eorum qui inueſtigant magna quædam. Altera eorum qui delectantur re ſua familiari.

Quæ'nam ſunt præcepta rei familiaris?

I. Vt benè parta ſit. II. Vt quamplurimis, modò dignis, ſe utilem præbeat. III. Vt augeatur ratione, diligentia & parſimonia.

DE TEMPERANTIA:

Quid nunc ſequitur?

De illa reliqua parte honeſtatis dicendum eſt, in qua uerecundia, ornatus, temperantia, modeſtia, ſedatio perturbationum & modus cernitur.

Quid hac uirtute continetur?

Decorum, τὸ πρέπον.

Quot ſunt conſid. in Decoro?

Quatuor:

1. *Quale ſit, hoc eſt quænam eius* — *Differentia ab honeſto.* / *Species.*
2. *Officia ex eo ducta.*
3. *In quibus conſiſtat.*
4. *Artificia.*

I. Quomodo differt decorum ab honeſto?

Id facilius intelligi quàm explanari poteſt. Nam honeſtas antegreditur decorum.

Quot ſunt Species Decori?

Duæ. Vna eſt tota confuſa cum uirtute, ab eaq́ cogitatione magis quàm re ſeparari poteſt. Altera pertinet propriè ad hanc quartam partem honeſtatis. Prius dicitur generale decorum: alterum ſpeciale.

Quid eſt generale decorum?

Quod conſentaneum eſt hominis excellentiæ in eo in quo natura eius à reliquis animantibus differt?

Quid eſt ſpeciale?

Quod ita naturæ conſentaneum eſt, ut in eo moderatio & temperantia appareat cum quadam ſpecie liberali.

Vnde intelligitur hoc decorum?

Ex duobus. I. ex decoro poëtico. Nam poëtæ cuiq́ perſonæ id quod decet attribuunt, etiam uitioſa: Sed hoc decorum

Digitized by Google

rum è natura ſumitur, quæ nos ab animantibus diſtinxit. II. intelligitur exemplo. Nam iuſtitiæ eſt neminem uiolare, uerecundiæ neminem offendere.

Quæ'nam officia ducuntur ex decoro?

Octo præcipuè: quorum primum eſt. Vt naturam ducem ſequamur, quæ ipſa nos ad conuenientiam naturæ deducit. II. Animi motus probandi, qui ad naturam ſunt accommodati.

Quottuplex eſt uis animorum?

Duplex Ratio (quæ docet & explanat quid faciendum fugiendum'ue ſit) & Appetitus ὁρμὴ (qui hominē huc & illuc rapit) Huc pertinet aurea Regula Vitæ: RATIO PRAESIT, APPETITVS OBTEMPERET.

Quod'nam eſt tertium officium ex decoro ductum?

Excitanda eſt diligentia ne quid temerè negligenterq́; agamus Neque enim à natura ad ludum & iocum, ſed ad ſeueritatem facti ſumus.

Nunquam ergo ioco & ludo uti licet?

Licet quidem, ſed tum cum ſerijs rebus ſatisfecerimus.

Quottuplex eſt Iocus?

Duplex. Vrbanus & Illiberalis.

Quæ'nam eſt horum diſtinctio?

Vrbanus eſt qui tempore fit & animo remiſſo. Illiberalis cum rerum turpitudini adhibetur uerborum obſcœnitas.

Quot'nam ſunt in Ludo conſid.

Duo. 1. Modus. 2. Genera ludi, ut campus & uenatio.

Quod'nam eſt quartum officium?

Natura hominis conſideranda eſt, quæ beſtijs antecedit, Nam illæ uoluptatem ſequuntur. Hominis autem mens diſcendo alitur: isq́ue uoluptatem aut diſsimulat propter uerecundiam aut moderatur, ut ad ualetudinem referatur.

Quod'nam eſt V. officium?

Conſideranda eſt cuilibet ſua perſona.

Quot modis induitur Perſona?

Tribus. Natura, Caſu ſeu tempore, & Iudicio.

Quot ſunt conſideranda in Natura?

Duo. Species & Præcepta.

Quot ſunt Species perſonæ, quæ natura induitur?

Duæ. Eſt enim uel Communis, ex eo quòd omnes participes ſumus rationis. Vel propriè ſingulis attributa. Nam alij ſunt lepidi uel ſeueri: alij hilares uel triſtes: alij callidi uel ſimplices alij deniq́ue comes & populares.

Quæ'nam præcepta ſunt hîc conſid.

I. Admodum tuenda ſunt ſua cuiq́ue non uitioſa. II. Aequabilitas uniuerſæ uitæ conſeruanda eſt. III. Si aliquando neceſsitas nos detruſerit ad ea quæ noſtri ingenij non erunt: adhibenda diligentia, ut ea non indecorè faciamus.

Quomodo imponitur perſona per Caſum?

Regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, in caſu ſita, temporibus gubernantur. Prudentis ergo eſt ſeruire tempori & uti foro.

Quot

Digitized by Google

Quot modis imponitur Iudicio perſonaſ?

Duobus Nam primò quidã ſuum inſtitutũ ſequuntur. Itaq; ſi alij ad aliud ſtudium uel uirtutem applicant. II. Quidam imitantur maiores ſuos, ijq; uel in eodẽ laudis genere ſtudent excellere: uel ad ſuorum laudem addunt aliquam ſuam.

Qui'nam ſunt ij qui ſuum inſtitutum ſequuntur?

Plerũq; ij qui obſcuris parentib. orti, magna ſibi proponũt.

Quid'nam hic faciendum eſt?

Spaciũ deliberandi ſumendũ eſt: ne ante implicemur aliquo certo genere uitæ, quàm poſſumus quod optimũ ſit, iudicare.

Quid in hac deliberatione faciendum?

Naturæ & Fortunæ ratio habenda eſt: & Conſtantia tenenda, ne faciamus noſtri inſtituti mutationem.

Nunquam ergo facienda eſt uitæ mutatio?

Nunquam: niſi nos erraſſe intellexerimus: idq; faciendũ eſt ſenſim & pedentim & adiuuantib. tẽporibus & bono cõſilio.

Quæ'nam facienda ſunt ijs, qui imitantur maiores?

Duo. I. Non imitabuntur uitia. II. Si natura non feret ut quædam imitentur, præſtabunt ea quæ erunt in ſua poteſtate. Optima enim hæreditas eſt gloria uirtutis.

Quod'nam eſt VI. officium ex decoro ductum?

Id à diſtinctione ætatum ſumitur. Alia enim decent adoleſcentem, alia ſenem.

Quæ'nam ſunt officia adoleſcentis?

Duo. I. Verecundia erga maiores natu, ex quibus eli-

gere debet optimos. II. Diſciplina, quæ in Labore & Iucunditate uerſatur.

Vbi eſt Labor?

In patientia & animi & corporis.

Quid in Iucunditate conſid.

Cauenda intemperantia, retinenda uerecundia & ſenes adhibendi.

Quæ'nam ſunt officia ſenum?

His animi exercitationes augendæ ſunt id eſt, conſilium & prudentia. Deinde fugienda deſidia, luxuria & libido.

Quod'nam eſt VII. officium decori?

Id à conditione perſonarum ſumitur: aliud enim eſt officium magiſtratus, aliud priuati, aliud peregrini.

Quod'nam eſt VIII?

In omni re gerenda, conſilioq; capiendo ſeruanda eſt conſtantia.

III. In quot rebus conſiſtit decorum?

In tribus: Formoſitate, Ordine, Ornatu.

QVOT SVNT IN FORMOſitate conſideranda?

Duo. I. Natura, quæ nobis magiſtra & dux eſt ad uerecundiam, quamq; omnes ſani & in actionibus, & uerbis imitantur. Fugiendum enim eſt omne quod abhorret ab ipſa oculorum auriumq; comprobatione. II. Genera eius.

Quot ſunt genera Formoſitatis?

Duo. Venuſtas, quæ eſt mulierũ: & Dignitas, quæ eſt virorũ.

Quo-

Digitized by Google

Quomodo tuenda eſt Dignitas?

I. Remouendo ornatum muliebrem & uiro indignum.

II. Bonitate coloris, qui exercitatione tuendus eſt.

QVOT'NAM SVNT CONſideranda in Ornatu?

Septem. 1. Munditia. 2. Veſtitus. 3. Greſſus. 4. Animi motus. 5. Oratio. *6. Aedificia. 7. Actiones.*

Quot ſunt conſid. in Oratione?

Duo. Vox, index animi: & Genera orationis.

Quot ſunt ſequenda in Voce?

Duo: ut ſit clara, ut ſuauis.

Vnde petenda illa?

Vtrunq; à natura: ſed claritas augetur exercitatione: & ſuauitas comparatur imitatione preſsè loquentium. Opera *enim danda ut literæ ſint neq; expreſſæ, neq; oppreſſæ: ne aut obſcurum quid ſit, aut putidum: nec languens & canorum.*

Quot ſunt genera Orationis?

Duo. Contentio & Sermo.

Vbi eſt locus Contentioni?

In iudicijs, concionibus & ſenatu.

Vbi Sermoni?

In circulis, diſputationibus, congreſsionibus familiarium & conuiuijs.

Quæ'nam præcepta ſunt Contentionis?

De his Rhetores tradunt.

Quæ'nam ſunt Sermonis?

Multa. 1. Sermo ſit lenis, minimeq; pertinax. 2. Inſit in eo lepos. 3. Vicißitudine utatur ne excludat alios. 4. Sit rebus

Digitized by Google

rebus accommodatus. 5. Ne indicet uitium in moribus, quod ſit cum maledicus eſt. 6. Ne aberret à propoſito. 7. Habeat delectationem. 8. Vt incipiendi ratio fuerit, ita deſinendi ſit modus. 9. Fugiat motus animi nimios. 10. Adhibeat reuerentiam in eos qui adſunt. 11. In obiurgando caueat iram. 12. Vitet iactantiam Thraſonicam.

Qualis debet hominis honorati domus eſſe?

Domus finis eſt Vſus, ad quem accommodanda eſt ædificandi ratio, quæ in tribus conſiſtit, in dignitate, in commoditate ſeu laxitate, in modo. Nam primò, ornanda dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda. Nec dominus domo, ſed domus domino honeſtanda eſt. Secundò in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi ſunt & admittenda hominum cuiuſque generis multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis. Tertiò cauendum ne extra modum ſumptu & magnificentia prodeas. Multum enim mali in exemplo eſt.

Quot ſunt conſid. in Actionibus?

Tria. 1. Vt appetitus pareat rationi. 2. Vt animaduertamus quanta res ſit quam efficere uolumus. 3. Vt moderatio adſit, quod fit ſi decus ipſum teneamus.

Quod'nam eſt ex his præſtantiſsimum?

Vt appetitus obtemperet rationi.

DE ORDINE.

Quot ſunt conſid. in Ordine?

Duo. 1. Quottuplex ſit. 2. Quæ eius præcepta.

Quottuplex eſt Ordo?

Duplex. Rerũ, qui dicitur εὐταξία: & Temporũ εὐκαιρία.

Quid

Quid eſt εὐταξία ſeu Modeſtia?

Stoici ſic definierunt: Eſt ſcientia earum rerum quæ agentur aut dicentur, loco ſuo collocandarum: ſeu compoſitio rerum aptis & accommodatiis locis.

Quid eſt εὐκαιρία ſeu occaſio?

Eſt tempus actionis opportunum: Vel eſt ſcientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.

Quæ'nam ſunt præcepta Ordinis ſeu Modeſtiæ?

Plura ſunt. 1. In uita omnia debent eſſe apta & inter ſe conuenientia. 2. Quæ parua uidentur delicta, ab his diligentius eſt cauendum. Nam ex paruis ſæpè magna intelligimus ut ex oculis, ſupercilijs, mœſtitia, hilaritate, &c.

Quomodo hæc iudicabimus?

1. Exemplis aliorum, ut ſi quid dedeceat in illis, uitemus & ipſi. 2. Adhibendo doctos homines uel uſu peritos, à quibus exquiramus quid deceat: in quibus tamen uidendum nō modò quid quiſq; loquatur, ſed etiã quid ſentiat & qua de cauſa.

Quæ'nam ſunt præterea præcepta Modeſtiæ?

III. Moribus & inſtitutis ciuilibus parendum. IIII. Cynici ſunt auerſandi. V. Viros bonos, ſenes, benè meritos, magiſtratum, peregrinos obſeruare & colere debemus.

DE ARTIFICIIS ET *quæſtibus.*

Quottuplices ſunt artes ſeu quæſtus?

Duplices. Liberales & ſordidi.

Qui-

Qui'nam ſunt ſordidi & improbandi?

1. *Qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum & fœneratorum.*
2. *Mercenariorum, & eorum quorum operæ, non artes emuntur.*
3. *Propolarum, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim uendant.*
4. *Opificum omnium.*
5. *Miniſtri uoluptatum.*
6. *Mercatura tenuis.*

Qui'nam ſunt honeſti & liberales?

Quibus prudentia maior ineſt, aut non mediocris utilitas quæritur, ut medicina, architectura, agricultura.

DE COMPARATIONE *honeſtorum.*

Quid nunc ſequitur?

Hactenus de Honeſto quæſiuimus ſimpliciter: nimirum de ipſius cauſis & ſpeciebus. Nunc de illo quæritur comparatè; hoc eſt, de duobus honeſtis, utrum ſit honeſtius.

Quæ'nam ergo inter ſe comparantur?

Iuſtitia, Prudentia & Temperantia. Iuſtitia enim Prudentia quidem præferenda eſt, ſed Temperantia Iuſtitiæ.

Quibus

Quibus argumentis & quo iudicio id concludit Cicero?

- *Prioris comparationis partes duæ ſunt*
  - Confirmatio *quæ propoſitum*
    - *Probat*
      - *Argumentis. Nam*
        - *Sapiēs ſolitudinem fugit. Ergo iuſtitiam præfert ſapientiæ.*
        - *Sapientia propoſitam ſibi habet ſocietatem.*
        - *Actio præſtat cognitioni. Actio autem ad ſocietatem pertinet.*
      - *Teſtimonio optimi cuiuſq;, qui contemplationem actioni poſtponit.*
    - *Illuſtrat*
      - *Exemplis philoſophorũ q et ipſi in agēdo uerſati ſunt: et uel*
        - *Erudierunt alios ut*
          - *Lyſis.*
          - *Plato.*
        - *Scripſerunt de*
          - *Legibus.*
          - *Moribus.*
          - *Rep.*
      - *Similitudine Apum.*
  - *Refutatio. Nec uerum eſt quod dicitur, &c.*

LIBER SECVNDVS OFFICIORVM.

Quid agit in ſecundo Libro?

HActenus de Honeſto dixit: nunc **de Vtilitatē** *diſputabit.*

Quot modis de ea quæritur?

Duobus. Simpliciter & Comparatè.

Quot ſunt conſid. in priore parte?

Tria. 1. Definitio utilitatis. 2. Eius partitio. 3. Præcepta & Panætio omiſſa.

Quid ergo uocat Vtilitatem?

Eam quæ ex honeſto profecta, cum eodem cohæret. Eſt enim honeſtum, quaſi cauſa: utilitas quaſi effectus.

Quæ'nam eſt Partitio rerum utilium?

Quæ ad uitam hominum tuendam pertinent, partim ſunt inanimata, ut ea quæ gignuntur in terra: partim animata, quæ habent ſuos impetus & rerum appetitus.

Animatorum quæ'nam diuiſio eſt?

Eorum alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia.

Quot ſunt genera ratione utentium?

Duo. Vnum Deorum, alterum Hominum.

Quid Deos efficit placatos?

Pietas & Sanctitas.

Nocent-

Digitized by Google

Nocent'ne etiam Dij?

Non.

Quid in hominibus conſiderandum?

Duo. 1. Quòd plurimum uel obſunt uel proſunt, quod oſtenditur longa diſtributione rerum inanimatarum, animatarum, artium'& ciuilis conſociationis. 2. Quomodo concilientur, & ad uſus noſtros adiungantur.

Quomodo igitur conciliantur homines?

Virtute: quæ in tribus rebus uertitur.

In quibus'nam?

In perſpicientia ueri, in cohibendo motus & appetitiones animi, in utendo hominibus moderatè & ſcienter.

Quid in hoc tertio obſeruandum eſt?

Duo. I. Fortuna, cuius magna uis eſt in utramq; partem. II. Cauſæ ob quas uel hominũ ſtudia ad noſtras utilitates alliciũtur, uel homines ſubijciũt ſe imperio & poteſtati alterius.

Quæ'nam ſunt illæ cauſæ?

Quæcunq; homines homini tribuunt ad eum augendum, atq; honeſtandum, faciunt aut beneuolentiæ, aut fidei, aut honoris, aut liberalitatis cauſa.

I. DE BENEVOLENTIA.

Quid de Beneuolentia dicis?

Rerum omnium nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas, quam diligi: nec alienius quàm timeri. Malus enim cuſtos diuturnitatis metus: contraq́; beneuolentia fidelis eſt, uel ad perpetuitatem. Id probat Cicero exemplis Externis (Dionyſij, Ale-

xandri Pheræi, Demetrij, Lacedæmoniorum) & Domeſticis, Syllæ & Cæſaris.

Quomodo capitur Beneuolentia?

1. Beneficijs. 2. Beneſica uoluntate. 3. Fama & opinione uirtutum manſuetiorum ſeu ethicarum.

Quæ'nam ſunt illæ uirtutes manſuetiores?

Sunt Liberalitas, Beneficentia, Iuſtitia, Fides, Facilitas.

II. DE FIDE.

Quibus rebus efficitur ut Fides nobis habeatur?

Duabus. Prudentia, quæ Iuſtitiæ coniuncta eſt. Prudentia enim ſine Iuſtitia nihil ualet ad faciendam fidem: quò enim quiſq; uerſutior & callidior eſt, hoc inuiſior & ſuſpectior detracta opinione probitatis.

III. DE HONORE.

Quid de Honore præcipitur?

De cauſis efficientibus procreantibus & conſeruantibus, id eſt, quomodo pariatur & retineatur.

Quibus rebus paritur?

Admiratione, quæ oritur communiter ex rebus magnis: ſeparatim ex uirtutibus excellentibus & ſingularibus.

Quæ'nam ſunt illæ uirtutes?

Deſpicientia uoluptatum, fortitudo & præcipuè iuſtitia, quæ in omni ratione & inſtitutione uitæ requiritur ita ut ſolitario, negotioſo, malefico & in Rep. occupato opinio eius neceſſaria ſit.

Quo-

Quomodo retinetur honor & gloria?

Si talis ſis, qualis haberi uelis, id eſt, ſi abſit ſimulatio & inanis oſtentatio. Vera enim gloria radices agit: ficta omnia celeriter decidunt: nec ſimulatum quicquam & diuturnum.

Quomodo uideri poſſumus tales eſſe, quales ſumus?

Illis, qui habent cauſam celebritatis & nominis à parentibus aut fortuna, hoc facile eſt. Quorum autem ætas propter humilitatem & obſcuritatem in ignoratione uerſatur, illi magna ſpectare debent, & ad ea rectis ſtudijs contendere.

Quæ'nam ſunt illa ſtudia?

Adoleſcentis duplex eſt commendatio. Prima ex rebus bellicis. Altera ex rebus animi.

Quæ'nam ſunt res animi?

Virtutes leniores, Conuictus bonorum, Oratio.

Quottuplex eſt ratio Orationis?

Duplex: quarum in una eſt Sermo, διάλογος: in altera Contentio, quæ eſt Eloquentia.

Quid uocas ſermonem?

Comitatem & affabilitatem, quæ difficile dictu eſt, quantopere conciliet homines.

In quibus'nam Contentio maximè ſpectatur?

In iudicijs & ſenatu.

Iudiciorum ratio quottuplex eſt?

Duplex. Nam ex Accuſatione & Defenſione conſtat.

Vtra ex his laudabilior eſt?

Defenſio: ſed tamen accuſatio probata perſæpe eſt.

Digitized by Google

Quæ'nam igitur præcepta accuſationis ſunt?

Tria. Cur accuſandum. Quoties, & Quomodo.

Cur accuſandum?

Aut Reip. cauſa aut patrocinij.

Quoties autem?

Semel aut non ſæpè.

Quomodo denique?

1. Modus adſit. 2. Innocentem neminem iudicio capitis arceſſas, imò potius nocentem defendas.

IIII. DE LIBERALITATE.

Dixiſti ſupra largitionibus etiam allici homines, quottuplex eſt ratio huius beneficentiæ & liberalitatis?

Duplex. Nam aut pecunia benignè fit indigentibus, aut opera.

Vtra ex his benignitas honeſtior & latius patens?

Illa quæ conſtat ex opera & induſtria.

Quot ſunt conſid. in altero genere?

Duo. Præcepta, & Genera largorum.

Quot ſunt præcepta hîc?

Tria. I. Quando ſit largiendum. Non enim ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit. II. Quibus. Idoneis enim hominibus indigentibus de re familiari impertiendum eſt. III. Quomodo. Diligenter ſcilicet & moderatè. Multi enim patrimonia effuderunt inconſultè largiendo, & ſequuntur largitionem rapinæ & odia eorum

Digitized by Google

rum quibus ademerunt. Modus igitur adhibendus, itaq; referatur ad facultates.

Quot ſunt genera largorum?

Duo: quorum alteri prodigi, alteri liberales dicuntur.

Qui'nam ſunt Prodigi?

Qui pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſint relicturi omnium.

Qui liberales?

Qui ſuis facultatibus aut captos à prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adiuuant, aut opitulantur in re quærenda uel augenda.

Quot ſunt conſid. in Liberalitate?

Tria. Subiecta, Differentia à prodigalitate & Præcepta.

Quæ'nam ſunt Subiecta Liberalitatis?

Non uno modo in diſparibus cauſis affecti eſſe debemus. Alij enim ſunt calamitoſi, in quos benignitas propenſior eſſe debet. Alij res meliores quærunt, nullis ſuis rebus aduerſis, in quibus deligendis iudicium adhibendum.

Quomodo differt Liberalitas à Prodigalitate?

Illa eſt grauium uirorum: hæc aſſentatorum populi.

Quæ'nam ſunt præcepta Liberalitatis?

Conuenit primò in dandò munificum eſſe, & in exigendo non acerbum. 2. In omni re contrahenda æquum & facilem eſſe, multis de iure ſuo concedentem. 3. A litibus abhorrere. 4. Habere rationem rei familiaris, ſed ut abſit illiberalitatis & auaritiæ ſuſpicio. 5. Hoſpitalem eſſe.

Digitized by Google

Quàm uaria ſunt beneficia, quæ opera dantur?

Hæc tum in ſingulos ciues, tum in uniuerſam Rempublicam conferuntur.

Quomodo in ſingulos ciues?

1. Conſulendo: quod eſt Iuriſprudentiæ. 2. Defendendo, quod eſt Oratoris. 3. Operam commodando: ut beneficia petendo, iudicibus commendando, pro re alterius uigilando, eos qui conſulunt, aut defendunt rogando.

Quæ'nam ſunt in hac parte præcepta?

1. Ne, cum alios iuuare uelimus, alios offendamus. 2. Vtendum eſt excuſatione aduerſus eos, quos inuitus offendas. 3. In beneficijs collocandis mores hominum, non fortunam ſequi oportet: nec gratiā fortunati & potentis, cauſæ inopis & optimi uiri anteponere. Vbi quæſtio elegans: Melius'ne apud inopem, an apud diuitem gratia collocetur. 4. Ne quid contra æquitatem contendamus, nec per iniuriam.

Quomodo in uniuerſam Remp. conferuntur beneficia?

Eorum ipſorum partim ad uniuerſos ciues pertinent: partim ſingulos attingunt.

Quæ'nam præcepta hîc habes?

1. Danda opera omnino ut utriuſq;, nec minus ut etiā ſingulis conſulatur. 2 Videndum ei qui Remp. adminiſtrabit, ut ſuum quiſq; teneat: neq; de bonis priuatorū publicè diminutio fiat. 3. Danda opera ne propter ærarij tenuitatem, aſsiduitatemq; bellorū tributū ſit conferendū: ſed aut multò ante prouidendū ne id eueniat, aut ſi neceſſe erit, opera danda ut omnes intelligant neceſsitati eſſe parendū. 4. Conſulendū ut earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ. 5. In omni procuratione negotij

& muneris

Digitized by Google

& muneris publici auaritiæ pellenda etiam minima ſuſpicio. 6. Concilianda beneuolentia multitudinis abſtinentia & continentia. 7. Non dandum alijs, alijs auferendum. Nam qui populares eſſe uolunt, & propterea res agrarias et tabulas nouas tentant, ij nocent primò Reip. Labefactant enim concordiam & æquitatem. Deinde ſibijpſis. Quia gratia quam putant non conſequuntur. Prouidendum itaq; ne ſit æs alienum quod noceat Reip. 8. Opera danda ut iuris & iudiciorum æquitate ſuum quiſq; teneat. 9. Quibuſcunq; rebus uel belli, uel domi fieri poteſt, Reſp. augenda imperio, agris, uectigalibus.

Dixiſti in 7 præcepto de ære alieno, quot modis poterit illud caueri?

1. Legib. ſumptuarijs de ueſtitu, uictu, ædificādo. 2. Aequo precio reb. neceſſarijs conſtituto. 3. Vſurarum moderatione. 4. Profligatione ignauorū & luxurioſorū. 5. Certo agri & ſupellectilis modo. 6. Monopoliorū coërcitione. 7. Legib. cōiugiorū, ut ætatis & rei familiaris & artificij ratio habeatur. 8. Eleemoſyna, qua ſuccurratur pupillis, uiduis, ſenibus, ægrotis.

Sunt'ne præterea quædam præcepta de Vtili?

Antipater Stoicus duo cenſet à Panætio prætermiſſa, Valetudinis curationem & pecuniæ.

Quomodo ſuſtentatur Valetudo?

1. Notitia ſui corporis. 2. Obſeruatione earum rerum, quæ aut prodeſſe ſolent aut obeſſe. 3. Continentia in uictu, cultu & prætermittendis uoluptatibus. 4. Arte medicorū, quorum ad ſcientiam hæc pertinent.

Quid de re familiari dicis?

1. Quæri debet ijs rebus à quibus abeſt turpitudo. 2. Conſeruari diligentia & parſimonia. 3. Augeri rebus ijſdem.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS OFFICIORVM.

Quid agit Cicero libro tertio Officiorum?

AGIT de comparatione honeſtatis cum utilitate, ſi ſcilicet id quod ſpeciem haberet honeſti, pugnaret cũ eo quod utile uideretur, quomodo ea diſcerni oporteat.

Quæ'nam igitur in hac pugna tenenda ſunt, ut id ſine errore diju-dicemus?

Duo. Formula & Poſtulatum.

Quæ'nam eſt Formula?

Detrahere aliquid alteri, & hominum hominis incommodo ſuum agere commodum, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis: Hoc eſt, Iniuria & auaritia ſumma mala ſunt.

Cur ita?

Quia tollunt ſocietatem humanam, quia cõtra naturam, quia contra ius ciuile, quia magis ſecundum naturam liberalitas & iuſtitia, quia homo homini prodeſſe debet, quia qui alterũ uiolat aut belua eſt, & hominũ ſocietatẽ tollit, aut errat, quia utilitas cõmunis eſt, quia eadem lege naturæ cõtinemur.

Quod'nam eſt Poſtulatum?

Nihil præter id quod honeſtum ſit, eſſe propter ſe expetendum. Cuius poſtulati multa ſunt Conſectaria, πορίσματα.

Quæ-

Digitized by Google

Quæ'nam.

Quædam generalia, quædam ſpecialia.

Quæ'nam ſunt Generalia?

1. *Cum aliqua ſpecies utilitatis obiecta eſt, ſi turpitudinem uideas adiunctam ei rei, quæ ſpeciem utilitatis attulerit: tunc utilitas non requirenda eſt.* 2. *In omni deliberatione, celandi & occultandi ſpes opinio'q; remouenda eſt.* 3. *Ne priuata quidem utilitas ab honeſtate auocare debet: etſi ſitæ quen'q; utilitati ſeruire ſine alterius iniuria licet.* 4. *Priuata utilitas poſtponenda eſt amicitiæ: Reſpub. uerò, religio, & fides præponenda ſunt amicitiæ.* 5. *In Repub. honeſtum utilitati præferendum. Nihil igitur crudele utile putandum, nec peregrini exterminandi. Præclarum'q; eſt publicæ utilitatis ſpeciem præ honeſtate contemnere.*

Quæ'nam ſunt Specialia?

Conſiderandæ ſunt cauſæ, quæ ſæpè incidunt contra Iuſtitiam, Fortitudinem & Temperantiam.

Quæ'nam conſid. ſunt in cauſis, quæ contra Iuſtitiam incidunt?

In cauſis, quæ incidunt contra Iuſtitiam ſimulatione Prudentiæ, conſid. ſunt 8 præcepta & quædam quæſtiones Hecatonis.

Quæ'nam ſunt illa præcepta?

1. *Nihil celandum.*
2. *Vanitas fugienda.*
3. *Integritas retinenda in rebus contrahendis. Non licitatorem uenditor, nec qui contra ſe licitatur, emptor apponet: uter'q; non plus quàm ſemel loquetur. Nam ius ciuile ductum à natura malitiam fraudem'q; omnem uindicat in uenditione tum prædiorum, tum mancipiorum.*

Digitized by Google

4. *Alieni facinoris munuſcula ſunt repudianda.*
5. *Hæreditates ſimulatione officiorum non acquirendæ.*
6. *Alterum criminari non decet, ut dignitate illi ſuccedas.*
7. *Collegarum communem gratiam ad ſe propriè transferre non decet.*
8. *Recta non negligenda ſunt, ut potentiam conſequaris.*

Quæ'nam in cauſis, quæ incidunt contra Fortitudinem conſid. ſunt?

Contemnenda ſunt utilia, nullaq; tranquillitas conferenda eſt cum decoro in quotidianis periculis & laboribus. Exemplo tum poëtico & ficto Vlyſſis: tum hiſtorico & uero Reguli.

Quid'nam conſid. eſt in cauſis quæ incidunt contra Temperantiam?

Voluptatem, quæ repugnet honeſtati, non eſſe utilem.

FINIS.

IN

Digitized by Google

IN DIALOGVM DE AMICITIA,

Quæſtiones.

AMICVS ALTER EGO.

Darius R. Perſarum.

Κτημάτων πάντων ἐστὶ τιμιώτατον,
ἀνὴρ φίλος σύνετός τε καὶ εὔνοος.

Hoc eſt,

Pretioſiſſimus theſaurus eſt, & omnibus opibus anteponendus, AMICVS *prudens & beneuolus.*

DE

Digitized by Google

DE AMICITIA.

Cum mihi hactenus tres Officiorum libros per dialogum explicaris, idem ut in Libellis de Amicitia & Senectute facias, oro.

FACIAM uerò, ac libens: ad eamq́; rem hybernas has horas, breuioreſq́; dies aſſumam: ut temporis incommoditatem lectionis iucunditas utilitaſq́; mitiget atq́; compenſet.

Quæ'nam eſt Analytica diſpoſitio tractationis de Amicitia?

Tria agit Ciceronis Lælius. 1. Oſtendit quid ſentiat de Amicitia. 2. Qualis ſit. 3. Præcepta dat.

PRIMA PARS.

Quid in prima parte agit?

Amicitiæ inuentionem Topicam tractat, hoc eſt, ſubiectum, differentiam à propinquitate, definitionem, comparata, cauſas, effectus, adiuncta, ſpecies, diſſentanea, teſtimonia, exempla.

I. Quod'nam eſt Subiectum Amicitiæ?

Amicitia non niſi in bonis eſſe poteſt: Boni autem ſunt non quos Stoici deſcribunt, ſed qui ita ſe gerunt, ita uiuunt, ut eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas.

II. Quomodo differt à Propinquitate?

Eo differt, quòd ex propinquitate beneuolentia tolli poteſt,

Digitized by Google

teſt, ex amicitia autem non poteſt. Sublata enim beneuolentia amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet.

III. Quid eſt Amicitia?

Eſt nihil aliud niſi omnium diuinarum humanarumq; rerum cum beneuolentia & charitate, ſumma conſenſio. Conſenſio genus eſt, res diuinæ & humanæ, ſubiecta: Beneuolentia eſt forma.

IIII. Quæ'nam ſunt Comparata?

Sunt bona fortunæ, corporis & animi. Vt diuitiæ, ualetudo, potentia, honores, uoluptates, uirtus. His præponit Lælius amicitiam.

V. Quæ'nam ſunt cauſæ Amicitiæ?

Cauſa efficiens procreans & conſeruans, eſt Virtus. Hæc enim amicitiam gignit & continet: nec ſine uirtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt.

VI. Qui'nam ſunt effectus?

Sunt omnes opportunitates ſeu utilitates, quas amicitia tantas habet, ut uix queam dicere. Præcipuè uerò ſunt, ut poſsis in amico conquieſcere: deinde tuta & ſecreta colloquia: & communicatio rerum ſecundarum, aduerſarumq;: deniq; amicitia plurimas res continet: quoquo te uerteris, præſto eſt, nullo loco excluditur, nunquam intempeſtiua, nunquam moleſta eſt.

VII. Quot ſunt ſpecies Amicitiæ?

Tres ſunt. Vna uulgaris, altera mediocris, tertia uera & perfecta: de qua hic loquimur. Vulgaris eſt qua congerrones, idq; genus ſocij etiam'num uulgò amicos ſe inuicē appellant. Ea ex leui notitia contingit: ut inter comites itineris uel nauigationis inter uicinos, inter collegas eiuſdē muneris: eaq; inter improbos quoq; plerunq; eſt. Mediocris eſt quidem illa nō tam ardens ut uera amicitia, ſed tamen non leuiter coniuncta & honeſta

neſta conſuetudine introducta, quæ à I.C. in titulo de uerborum ſignificatione l. 223. ſic deſcribitur: Amicos appellare debemus, nō leui notitia coniunctos, ſed quibus fuerint iura cum patreſam. honeſtis familiaritatis quæſita rationibus. Perfecta amicitia, eſt maxima & penitus inhærens animis inuicem ſe amantium: quam Græci ſic explicant σώματα μὲν δύο, ψυχὴ δὲ μία, ut eadem anima duobus in corporibus eſſe uideatur: quòd idem uterq; uelit nolitq;: & hæc rara auis eſt.

VIII. Quæ'nam diſſentanea ſunt Amicitiæ?

Inimicitia, diſſenſio, diſcordia. Nam ſi exemeris ex natura rerum beneuolentiæ coniunctionem, nec domus ulla, nec urbs ſtare poterit, nec agri quidem cultus permanebit.

IX. Quæ'nam ſunt Teſtimonia de Amicitia?

Agrigentinum doctum quendam uirum carminibus Græcis uaticinatum ferunt, quæ in rerum natura, totoq; mundo conſtarent, quæq; mouerentur, ea contrahere amicitiam, diſſipare diſcordiam.

X. Quæ'nam ſunt exempla amicorum?

Ex infinita ſocietate generis humani, quam cōciliauit ipſa natura, ita cōtracta res eſt & adducta in anguſtum, ut omnis charitas inter paucos iungeretur. Hinc pauca quædam Paria δυάδες amicorum commemorantur:

1. Pylades & Oreſtes apud Eurip. in Iphigenia Taurica, & Ouid. lib. 4. Triſt. eleg. 4.
2. Achilles & Patroclus apud Homer. Iliad. ω.
3. Niſus & Euryales apud Virgil. Aen. 9.
4. Aeneas & Achates apud eundem.

5. Theſeus

5. *Theſeus & Pirithous apud Plutarchum in Theſeo & Iſocrates in Helena: Valerius lib. 4. cap de Amicitia.*
6. *Epaminondas & Pelopidas apud Plutarchum.*
7. *Damno & Pythias apud Cic. 3. Offic. & Tuſc. 5. & Lactant lib. 5.*
8. *Pollux & Caſtor, Dioſcuri apud Pindar. 10. Nemeorū.*
9. *Pomponius Atticus & Cicero.*
10. *Lælius & Scipio, de quo in hoc libello.*

Atq; hæc exempla profana ſunt: in ſacris autem literis eximium par amicorum eſt Ionathas & Dauid. 1. Reg. 18. ubi dicitur: Et adhæſit anima Ionathæ animæ Dauidis & amauit eum ſicut animā ſuam: quia uidelicet illa ψυχὴ fuit, de qua ſupra. Et alibi dicitur, quòd Ionathas fecerit cum Dauide Cheſed Veemeth: Miſericordiam & Veritatem, id eſt ſuit erga Dauidem beneficus & fidelis: Er hat jhme alle treuw vnd Wolthat erzeiget. His paribus annumerandi ſunt, & bene conuenientes coniuges: nā, ut Iobus Madeburgus eleganter ſcripſit:

> Ζευχθέντες μὲν ἀνὴρ σώφρων, ὁσίη τε ἄκοιτις,
> σύνοιας δεσμῷ εἰσὶ δυὰς φιλική.

E' contra exempla inimicitiarum hæc apud ueteres feruntur.

1. *Atreus & Thyeſtes, de quibus Seneca in Thyeſte.*
2. *Eteocles & Polynices, apud Aeſchylum.*
3. *Cicero & Vatinius. Vnde prouerbium, Odium Vatinianum.*

SECVNDA PARS.

Quid agit Lælius in ſecunda parte?

De ortu amicitiæ diſſerit & de eiuſdem interitu.

Quo-

Quomodo de Ortu?

Vnde ſcilicet oriatur amicitia aut non oriatur. Illic ueras cauſas efficientes & procreantes, & conſeruantes explicat: hic uerò falſas remouet.

Quæ'nam eſt Amicitiæ cauſa procreans?

Ipſa Natura, quæ nobis ingenerauit Amorem, qui oritur ex Similitudine morum & Virtute ac probitate. Nihil enim eſt amabilius uirtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cum propter uirtutem etiam ignotos & hoſtes diligamus.

Quæ'nam ſunt cauſæ conſeruantes?

Merita, ſtudium & conſuetudo. Confirmatur enim amor & beneficio accepto & ſtudio perſpecto & cõſuetudine adiũcta.

Quæ'nam ſunt non ueræ cauſæ Amicitiæ?

Imbecillitas ſeu inopia, & Voluptas. Amicitiæ enim ortus generoſus eſt & diuinus, non humilis aut contemptus.

Quæ'nam ſunt cauſæ interitus, ſeu ob quas diſſoluitur amicitia?

Variæ ſunt. Diſſoluitur enim uel cum non idem expedit utriq;: uel cum non eſt idem ſenſus ſeu uoluntas: uel mutatione morum, uel contentione conditionis, commodi, honoris alicuius: uel deniq; cum recuſatur aliquod officium, aut cum poſtu latur, quod rectum non eſt.

TERTIA PARS.

Quæ'nam præcepta dat Lælius?

I. Q*uatenus amor in amicitia progredi debeat. II. De conſilijs & autoritate amicorum. III. De finibus & terminis amicitiæ.*

I. Quod-

I. Quod'nam eſt primum præceptum ſeu Lex?

Vt ab amicis honeſta petamus amicorum cauſa honeſta faciamus. Nec expectemus quidem dum rogemur ſed ſtudium ſemper adſit, cunctatio abſit. Hæc ergo prima lex ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Nulla igitur ſeu potius turpis eſt excuſatio peccati, ſi amici cauſa peccaueris: & maximè improborum conſenſio fugienda eſt.

Quid igitur faciendum eſt ei qui in eiuſmodi amicitias ignarus caſu aliquo inciderit?

Duo πορίσματα ſeu corollaria tenenda ſunt. I. Boni non debent exiſtimare ita ſe alligatos ut ab amicis in magna re peccantibus non diſcedant. II. Improbis pœna ſtatuenda eſt: nec minor ijs qui ſecuti erunt alterum, quàm ijs qui ipſi fuerint impietatis duces.

II. Quod'nam eſt ſecundum præceptum?

Conſilium uerum dare gaudeamus liberè: amicorum benè ſuadentium ualeat autoritas: eaq; adhibeatur ad monendum apertè & acriter: & adhibitæ pareatur. Nec audiendi ſunt, qui dicunt fugiendas eſſe nimias amicitias, ne neceſſe ſit unum ſolicitum eſſe pro pluribus.

III. Quod'nam eſt tertium præceptum?

Eſt de finibus & terminis amicitiæ: de quibus 4. ſunt ſententiæ ueterum. 1. Vt eodem modo erga amicum affecti ſimus quo erga noſmetipſos. 2. ut noſtra beneuolentia illorum beneuolentiæ par ſit. 3. ut quanti quiſque ſeipſum facit, tanti

ſiat ab amicis. 4. ut amemus ita, quaſi aliquando eſſemus oſuri. Sed his reiectis alij fines ponendi ſunt.

Quomodo?

Triplices ſunt termini, Amicitiæ ſcilicet uel conſtiuendæ, uel retinendæ, uel diſſoluendæ.

I. Quot'nam conſid. ſunt in amicitia conſtituenda?

Duo. I. Notæ ſeu ſigna quibus explorantur amici an ad amicitiam idonei. II. Tempus iudicandi.

Quot ſunt notæ quibus amicorum emendati mores depræhenduntur?

Sunt quinq;. I. Conſtantia & fides. II. Simplicitas. III. Candor. IIII. Comitas. V. Aequalitas.

Quid in Conſtantia exploranda faciendum eſt?

Opus eſt iudicio & experientia. Eſt enim ſapientis ſuſtinere impetum beneuolentiæ & periclitari mores amicorum.

Quomodo periclitandi ſunt mores?

Quidam in re parua depræhenduntur, ut pecunia: quidam in magna ut honoribus, aut calamitatibus.

Cur ſimplicitas requiritur?

Quia non poteſt fidũ eſſe multiplex ingeniũ & tortuoſum.

Cur requiritur Candor?

Ne aut criminibus delectetur amicus, aut credat illatis. 1. ne gaudeat calumnijs, nec ſit ſuſpicioſus.

Cur requiritur Comitas?

Quia ſuauitas ſermonum & morum haudquaquam mediocre condimentum eſt amicitiæ.

Cur

Cur requiritur Aequalitas?

Vt in amicitia ſuperior par ſit inferiori. Itaq; ſi quam præſtantiam uirtutis, ingenij, fortunæ conſecuti ſunt amici, impartiant eam ſuis, communicent'q; cum proximis: ut querelæ euitentur & exprobrationes officiorum: ſed uidendũ tamen quid nos efficere poſsimus, quid amici noſtri ſuſtinere.

Quod'nam eſt tempus iudicandi?

Omnino amicitiæ confirmatis ingenijs & ætatibus iudicandæ ſunt.

II. Qui'nam ſunt termini retinendæ amicitiæ?

Rectè præcipitur, ne quis intemperata beneuolentia impediat magnas utilitates amicorum: & ut conſideremus quid poſtulemus ab amico, & quid à nobis poſtulari uelimus.

III. Quomodo diſſoluenda eſt amicitia?

Erumpunt ſæpè uitia amicorũ in ipſos amicos. Tales igitur amicitiæ ſunt remiſsione uſus eleuandæ & diſſuendæ magis quàm diſcindendæ. Cauendũ tamẽ ne inimicitiæ ſuſceptæ uideantur, ne'ue in graues inimicitias conuertant ſe amicitiæ.

I. Quæ'nam eſt horum incommodorum cautio & præuiſio?

Vna eſt, ut ne nimis citò diligamus, ne'ue indignos: & ut euitemus ac feramus cauſas ſuſpicionum & offenſionum.

Quomodo id fiet?

Si uigebunt in amicitia Veritas & Obſequium. Veritas conſtat monitione & obiurgatione: illa acerbitate, hæc contumelia carere debet. In obſequio autem comitas adſit, aſſentatio uitiorum adiutrix & amicitiæ peſtis, amoueatur.

FINIS.

Digitized by Google

D.Chryſoſt.Homil.101.

Nihil æquale eſt conſentientium amicitiæ. Nam quamuis minimus ſit,qui unus eſt: ſi tamē unanimes ſint duo uel decem, iam is qui unus erat,decuplus effectus eſt. Vno offenſo decem offenduntur. Horum quiſq; uiginti manus habet,oculos uiginti,totidemq́; pedes:& ita non ſuis ſolùm, ſed alienis etiam uel oculis tuetur,uel operatur manibus. Si uerò ſint & centum & mille,uel eo amplius,idem eſt:ſemper producitur potentia,atq; adeò quod natura non poſſet,conficit amicitiæ nexus.

D.Hieronymus.

Vera eſt illa neceſsitudo & Chriſti glutino copulata,quam non utilitas rei familiaris: non præſentia tantum corporum, non ſubdola & palpans adulatio: ſed DEI *timor & diuinarum ſcripturarum ſtudia conciliant.*

IN

Digitized by Google

IN DIALOGVM DE SENECTVTE.

Quæſtiones.

Ce s [illegible] ERAS.

Digitized by Google

ERAS. ROT.

Optimum Senectæ ſolatium, benè acta Iuuentus.

Φοβοῦ τὸ Γῆρας:

Οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.

Vt amicitiam, ſic Senectutem alij alijs cauſis tribuunt,
- Chriſtiani, diuinæ beneficentiæ.
- Phyſici, temperamento.
- Aſtronomi, aſtris.
- Ethici, Virtutibus præcipuè
  - Labori.
  - Temperantiæ.

Genus ſcripti eſt ἐλεγκτικόν:
De Amicitia ἀποδεικτικόν.

DE

DE SENECTVTE.

Quid uerò in hoc Libello nobis conſiderandum erit?

PRIMO' *quædam extra librum prætermittemus: deinde Analyſim & diſpoſitionem aggrediemur.*

De quibus igitur rebus antea monendi ſumus?

De tribus. 1. *De numero ætatum.* 2. *Cur longior uita optanda ſit.* 3. *De utilitate ſermonis huius,*

Quot igitur ſunt ætates?

Alij aliter numerant: A' Cicerone tamen uidentur gradus 4 fieri, ut alia ætas dicatur

- *Adoleſcens, cuius 4 ordines:*
  - *Infantia ad tertium quartum'ue annum, omnium humidiſsima.*
  - *Pueritia ad decimum.*
  - *Pubertas, ἥβη, ad decimum octauum.*
  - *Adoleſcentia ad 25. totius appellationem ſortita.*
- *Florida, ut Iuuentus, uſq; ad 35. aut 40. annum: cuius propria eſt uenuſtas, agilitas & ferocia: calida, parceq; humida.*
- Conſtans, *ut Virilis ætas & matura, ſui ubiq; ferè ſimilis & temperata, uix annum attingens 50.*
- *Ingraueſcens, ut Senectus.*

Senectus eſt duplex:

- Vna quæ attingit 65 annum, quæ ſiccum frigidumq́ corpus efficit, frigidum tamen minus: in qua agentes propriè πρεσβύται dicuntur. i. Senes.
- Altera omnium poſtrema quæ uitam claudit, uocaturq́ ætas decrepita & ultimum Senium, eſtq́ frigidiſsima atq; ſucciſsima: in hac agentes Γέροντες. i. Seniores dicuntur. Habet & hæc 3 gradus:
  - I. eorum eſt qui ὠμογέροντες dicuntur. i. uiridi adhuc ſenecta præditi, qui adhuc ciuilia negotia obire poſſunt.
  - II. eorum qui hæc amplius præſtare non poſſunt.
  - III. in qua extrema exiſtit uirium imbecillitas; tales Græcis ſunt πέμπελοι ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι εἰς τὴν ἄλλην πομπὴν, quòd mittendi ſint breui in pompam quæ ad inferos ducit. Latinis Silicernium: qui unum pedem in cymba Charontis habent: Die auff der Gruben gehnd.

Huc

Huc pertinent illa uulgata:

Auffſteigen oder zů- nemmen.	X.	Iar	Ein Kind.	Kitz.
	XX.		Ein Iüngling.	Kalb.
	XXX.		Ein Man.	Stier.
	XL.		Wolgethan.	Leuw.
	L.		Stillſtohn.	Fuchs.
Abnem- mung.	LX.		Abgohn.	Wolff.
	LXX.		Dein ſeel bewar.	Hund.
	LXXX.		Der Welt thor.	Katz.
	XC.		Der Kinder ſpott.	Eſel.
	C.		Gnad dir Gott.	Gans.

Cur autem longior uita optanda?

Tres ob cauſas. I. Vt doctrinam de Deo & de æterna conſuetudine magis magiſq́ percipiamus. II. Vt confirmetur in nobis Dei agnitio. III. Vt pluribus doctrinam eam impertiri queamus.

Quæ'nam eſt utilitas huius libri?

Libellus de Senectute dulcis prorſus, planeq́ Neſtorius eſt & Ciceronis Cygnea cantio. Proponit enim nobis conſolationem opponendam triſtiſsimis Senectæ ærumnis: quæ ut Iuuenalis ait Satyr.14.

Febre calet ſola, circumſilit agmine facto
Morborum omne genus.

Nec enim de nihilo dictum eſt, φοβῶ τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον. Vt igitur areſcenti corpori uictus humidior ac dulcior conducit: ita in ſenectutis curis & contentionibus, animorum mœſtitia diluenda eſt, & aſperitas mitiganda lectionibus ſuauioribus. Sic & Cicero magnos uiros recenſet, quorum exemplo monent, quantum in omnibus uitæ partibus ſeu ſpacijs, animi moderatio proſit. Præclarè enim conſenuerunt Fa-

bius, Scipio, Lælius & alij multi quorum hîc ſit mentio. Traditur igitur à Cicerone in hoc ſermone non tam ferendæ ſeneſtutis, quàm totius uitæ inſtituendæ ratio, & animo non iniquo moriendi: quæ res Fortitudinis locum maximè attingit, cuius eſt moleſtarum rerum (quales Paupertas & Mors habentur) perpeſsio, cum animi æquitate.

Quæ'nam eſt Diſpoſitio huius Dialogi?

Primò eſt Exordium, quod continet repræhenſionem eorum qui Senectùtem uituperant, oſtendens ſapientem naturæ imperium æquo animo ferre. 2. Eſt propoſitio, quòd uelit docere Cato, quibus rationibus facillimè ingraueſcentem ætatem ferre poſsimus. Vbi tolerabilis ſenectæ cauſæ attinguntur, partim principales, ut eſt Virtus & Sapientia: partim adiuuantes ut Fortunæ & Opes. Etſi enim propter opes & copias & dignitatem pleriſq; ſenectus tolerabilis uidetur, nequaquam tamen in his ſunt omnia. Aptiſsima enim arma ſunt contra ſenectutem, artes, exercitationesq; uirtutum, & conſcientia benè actæ uitæ, multorumq; benefactorum recordatio. Id quod illuſtratur quinque exemplis, Fabij, Platonis, Iſocratis, Gorgiæ & Ennij: qui omnes præclarè & honeſtè conſenuerunt. 3. pars eſt Confutatio. 4. eſt Peroratio.

Quot ſunt partes Confutationis?

Q*uatuor ſunt: Miſera enim Senectus uidetur. 1. Quod auocet à rebus gerendis. 2. Quod corpus faciat infirmum. 3. Quòd priuet omnibus ferè uoluptatibus. 4. Quòd haud procul abſit à morte.*

Quomodo reſiſtit primæ parti, τῇ ἀπραξίᾳ?

Diſtinctione. Nam aliæ res uiribus corporis geruntur, à quibus aliquando auocat ſenectus: aliæ uiribus animi, à quibus

bus non abſtrahit. Non enim uiribus aut uelocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur: ſed conſilio & authoritate & ſententia, quibus non modò non orbari ſed etiam augeri ſenectus.

Senectam non eſſe ἄπρακτον probat
- *Adiunctis id eſt*
  - *Conſilio, autoritate,*
  - *Memoria.*
- *Factis ſeu exercitijs in*
  - *Studijs*
    - *Diuinis per exempla*
      - *I.C.*
      - *Philoſophorum.*
      - *Poëtarum.*
      - *Oratorum.*
    - *Ruſticis.*
  - *Diſcendo.*

Quomodo reſiſtit ſecundæ parti, imbecillitati?

Alia diſtinctione: Nam alia imbecillitas eſt corporis, quam affert ſenectus: alia mentis, quam non affert. Et hîc eleganter cauſas imbecillitatis trãſfert in adoleſcentiam. Defectio enim uirium, adoleſcentiæ uitijs efficitur ſæpius, quàm ſenectutis. Libidinoſa enim et intemperans adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti. Poteſt econtrà exercitatio & temperantia etiam in ſenectute conſeruare aliquid priſtini roboris. Reſiſtendum itaque ſenectuti eſt: & eius uitia diligentia corrigenda ſunt. Pugnandum tanquam contra morbum, ſic contra ſenectutem. Habenda ratiò ualetudinis: utendum exercitationibus modicis: tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur uires,

uires, non opprimantur. Nec uerò corpori ſolùm ſubueniendum eſt, ſed etiam menti atq; animo multò magis. Nam hæc quoq;, niſi tanquam lumini oleum inſtilles, extinguuntur ſenectute: & corpora quidem defatigatione & exercitatione ingrauescunt: animi autem ſe exercendo leuantur. Iuuentum igitur animum tanquam arcum habere oportet. Semper enim in his ſtudijs laboribusq; uiuenti, non intelligitur, quando obrepat ſenectus. Ita ſenſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit.

Quomodo reſiſtit tertiæ parti, τῇ ἀηδονίᾳ?

Longo ſyllogiſmo utitur, hoc modo:

Etſi ſenectus, priuaret nos uoluptatibus, tamen eſſet illi laus habenda. Proſyllogiſmus longus eſt à uituperatione uoluptatis per teſtimonium Architæ, quod Proſopopœia figuratur.

Sed non priuat nos omnibus uoluptatibus. Aſſumptionis proſyllogiſmus conſtat longa diſtributione uoluptatum ſenilium. Habet enim ſenectus modica conuiuia, pabula doctrinæ, Voluptates agricolarum (ubi pulcherrimus locus in laudem rei Ruſticæ) & honoris autoritatisq; præmia.

Multò igitur potius ſenectus eſt laudanda.

Quomodo reſiſtit quartæ parti, Morti?

Eſt ibi epitome primæ Tuſculanæ: ubi reſiſtit. 1. quia mors non ſit mala. 2. quia communis ſit adoleſcentibus. 3. quia ſit naturalis. 4. quaſi ſit contemnenda. 5. quia omnium rerum eſt ſatietas, ergo & uitæ. 6. quia mors nos beatos reddit & immortales. Qui locus uariè tractatur: eſtq; unus è præcipuis huius Libelli locis.

FINIS.

QVINQVE

QVINQVE ORATIONES DE MORALI PHILOSOPHIA Ariſtotelis,

A' quinque diſcipulis Audomari Talæi habitæ Pariſijs, in ſcholis Picardorum quinto Calend. Decemb.

1548.

Digitized by Google

QVOD FELICITAS AB ARISTOTELE RECTE DEFINIATVR ORATIO prima Petri Maſparautij.

CVM uetus & honeſta Pariſienſis Academiæ conſuetudo (doctiſſime præceptor) iubeat adoleſcentes, qui dant operam Philoſophiæ, initio tertij anni rationem aliquam ſui profectus publicè reddere, idq; pro tuo iure fieri nunc nobis imperes, parebo & conſuetudini & uoluntati tuæ, & quidem tantò libentius, quantò magis optatam et idoneam ad dicendum materiam mihi largitus es. Nam cùm de finibus bonorum & malorum agitur, de quibus Philoſophos inter ſe diu & multùm uarijs contentionibus altercatos fuiſſe uidemus, ſic exiſtimo, ſic mihi perſuadeo, non temerè quidem, ut opinor, Ariſtotelem principem reliquorum philoſophorum palmam huius contentionis reportaſſe: cuius ſententiam et doctrinam, quam decem ad Nicomachum libris expoſuit, non modò ueram & rectam, ſed etiam Chriſtianæ religioni cōſentaneam eſſe arbitror. Nam cùm uniuerſa primi libri diſputatio, quæ ad beatæ uitæ explicationem pertinet, duas in partes diſtributa ſit, refutationem falſi, & confirmationem ueri, in utraq; parte tanta maieſtas eſt orationis & dignitas, ut quæ ab Ariſtotele dicuntur, non tam ab homine dicta, quàm à Deo aliquo dictata fuiſſe uideantur. Ponite quæſo ante oculos primùm falſas & impias hominum ſectas à Deo damnatas, ab Ariſtotele ſimiliter damnatas & improbatas reperietis. Deus aſotos & libidinoſos homines, qui uentre & delitijs corporis

ſummum

ſummum bonum terminarent, grauiter ultus eſt: Ariſtoteles uoluptuariam uitam, non hominum, ſed pecudum uitam eſſe docuit. Deus ſuperbos & ambitioſos odit, qui ſe deos fama & prædicatione hominum dici & haberi uolunt, qui nihil laude melius, nihil imperio beatius arbitrantur: Ariſtoteles eodem modo negat in honore populari poſitam eſſe beatam uitam. Deus auaros damnat, qui ſupellectile, qui poſſeſſionibus, qui nummis & arca felicitatem metiuntur: Ariſtoteles ut pecuniā non propter ſe, ſed propter uſum uirtutis expeteremus, admonuit. Deniq; Deus ipſe præcipit, ut uirtutem noſtram uita & moribus, & rectè factis teſtificemur: Ariſtoteles otioſam & inertem uirtutem non laudat, nec quenquam uirum bonum, niſi ex bonis et præclaris actionibus laudari cenſet oportere. Nam quid ego dicam de uana illa & commentitia Platonis idea, quàm uerè, quamq; ſubtiliter ab Ariſtotele reprehenditur? qui ne præceptori quidem ſuo parcendū eſſe duxit, ut ueritas cauſam defenderet. Plato enim finxerat communem aliquam bonorum omnium ideam, & in eius adeptione ſummum bonum hominis poſuerat: quid ad hoc Ariſtoteles? Portentoſum & inane ſomniū Platonis modeſtè (ſicut diſcipulū decuit) eleuat: probatq; bonorū in decē categorias diſtractorū nullam cōmunem ideā inueniri poſſe: & ſi inueniretur, neminē tamen hanc ulla ratione unquam uel aſſequutum, uel aſſequuturum eſſe. Quamobrem quis in confutanda uoluptate mundana gloria, diuitijs, otioſa uirtute, idea Platonis non ita miretur Ariſtotelis ſapientiam, ut eam non tantum reliquorum philoſophorum ingenijs anteponat, ſed cum Chriſtiana doctrina & diuinis legibus iure & merito comparare debeat? Venio nunc ad illius ſententiam, quam ſi docuero ſanctam & præclaram eſſe, quis non ſtatuat hunc Philoſophum quaſi diuino ſpiritu

afflatum

Digitized by Google

afflatum ad explicandam doctrinam felicitatis acceſſiſſe? Rem ipſam ſimpliciter definiam: uos æqui (ut ſpero) iudices eritis. Cùm uideret igitur Ariſtoteles ſummum bonum proprium eſſe hominis, idemq́ perfectum & abſolutum bonum, hominis autem perfectionem in uirtute & mentis excellentia conſiſtere, qua qui præditus eſſet, Deus inter homines haberetur. ſummam rationis ad hanc concluſionem perduxit, ut felicitatem diceret actionem eſſe & uſum perfectæ uirtutis in uita undiq; perfecta. Magnificam (ita me Deus amet) & Philoſopho dignam definitionem, quæ tam accuratè facta eſt, ut ſi uel literam ſuſtulerit, totam rationem beatæ uitæ labi & corruere neceſſe ſit. Etenim ſi Veritas ipſa de ſummo bono per ſe loquatur, nihil uirtute melius, nihil ætate hominis bene & proſperè tranſacta beatius eſſe dicet: & ſummum bonum in optima parte hominis, quam mentem & animum uocamus, propriam ſedem habere prædicabit: & cùm homines adepti fuerint ea, quæ ſunt maximè ſecundùm naturam, id eſt, uirtutes omnis generis, prudentiam dico, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam, easq; per omnem uitæ curſum ſanctè coluerint, tum beatos & felices eſſe confirmabit. Veritas (inquam) ſi per ſe uocem poſſit emittere, non alijs (ut arbitror) uerbis, quàm Ariſtotelis ſummam beatæ uitæ definiet. Ac cæteri quidem Philoſophi quamuis ab Ariſtotele diſſentiant, tamen cùm de uirtute loquuntur, eam reginam ſapientiæ, deamq́ felicitatis humanæ faciunt. Quid commemorem poëtas Græcos & Latinos, quibus nihil eſt uſitatius, quàm ſolidæ & expreſſæ uirtutis elogium? Nam quid eſt illuſtrius, quàm hoc Heſiodum acroama? Virtutis uiam eſſe lubricam & difficilem, ſed cùm ad arcem illius conſcenderis, otium cum dignitate & abundantia & ſatietate omnium rerum comparari. Cur (inquies)

addiunt

Digitized by Google

additur in uita perfecta? Nempe ut qui beatus eſt, ſit ſemper beatus, & non modò miſer, modò beatus. Nam ſi ſummum bonum conſtans & firmum bonum eſt, conſtantiam & perpetuitatem in tota uita requirit, ut qui ad extremũ uſq; tempus ætatis uirtutem ſecutus fuerit, idemq́; præclarè & feliciter diem ſuum obierit, tum demum beatus & felix in uita anteacta fuiſſe iudicetur. Recteq́; illud à Solone dictum eſt:

—ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini, diciq́; beatus.
Ante obitum nemo, ſupremaq́; funera debet.

Agedum igitur, Auditores, extruamus animo altitudinem & præſtantiam uirtutum: Iam non dubitabimus, quin earum compotes & participes ſemper ſint beati, ſi modò his commoda fortunæ & corporis reſpondeant, Sumus enim homines: ex animo conſtamus & corpore: & quamuis exigua reliqua ſint, ſi cum ſplendore uirtutis conferantur, eiuſmodi tamen ſunt, ut ſine his beata uita magna ex parte manca & obſcura futura ſit: uix enim fieri poteſt, ac ne uix quidem, ut qui rebus aduerſis premitur, aut minus ſecundam fortunam habet, res præclaras agat, cùm multa uel amicorum ſtudio, uel diuitijs, uel publica authoritate, non ſecus atq; inſtrumentis efficiantur. Et ſi quædam hominibus defuerint, ut nobilitas, liberi, pulchritudo, magnam labem et maculam uitæ ſoleant aſpergere. Quãobrem Ariſtotelis doctrinam dignam ſtudioſis ingenuarum artium, dignam eruditis, dignam Chriſtianis amplectamur, quæ tam pura et ſancta eſt, ut uideri poſsit uelut ex ſacris oraculis ædita. Redeat enim huc Abrahamus, aut aliquis alius de patriarchis antiquis, quid interrogantib. nobis, qua uia aſcenderit in cœlum, reſpondebit? Non' ne Prudentia, Iuſtitia, Temperantia, Liberalitate, cæteriſq; uirtutibus? Reuiuiſcat in ter-

ris diuus Paulus? non' ne tota huius oratio in hominibus ad ſtudium uirtutis cohortandis conſumitur? Quod tùm Ariſtoteles in præceptis de finibus bonorum & malorum diligenter, & accuratè præſtiterit, ſit apud nos Chriſtianos homines ſancta & uenerabilis eius Philoſophia, quam propter eximium, & ſingularem, cum ſacris literis conſenſum omnes Theologorum ſcholæ uelut fundamentum Chriſtianæ Religionis eſſe uoluerunt.

QVOD ARISTOTELES NON RECTE FELICITATEM definiat, Oratio ſecunda Franciſci Seuini.

REm difficilem atq; arduam nobis imperaſti (doctiſsime præceptor) ut contra Ariſtotelis de beata uita ſententiam diſſeramus: nam ſi ne Hercules quidem unus aduerſus duos, quid ego homunculus unus aduerſus authoritatem tantam, tot ſeculis, tanto hominum conſenſu confirmatam & corroboratam pugnabo? Accedit etiam oratio condiſcipuli elegans & copioſa, & quæ nihil prætermiſit eorum, quæ pro Ariſtotelis cauſa dici poſſe uidebantur: non ita tamen, ut hanc uniuerſam deſtruere ac euertere poſſe diffiderem. Etenim ſi me pro ueſtra ſapientia & humanitate diligenter attendere uelitis, Auditores, oſtendam Ariſtotelem nec rectè quid ſummum bonum non eſſet, confutaſſe: nec uerè quid illud eſſet, nobis explicaſſe: doctrinamq; eius non modò falſam, ſed Chriſtianæ doctrinæ repugnantem uideri. Qua in diſputatione libenter, ſi mihi licitum eſſet, iurarem per Deum Optimum Maximum, me non oſtenta-

Digitized by Google

oſtentationis alicuius ſtudio in certamen cum Ariſtotele deſcendere, Quid enim ineptius eſt, quàm ad ambitionem gloriæ philoſophari? ſed ut pro ueritate ipſa contra uanam authoritatem diſputem. Non agam igitur tecum proteruè, ò Ariſtoteles, ne me tui ſimilem in refellendo putes. Eſto uoluptas non hominis, ſed pecudis bonum: hoc enim tibi aſſentior. Ne ſit etiam beata uita in opibus & diuitijs, quandoquidem ditiſsimus quiſque deterrimus & infeliciſsimus eſſe ſolet. Prætermittamus popularem gloriam, in qua tamen confutanda, quis Ariſtotelis ineptias non irrideat? Homines, ait, qui uerſantur in Republica, laudem & honorem cupiunt, ut alijs ſe bonos uiros eſſe perſuadeant. Imò uerò longè alia opinio Græcis & Romanis ueteribus fuit, quippe qui uirtutem ad laudem, non laudem ad uirtutem referri putabant oportere. Teſtes ſunt principes, qui ut fama & laude celebrarentur, omnem ſuam operam Reipub. deuouerunt. Teſtes legumlatores ſapientiſsimi, qui ciues ſuos præmio & laude ad Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam, cæteraſq; uirtutes incitabant: quo quidem argumento declarabant honoris, & gratiæ cauſa uirtutes eſſe expetendas, ut ex rectè factis immortalem ſibi gloriā compararent. Taceo de uirtute, quam Ariſtoteles uelut inertam, & ſomniculoſam & miſeram aliquam mulierculam nobis deſcribit, quo quidem nihil dici poteſt à Philoſopho languidius & ineptius. Tanta ſiquidem uirtutis eſt grauitas & conſtantia, ut beata & florens in taurum Phalaridis deſcendat, in eculeum aſcendat: & quo magis uexetur, eo beatior & illuſtrior appareat. Quid calumniam Ariſtotelis contra Platonem præceptorem ſuum commemorabo? calumniam dico? Imò uerò quid impietatē Ariſtotelis manifeſtā, dum Platonē conatur refellere, uobis proferā? Plato dixe-

Digitized by Google

rat ſummum bonum hominis eſſe in perfecta ſapientia & contemplatione Dei, quam ideam primam, & bonorum omnium cauſam nominabat, eumq́ cenſebat eſſe beatum, cuius ut oculus in terris ſolis luce, ſic animus in cœlo cœleſtis patris claritate frueretur: quid à Philoſopho de beata uita melius, aut ſanctius præcipi poterat? Ariſtoteles cùm in Platonem protervus, tum in Deum Optimum Maximum impius malitioſè ſententiam Platonis calumniatur, & omiſſa quæſtione de humanis ideis, de quibus hìc non agitur, diſputat: cuius argumenta aliena, falſa, incōſequentia, captioſa, impia deniq; ſunt. Quærit hic Philoſophus ad extremū ferè diſputationis, quid idea proſit, cùm neq; ab homine cognoſci, neq; ullum uſum in uita hominis habere uideatur: quaſi uerò Deus non ſe homini cognoſcendum præbeat, aut ſumma humanæ religionis non ſit, Deum opificem huius mundi præpotentem, regem, ſapientem, benignum, infinitis uirtutibus excellentem aſſiduè contemplari, ſuſpicere, uenerari. quod non tantummodo Chriſtianæ literæ, ſed etiam Socrates apud Xenophontem præclarè diſſerit. Vellē mihi, Auditores, liberius eſſe otiū plura pro Platone dicendi: oſtenderē quàm impudens calumniator ſit eius diſcipulus, quamq́ hoſtis Chriſtianæ religionis, quem ſatis hoc capite conſtat dedita opera ad refutandum Platonē acceſsiſſe, ut homines ſui tēporis à cœleſti & diuina cognitione ad humanas & mundanas cogitationes auerteret. Quid enim habet Ariſtotelea felicitatis definitio, ſi quis hanc diligēter à capite ad extremū uſq; perpendat, quod non à Chriſtianis & diuinis legibus abhorreat? Primum caput eſt actio perfectæ uirtutis. Atqui didicimus ex ſacris literis beatam uitā eſſe in perfecta cognitione & ſapientia Dei. Video quid ſtatim reſpondeas, Ariſtotelem de humana felicitate, non de diuina eſſe loquutum.

Quid

Digitized by Google

Quid ſi doceã Ariſtotelicam felicitatem reuera infelicitatem eſſe, atq; etiam impietatem à cacodæmone inductã: non'ne fundamẽta tuæ diſtinctionis reuellam? Proponamus igitur nobis hominem ethnicum temporibus Ariſtotelis, omnibus Ariſtotelicis uirtutibus inſtructum: addamus etiam opes, ſanitatem, liberos, uxorem, pulchritudinem, & cætera, quæ putat hic Philoſophus eſſe ad beatam uitã neceſſaria. Qui noſtrûm ignorat, quin ethnicus ille miſerrimus et infeliciſsimus extiterit, qui pro pietate impietatẽ, pro religione ſuperſtitionem, pro uero Deo impiũ cacodæmonẽ coluerit? Ac ne quis miretur, quòd eiuſmodi doctrinam à cacodæmone profectam dicamus, ipſi cacodæmones, qui quondam præſidebant oraculis, prudentiam, iuſtitiam, liberalitatem præcipiebant hominibus: in quibus uirtutibus intelligebant non eſſe tãtam uim, ut beatũ quenquam poſſent efficere: qua quidẽ arte infinitos non tantum homines, ſed etiam penè populos deceperunt, & in ſempiternas miſerias præcipitarunt. Secundum caput definitionis admonet felicitatem eſſe in hac uita. Atqui Plato, quẽ Ariſtoteles annos unum & uiginti audierat, longè ſecus admonet ne ſummum bonum in hoc curriculo uitæ, atq; in terris, ſed decurſo uitæ ſpatio in cœlo cum Deo ſperemus: & hac de re pleni ſunt omnes ſacri libri, plenæ cohortationes Euangelicæ, plena diuinæ legis præcepta: nec his excuſatione ulla opus eſt, quòd ab Ariſtotele definiatur humana felicitas: quam ſi, ex his quæ diximus, ſatis conſtat eſſe infelicitatẽ atq; miſeriam, quòd homines miſerrimos & infeliciſsimos efficiat, deſinant homines Chriſtianis moribus & inſtitutis informati tanti æſtimare Ariſtotelis doctrinam, ut magnum aliquid & præclarum in ea eſſe putẽt: deſinant leges ſacroſanctas Dei Optimi Maximi legib. Ariſtotelicis ſimiles dicere, cùm inter eas tantum interſit, quantũ in-

ter cœlũ & terram, inter lucem & tenebras, atq; omnino quantum inter res diſiunctiſsimas & diſsimilimas intereſſe poſsit.

QVOD ARISTOTELIS DOCTRINA DE VIRTVTE ſit legitima & uera, Oratio tertia Ambroſij Ballerij.

Gaudeo meas partes eſſe (doctiſsime præceptor) pro Ariſtotele principe reliquorum philoſophorum dicendi: cui tantum in philoſophia tribuo, ut quantum primam orationem pro Ariſtotele habitam probaui, tantum ſecundam, quæ aduerſus eundem dicta fuit, improbauerim. Verùm liberum ſit cuiq; iudicium: ego, ut de meo ſenſu loquar, non diſsimulabo me erga tantæ authoritatis philoſophum ſic eſſe affectum, ut malim cum eo & cum maioribus noſtris, qui eum ſecuti ſunt, errare: quàm cum nouis quibuſdam hominibus, qui ab Ariſtotele & maioribus diſſentiunt, uera ſentire. Quanquam in tanta luce ueritatis & doctrinæ errare qui poſſumus? Ego igitur Ariſtotelis ſcholam & inſtitutionem de uirtute non ſolùm rectam & legitimam ſed etiam Chriſtianis moribus accommodatam eſſe contendo. Etenim ante illum præcepta de moribus partim ignorata partim diſperſa & diſsipata iacebant. Socrates qui primus in Græcia de bonis & malis rebus quærere cœpit nihil omnino ſcriptũ reliquerat. Plato uarios præceptoris ſui ſermones literis mandauit, in quibus tamen nulla forma artis cuiuſquam aut doctrinæ traditur, ſed altercationes Socratis & ſophiſtarum de ſummo bono, de fortitudine, de amicitia, de temperantia ſparſim diſiunctis & locis & libris

bris diſputantur. Primus Ariſtoteles explicationem uirtutis à definitione exorſus eſt: primus uirtutem in duo genera, unum actionis, alterũ mentis & intelligentiæ diſtribuit: Primus propoſita genera uia & ordine definitionibus & exemplis illuſtrauit. Primus deniq; perfectam, & omnibus partibus abſolutam ſpeciem uirtutis non adumbrauit ſolùm, ſed etiam uiuis (ut aiunt) coloribus expreſsit. Quamobrem ut in operibus artificum nihil Appellis pictura, aut Phidiæ ſimulachris perfectius uidemus, ſic in Philoſophia morali nihil accuratius, aut excellentius Ariſtotelica uirtutis deſcriptione cogitare poſſumus: quæ quàm ſimilis & germana ſit Chriſtianis inſtitutis, quæſo nunc attendite. Quis enim noſtrùm M. Curtij temperantiam non diligat? aut quis Heliogabalum omni genere intemperantiæ perditum non oderit? quoties nomen Epaminondæ legimus uel audimus, qui pro Thebanis fortiter dimicans occubuit, qua uoluptate perfruimur? qua laude hũc extollimus? contra uerò Sardanapali fracta, effœminata mollities deteſtabilis eſt omnibus. Catonis uerò grauitas & iuſtitia cui Chriſtiano nõ excellens ac propemodũ diuina uidetur? aut quis crudelitatem Claudij Neronis animo & uerbis non execratur? quãobrem? nimirum quia tanta ſpecies & dignitas eſt uirtutis, ut eos quos numquam uidimus, tamen hac ſola commendatione ualde diligamus. Tanta porrò turpitudo, & infamia ſceleris, ut improbos non odiſſe non poſsimus. Sed ut ad contentionem propius accedã, quid Ariſtoteles de uirtute præcipit, quod non Deus eodem modo præceperit? Fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, modeſtia, manſuetudo, ueritas, comitas, affabilitas, amicitia, & cæteræ uirtutes ab Ariſtotele nobis ad benè uiuendum propoſitæ, in utroq; Dei teſtamento ueteri & nouo paſsim cõmendantur: & contraria uitia

quæ ab Ariſtotele damnantur, à Deo grauiter & ſeuerè in hominibus improbis uindicantur. Vterer ad hanc rem Chriſtianis exemplis, niſi nota uobis eſſe conſiderem. Legite libros Moſis, euoluite ſacras hiſtorias, Prophetarum uoces expendite, perſpicite totum Euangelium: ſyluam Ariſtotelicarum uirtutum magnam & copioſam & uberem hic reperietis. Qua de cauſa Theologi quidam Chriſtiani adducti ſunt, ut Ariſtotelem Stagiritem aliàs quaſi quendam Moſen Græcum dicerent, aliàs cum D. Ioanne Baptiſta compararent: ut quemadmodum Baptiſta in diuinis & gratuitis, ſic Ariſtoteles in puris (ut aiunt) naturalibus præcurſor Dei fuerit. Quamobrem ſi iuſtitiam, ſi liberalitatem, ſi religionem, ſi pietatem, ſi Deum deniq; ipſum ſuſpicitis & colitis, Ariſtotelem omnis uirtutis & diuinitatis præconem, & interpretem plena uenerationis ore ſuſpicite & colite.

QVOD ARISTOTELIS DOCTRINA DE VIRTVTE NEC legitima, nec uera ſit, Oratio quarta Antonij Fouquelini.

QVAE eſt iſta de Ariſtotelica uirtutis inſtitutione tã inſolens oratio? Rectam'ne et propè Chriſtianam doctrinam nobis Ariſtoteles expoſuit? O Deum immortalem: ego'ne me Chriſtianum eſſe non gaudeam? Ariſtoteles rectam & ueram uirtutis uiã nobis monſtrauit? Quid ſi uitioſam? quid ſi impiam? Quid enim eſt quod in recta & legitima arte laudatur? Opinor cùm res ad docendum propoſita breuiter, & perſpicuè, & uerè, & utiliter explicatur: At egregius iſte morum magiſter in

in definitione uirtutis moralis & partitione, quæ paucis admodum uerſiculis comprehendi poterant, totum ſecundum uolumen, & magnam partem tertij conſumpſit: nec ſolùm generalem & uniuerſam definitionis & diuiſionis doctrinam, ſed etiam ſingulorum generum tractationem, uanis & alienis ſcholaſticarum argutiarum quæſtionibus & altercationibus impleuit, perturbauit, obſcurauit. Hoccine eſt arte & uia de uirtute præcipere, pro ſolidis & ueris præceptis falſas & inanes controuerſias admiſcere? præſertim cùm doctrinæ cuiuſuis explicatio, non ſolùm probabilis & aperta, ſed etiam breuis & ſimplex eſſe debeat. Illud uerò multò etiam magis admiratus ſum, quòd ſic Ariſtotelis doctrinam cum religionis doctrina comparaueris, ut Ariſtotelem non ſolùm Deo patrem, ſed ſuperiorem penè feceris. Quæ uox non modò falſa mihi uiſa eſt, uerùm (dabis enim mihi ueniam, ſi de re tam acerba paulò acerbius dicam) ſcelerata & impia. Etenim quænam, malum, immanitas eſt, Chriſtianam religionem ſanctam & diuinam, cum hac ethnica & terrena impietatis fæce comparare? Illa nos ad cœleſtem uitam ducit, hæc ad tartaream & tenebricoſam deducit. Omnes enim qui Ariſtotelicas uirtutes ſecuti ſunt, quiq; ſequentur, apud inferos contremiſcunt, & contremiſcent. Et quid habet, quæſo, commune cœlum cum inferis? Deus cum cacodæmone? æterna felicitas cum ſempiternis ærumnis? Quæ maior & grauior iniuria Deo inferri poteſt, quàm ſi damnatas ab eo leges Ethnicorum, diuinis & ſacroſanctis legibus ſimiles eſſe dixeris? Abſit hæc oratio non modò à factis & moribus, ſed linguis & cogitationibus Chriſtianorum. Quid ergo? dicet aliquis, Tu liberalitatem, tu temperantiam, tu iuſtitiam, tu fortitudinem, tu amicitiam reprehendis? Minimè uerò, ſed ab Ariſtotele uitioſè definitas & con-

cluſas eſſe dico. quamobrem? quia principium, & fons, & origo, & cauſa prima uirtutum omnium, non homo eſt, ſed Deus: & ſatis ſuperq; fuerit hominem uirtutis ſuæ adiutorem, non authorem eſſe: & extremus omnium uirtutum fructus & finis ad Deum, non ad hominem refertur: nec enim homo hominis cauſa iuſtè liberaliter, temperanter, ſapienter uiuit, ſed ut Deo tandem fruatur. Ariſtoteles autem ſuarum uirtutum principium ab homine repetit, non à Deo. has enim natura, & arte, & exercitatione comparari putat, Deum nec authorem, nec adiutorem adhibet: & earum uirtutum finem ſummum & extremum in hac hominis caduca & mortali uita conſtituit. Fuerint igitur Ariſtides & Cato Ariſtotelis iuſtitia iuſti, an idcirco Chriſtianis moribus ueris & ſanctis beati cenſendi ſunt? nequaquam. cur quæſo? quia id ipſum quod aliunde habebant, ſibi non minus arroganter, quàm ingratè aſſumpſerunt. Et ſi quis ueterum ethnicorum diuino permiſſu ab inferis excitaretur, quid nobis de Solone, Lycurgo, Numa Pompilio ſtudioſiſſimis legum non ſolùm latoribus, ſed etiam cultoribus narraret? Non ne eos, quòd ſine uero Deo falſas & impias uirtutum umbras ſectati ſunt, in profundis inferorum faucibus debitas impietatis ſuæ pœnas luere? Quæ cùm ita ſint, tamen paſſim audimus Ariſtotelem ab alijs Moſem Græcum, ab alijs quaſi alterum Ioãnem Baptiſtam appellari. O uocem in noſtris moribus petulantem & impiam? O barbariem in noſtra religione non ferendam? Tu cùm Ariſtotelis doctrinam ſine pietate, ſine religione, ſine fide, ſine ſpe, ſine Deo deſcriptam uideas, tam expers conſilij & rationis eris, ut hanc non ſecus, ac de cœlo datam colas & amplectare?

QALIS SIT ARISTOTELIS DOCTRINA DE MO-ribus, Oratio quinta Claudij Dambranei.

TANDEM aliquando (doctiſsime præceptor) expertus ſum, quod à Rhetoribus uulgo dici ſolet, tantam eſſe uim eloquentiæ, ut mentes hominum quò uelit, adducere, & unde uelit, deducere queat. Nam cùm modò Petrus Maſparauius de felicitate, & Ambroſius Ballerius de uirtute Ariſtotelis diſputarent: ſic orationibus eorum capiebar, ut nihil mihi ſapientius, aut moribus noſtris magis conſentaneum de beata uita ſtatui poſſe uideretur, quàm eſſet ab Ariſtotele conſtitutum. Cùm uerò Franciſcus Seuinus & Antonius Pouquelinus non minus grauiter, quam copioſè & felicitatem & uirtutem eiuſmodi uituperarent, quòd nec à Deo ſuam originem ducerent, nec ad Deum ipſum ſpectarent, ita repentè mutabar animo, & opinione, ut quantum paulò antè eſſem Ariſtoteli aſſenſus, tantum mox ab eo diſſentirem. Quo mihi adoleſcentulo, qui per ætatem uix tantã rem conſequi poſſum, difficilior hic non modò perorandi, ſed etiam de tanta controuerſia iudicandi locus. Dicam tamen uobis Auditores, quæ anno ſuperiore, cùm nobis Ethica Ariſtotelis exponerentur, à præceptore ſæpe dicta et diſceptata memini. Illud enim crebris uſurpabat ſermonibus diſciplinã & rationem beatæ uitæ non ab Ariſtotele, aut à quoquam Ariſtotelis ſimili philoſopho, ſed à Deo diuiniſq; præceptis eſſe petendam. Propterea quòd ille, nec quid eſſet beata uita, nec quid uirtus eſſet, ullo modo perſpexerit,

aut

Digitized by Google

aut libris ſuis expoſuerit nec enim principium, unde naſceretur, neque finem quò referretur, intelligebat: ſimilisq; fuit indoctis & ſtultis curſoribus, qui in ſtadio curſitantes, & carceres, unde incipiendum, & metam quò perueniendum ſit, ignorant. Sæpe etiam in celebri & frequenti auditorum cœtu conqueſtus es (doctiſsime præceptor) nonnullos eſſe Chriſtianos, qui non ſolùm magnam operam, magnumq; ſtudium in morali Ariſtotelis doctrina ponerent, ſed etiam exiſtimarent fundamentum eſſe, ſine quo Chriſtiana religio conſtare non poſſet. quo quidem nihil eſſet non modò iuuentutis ſtudijs, ſed moribus quoque & inſtitutis pernicioſius, cùm hac prima ætate res ueras & humanæ uitæ profuturas ſtudijs illis poſſet aſſe-qui, & interim tamen ex eius Philoſophi libris impias opiniones animo & mente conciperet, quas poſtea magis captioſis ſophiſmatis tegeret, quàm re uera mutaret: hinc ſunt illæ λεγόμεναι δόξαι utinam uulgo duntaxat probatæ, felicem ſine diuitijs eſſe neminem: quia fieri non poſſit, ut is res præclaras agat, cui facultates deſunt: &, Tam in uitio eſſe, qui iniuriam ſibi illatam ſi poteſt, non ulciſcitur, quàm ſi ipſe alteri fecerit iniuriam: & ſimiles aliæ nimis multæ, quæ teneros adoleſcentium animos ad impietatem & ſcelus inſtituunt, priusq; malis moribus imbuunt & deprauant, quàm ueræ uirtutis & religionis ſuauitatem guſtare potuerint. Nec tamen Ariſtotelem prorſus aſpernandum, ſed à Chriſtianis hominibus Chriſtiano iudicio legendum eſſe tute nobis ſæpe dixiſti, non ut ex damnata eius authoritate noſtræ religionis authoritas (ſicut à pleriſque indoctis hominibus fieri ſolet) confirmaretur: ſed ut falſa dogmata, quæ multa eſſent, animaduerterentur, & ſi qua uera eſſent, & Chriſtianis moribus conſentanea, tantum tribueremus in hac parte Ariſtoteli, quantum cæco alicui, ſi

de colo-

Digitized by Google

de coloribus, quos non uidet, caſu aliquò rectè diuinaſſet. Eſt autem res non pudenda ſolùm, ſed & miſeranda planè, uel potius execranda ac deteſtanda, ut nobis pueris, qui Chriſtiani & haberi & eſſe uelimus, ad Chriſtianè uiuendum non potius proponatur Chriſtiana & Euangelica doctrina, quæ mentiri & errare neſciat, quàm ethnica & Ariſtotelica, quæ tot mendacijs & erroribus implicata & inuoluta ſit: quaſi uerò nos Ariſtotelicè potius, quàm Chriſtianè uiuere ſtatuamus, & ex Ariſtotelis ſophiſmatis Chriſtianam ueritatem æſtimare, non contrà ex hac luce tenebras illas intelligere debeamus. O præpoſteram & lubricam iudicandi normam: rectum (ut aiunt) iudex eſt ſui & obliqui: at nos (ſi ſuperis placet) obliquam & tortuoſam Ariſtotelis doctrinam Chriſtianæ, id eſt ueriſsimæ & rectiſsimæ doctrinæ iudicem facimus. Fuit enim Ariſtoteles non modò in uita & moribus, ſed in doctrina uitæ & morum planè cæcus, & ueluti noctua ad ſolem & lucem miſerè caligauit. Sacræ literæ docent naturam hominis ita corruptam eſſe, ut niſi diuina & cœleſti gratia purgetur, nec contractas uitiorum ſordes abluere, nec ad uirtutē & beatam uitam aſpirare ullo modo poſsit. Ariſtoteles hanc naturalem maculam ignorauit, quinetiam docuit nobis inſita eſſe ſemina uirtutum: quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam uitam natura perduceret. Sacræ literæ præcipiunt in hac uita tanquam in pugna, cum laboribus, periculis, tormentis, ſupplicijs, carcere, fame, inedia, uulneribus certandum & dimicandum eſſe, ut diuino auxilio his certaminibus defuncti æuo æterno in cœlo perfruamur, nec aliam nobis omnino felicitatem quæramus. Ariſtoteles præcipit beatum eſſe non poſſe, cui magnæ diuitiæ defuerint, qui torqueatur, qui carcere & uinculis prematur, qui magnificè & opiparè non epuletur, qui prole & li-

Digitized by Google

beris careat, qui deniq; in Priami calamitates inciderit. Sacræ literæ nos ad cœleſtem & æternam uitam cohortantur: Ideóq; perpetuò admonent, ut Deum unicè diligamus, & omnes noſtras actiones, conſilia, cogitationes, mentes denique totas, ad eius laudem & gloriam referamus. Ariſtoteles beatam uitam humana hac & mundana uita circumſcribit: Deum procul ab hac amandat: hominem beatam uocat, non qui Deo, ſed qui ſeipſo & mundanis actionibus ſuis expleatur. Quamobrem quanta fide & conſtantia diuinos Chriſtianæ religionis libros colimus & ueneramur, tanta ſedulitate & diligentia ethnicorum libros perpendamus & æſtimemus neceſſe eſt, ne ab his pro ſanctitate & religione impietatem & ſuperſtitionem diſcamus.

FINIS.

Digitized by Google

BASILEAE,
PER SEBASTIANVM HENRIC-
PETRI, ANNO SALVTIS NO-
STRAE INSTAVRATAE,
CIↃ. IↃ. LXXVI.
Menſe Septembri.

Digitized by Google



187

Restauro del Libro
Badia di Cava
005642362
Digitized by Google